BIBLIOTEKA
Z. N. im. Ossolińskich
XVII.F. 4010
XVII.F. 4011

ANNALES

L III. 7. 12.

Lupisana 1835.

BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 4010

BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVI 4011



regestr:

STANISLAI SARNICII ANNALES, SIVE DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM ET LITVANORVM,

LIBRI OCTO.

Habes hîc priorem partem horum Chronicorum, hactenus omissam & neglectam ab alijs authoribus: quæ incipit ab Asarmoth conditore Sarmaticorum populorum, & continuatur ad Lechum ipsum, rerum ordine secundum temporum seriem seruato.

Et tandem à Lecho ad nostra tempora, quid in istis terris actum sit fideliter exponitur.

Cætera, quæ in hoc libro continentur, ipsius libri argumentum eidem præfixum indicabit.

Eremitarii Camald. Montis Argentini
ex Legato Dr. et Adm. Rndi Dni
Ioannis Chrisostomi Bodzenta
IVD. Canon. Crac. AD 1678.



ANNO DOMINI M. D. LXXX. VII.

15.013

INSTYTUT
OSSOLIŃSKIEGO

XVI.F.4010

AD INCLYTVM ET AMPLISSIMVM SENATVM REGNI POLONIÆ, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIÆ VIDELICET: REVERENDSISIMOS SAcrati ordinis Præſules Staniſlaum Karnkouium Gneſnenſem, Demetrium Sulikouium Leopolienſem ARCHIEPISCOPOS: Petrum Myskouium Cracouienſem: Hieronymum Rozrazouium Wladiſlauienſem: Georgium Radiuilum Wilnenſem & Cardinalem: Lucam Koſcielecium Poſnanienſem: Petrum Dunin Volſcium Plocenſem: Albertum Baranouium Præmiſlienſem: Melchiorem Gedrocium Samogitiæ: Laurentium Goſlicium Camenecenſem EPISCOPOS. Ad Illuſtres Spectabiles & Magnificos dominos: Andream à Theczyn Cracouienſem: Staniſlaum à Gorka Poſnaniẽſem: Chriſtophorum Radiuilum Vilnenſem: Staniſlaum Safranecium Sedomirienſem: Euſtathium Volovvicz Caſtellanum Vilnenſem: Ioannem Hlebovvicz Trocenſem: Albertum à Lasko Siradienſem: Nicolaum Chriſtophorum Radiuilum Caſtellanum Trocenſem: Ioannem Kiska Capitaneum Samogitiæ: Conſtantinum Ducem Oſtrogiæ Kiiouienſem: Staniſlaum Zolkieuium RVSSIAE: Ianuſium Ducem Oſtrogiæ Volynenſem: Ioannem Tarlo Lublinenſem: Nicolaum Radiuilum Nouogrodenſem: Nicolaum Moniuid Dorhoſtaiski Polocenſem: Staniſlaum Pacz Vitepſcenſem: Paulum Pacz Mſcyſlauiẽſem: Nicolaum Sapieia Minſcenſem: Ianuſium Zbaraſium Braclauienſem PALATINOS. Staniſlaum à Tarnovv Sedomirienſem: Ioannem à Theczyn Woynicienſem: Ioannẽ Taluoſz Samogitiæ: Ioannem Sienienium Leopoliẽſem: Martinum Leſniovvolski Podlaſenſem: Nicolaum Firleum Rauenſem: Nicolaum Pacz Mſcyſlauienſem: Pacum Minſcenſem: Nicolaum Ligeza Viſlicienſem: Nicolaum Firleum Biecenſem: Georgium Mniſek Radomienſem: Raphaëlem Leſczinium Sremẽſem: Ioannem Miskouium Zarnouienſem: Chriſtophorum Lantskoronium Malogoſtẽſem: Martinum Vroueciũ Chelmenſem: Stephanum Grudentium Naklenſem: Chriſtophorum Komorouium Oſvviecimenſem: Staniſlaum Goſtomski Sochaczouienſem:

Joannem Zborouium Gnesnense.

Droicinium Lubaczouienſem CASTELLANOS. AD officiales verò Magnos: Andream Opalenium Marſchalcum regni Polonię: Albertum Radiuilum Marſchalcum Lituaniæ: Ioannem Zamoſcium Cancellarium regni, & exercituum ſupremum præfectum: Andream Zborouium Marſchalcum curiæ regni Poloniæ: Staniſlaum Radiuilum Marſchalcum curiæ Lit. Leonem Sapicia Procancellarium Lituaniæ: Ioannem Dulſcium Theſaurarium regni Pol. Theodorum Skomin Theſaurarium Lit. AD ſtrenuos & generoſos equites Polonos quorum nomina inferius in Chorographia noſtra ordine honoris & dignitatis cauſa expreſsimus, alios verò charta capere non potuit. NEC NON ad vrbium metropolitanarum Cracouienſes, Vilnenſes, Gedanenſes, Elbingenſes, Rigenſes, Poſnanienſes, Leopolienſes, Sedomirienſes, Lublinenſes, Torunenſesque Proconſules & Conſules. Hi ordines ſupra nominati nunc faciem Reipub. in hoc celebri conuẽtu electionis repræſentant, quibus in hoc ſacroſancto actu à Deo Optimo Maximo ſpiritum ſalutaris conſilii & lætum ſucceſſum precamur, & obſequia noſtra officioſiſsimè commendamus.

CVM viderem Germanos, Italos, Hungaros, atque Hiſpanos, ab ipſo diluuio, maiorum ſuorum res geſtas ſcribendo, auſpicatos eſſe, Illuſtres & Magnifici domini ſæpè mirabar, ac ferè ſtomachabar, cur noſtri Hiſtorici, gentium tantarum earumq; ampliſsimarum, tam vile et à tam breui tẽpore exordium ſumpſerint. Ita enim aſsueuerunt, vt cum aliquid breuiuſculè & raptim de ijs rebus præfati fuerint, ſtatim ad Lechum delabantur, atque ibi deſiderium ſuum complentes, mox ſtudium remittunt. Quaſi verò gentes linguæ Slauonicæ, quæ à Ponto ad Oceanum occidentem verſus, ab Adriatico ad Glaciale Septemtrionem tendendo, antea in mundo non fuerint, et nunc primum ante hos octingentos annos, veluti ab ouo excluſæ in lucem prodierint. Negari ergo non poteſt nos acephalam & imperfectam hiſtoriam hactenus habuiſſe. Expectabamq; ego & cupiebam, vt aliquis fertiliore ingenio, & feliciore vena prodiret, qui ab hac infamia noſtram Rempub. eximeret, expectaitoniq; eruditorum hac in re ſatisfaceret: Sed nemo apparuit, qui nobis præiret, ego quæ in meo Muſæo habeo, dum vita ſuperest, emittam. Fateor equidem magis hæc alicui ex ijs, qui in academijs & monaſterijs inter Muſas habitãt cõueniſſe, quàm mihi; cui ſi quid ingenioli eſt, in medio laborum œconomicorum exaruit. Vtcumque tamen ſe res habet, tantò maiore venia apud probos & humanos iudices dignus ero, quantò plura argu-

menta

menta excuſationis mihi ſuppetunt. Sed quòd rem tanti momenti nouamus, putabũt forſan aliqui nos ſub Vaticano, aut potius Vauello, monte videlicet arcis Cracouienſis, noua aliqua Chronica plumbeæ arcæ incluſa cereiſq; inuoluta, vt Cicero alicubi de libris Sibyllinis inquit, reperiſſe. atque ita præiudicio nos grauantes clamabunt, rem impoſsibilem factu nos moliri. Sed iſti cum perlegerint hoc noſtrũ opus, rem multò mirabiliorẽ & prodigioſiorem nos auſos eſſe deprehendent, quàm ſi in viſceribus terræ defoſsum libru reperiſſemus. Nam ſicuti Medeæ oſſa diſperſa recolligere, & vt rurſus coaleſcant in vnum corpus cõponere impoſsibile videtur, ita lacinias huius hiſtoriæ cõſuere eamq; redintegrare impoſsibile videri poteſt. Nam quanta varietas hîc ſcriptorum eſt dum originem noſtram explicant: alij nos ad Paphlagonas et Henetos orientẽ verſus referũt: alij ad Germanorũ Tuyſconẽ in occidentem: alij ad Illyrios in meridiẽ: alij ex Roxolaniæ ſolitudinib. arctois nos educũt. In tãta inquam turba et varietate ſentẽtiarũ, cum animaduerterem natalium noſtrorum originem in dubium vocari, cernereq; patrum patriæ noſtræ, Medeæ exemplo crudeliter diſſecta & diſiecta membra per campos æquora & montes, manibus & digitis meis reuerenter recollegi, & quæ erant malè cohærentia coaptaui, ac veluti in vnum corpus vt rurſus coaleſcerent, feci. Non auſim quidem promittere ſeriatim non interrupto ordine, ſingulos hoſce Monarchas me potuiſſe enumerare; hoc enim propter progreſsiones & multiplices migrationes gentium, variasq; mutationes Rerumpublicarum, impoſsibile factu videtur: Sed tamen pro virili conatus ſum omnia redintegrare complanareq;, ad regulam chronologicam ac coſmographicam ſingula examinando, ſeruata interea maieſtate vniuerſalis hiſtoriæ, quæ veritas eſt. Interim eliciendæ purioris ſententiæ cauſa contuli vetera cognomina gentis, montium, ſyluarum, & fluuiorum cum narrationibus Hiſtoricorum; & quæ videbantur veritati reſpondere, ſtudioſè conſignaui, maximè vbi circumſtantiæ rebus ancillari videbantur. Adhibui narrationes maiorum, quæ videbantur per manus eſſe traditæ, quasq; etiam aliarum gentium extranearum autoritas ſuo calculo comprobare videbatur. Hos itaque tres teſtes elaborando huic operi cumprimis mihi depoſco. Non damnantur hîc aliorum labores, quin potius laudem cuiq; ſuam tribuere æquum eſſe duco: Dlugoſſus materiam nobis ipſam tradidit, Miechouius rudem illam & indigeſtam molem in epitomen redegit, D. Cromerus veluti reginam ornatiſsimam ex thalamo cincinnis verborum & ſententiarum veſtitam, vt decuit tantum virum, in medium produxit. Sed quorſum iſta omnia ſi fundamentum malum & ruinoſum? quicquid ſuperſtruxeris corruet; di-

cebat ille. Ego igitur incunabula nostræ gentis explicans, & ante aduentum Lechi per spacium temporis quatuor monarchiarum successiuè historiam Sarmaticam texens, fundamentum solidius inueni, quod historiæ Polonicæ substerno. Ne quis autem existimet, me mordicus velle mea tueri, iudicio eruditorum omnia subijcio. Corrigant illi & meliora efficiant, postquam eis primam glaciem fregi. Interim meo instituto & laboribus faueant & admodulentur precor. Certè volui prodesse patriæ, vetustatem nobilitatemq; natalium eius & originem, non ex fabulis petitam, vt hactenus factitatum est, sed genuinam demonstraui, Maiores nostros non aduenas, nec inquilinos in terra aliena sed indigenas, à seculis regiones has incolere ostendi, Sarmatiamq; semper Sarmatiam ad montes Sarmaticos fuisse. Adhæc, historiam quæ erat deprauata, redintegraui, caputq; ei augustius cum facie venerabili adieci & applicaui, ita vt si quis hæc nostra historiæ Miechouiensis, & D. Cromeri adijciat & accommodet, vno intuitu omnes Duces nostrarum Gentium, non à Lecho tantum, sed ab ipsis primordijs, veluti exercitum speciosissimum in clypeo Achillis exsculptum, cernere queat. Hos ergo labores meos cui dedicem & offeram in hac orbitate Reipub. post ereptum mihi Patronum Stephanum sacratæ memoriæ Regem, neminem video magis idoneum, quàm vos Reuerendissmi Illustres & Magni. Domini mei, vt dum de nouo Rege creando ancipiti consilio distinemini, habeatis quo mentes vestræ occupentur, exempla interregnorum superiorum ad vsum modò reuocantes. Sed multò alia nunc facies rerum quàm fuit Lesci Primi & Secundi temporibus, cum pro adipiscendo regno cursu equorum in suburbio Cracouiensi ad Prandnicium decurrebatur. Multò nunc subtiliores cæci illi styli vafro consilio excogitati, ambiguis promissionibus conuestiti, apparatu velutiq; fabulo tecti via regia currentibus, & de salute incolumitateq; huius Reipub. deliberantibus obijciuntur. Adde quod ab orientali Monarcha adferuntur suspecta consilia, qui sub specie amicitiæ id potissimum agit, vt potentiam suam & autoritatem in septemtrionem vsq; proferat. Quare vos ô Patres magis oculatos esse decet ne quid vos lateat, ne vobis quid imponat, néue quis serò vocem illam in viro sapienti turpem exprimat: Non putaram. Dum priuata publicis anteferuntur, ruentibus publicis etiam & priuata in periculum deueniunt: dicebat quondã Hannibal ad suos Carthaginenses. Sed quid? Nec admodum mirari, nec indignari potestis ijs qui interdum talia excogitant, & in electionibus, perficiendis compendijs talibus, laborant. quandoquidem nec definitionem eligendi Regis cuias & qualis esse debeat, nec modum præscriptum nec formam ele-

mam electionis celebrandæ habet hæc Res pub. per tot centurias annorũ, ex quo ſtetit. ſine quibus neceſsitas ipſa, etiam bonos viros, interdum cogit ad tales artes confugere. Alioquin enim in infinitum, tempus electionis, nullo effectu, cum grandi autem periculo, extraheretur, & tot voluntates hominum ferè ſemper inter ſe variantes ad vnum ſcopum impoſsibile eſt ſine arte reducere. Reſpicite, reuoluite annales noſtros: vix vnum exemplum, exactè loquendo, liberæ electionis inuenietis, cui aliqua vis aut ars non admixta fuerit. Nec modò hoc in Polonia vſu venit, ſed in omnibus propemodũ nationibus, vbicumq; modus certus & proportio quædam certis numeris abſoluta non eſt, tanquam ex cera efformata: at vbi hæc eadem eſt legibus ſancita, res iſta quanquam eſt per ſe perplexa & operoſa, tamen citò, tutò, & proſperè expeditur; & omnes iſti cæci ſtyli, omniaq; ſuſpecta conſilia vno impetu corruunt. Collegeram ego ante decem annos exempla & formulas electionum, Pontificum nimirum Romanorum, Imperatorum, et ducum Venetorum, excuſaq; typis ad hunc vſum Reipub. in lucem ederam. Non contemnatis quæſo prudentiſsimorum virorum conſilia, nec ſinatis amplius caſũ hanc Rempub. regi, nec permittatis dubiæ aleæ res, in quibus vita & mors, ſalus & interitus, ad limen ſedent: Aut vnam formam ex iſtis tribus eligatis, aut ſi poteſtis aliam accommodatiorem excogitetis, qua & vos nunc & poſtea ſucceſſores non ſine gratiarum actione pro re bene geſta, in tali caſu vti poſsint, veſtrosq; conatus collaudare, & ad ſydera extollere, quòd eos magna ſollicitudine & periculo toties liberaſtis, quoties Reges ex hac vita contingit decedere. Reſpicite queſo ad præcedentia tempora: intra hos duodecim annos, iam tres Reges mortui, tres electiones celebratæ. Poſſunt autem & ſæpius vel peſte vel bello eripi, vt ſunt hominum res inſtabiles. Placet ne ſpectare toties Rempub. in periculis verſari? Placet ne dubijs fluctibus iactandam toties obijcere, quoties repetitis vicibus Reges nobis eripiuntur? Recordemini quæſo vocis Regis mortui, quando in medio ſenatus ante biennium veluti iam ſupremam diem mortis ſibi inſtare præuidens ea de re diſſerebat: Cohorreſco inquit toto pectore, quoties mecum recogito interregnorum ſuperiorum pericula. Reſpondiſtis vos tum de Rege viuente Rege nolle vos deliberare. Ecce ergo nunc illud tempus aduolauit, & quidem difficilius, ni fallor, quàm ſuperiora interregna. Igitur omiſsis comperendinationibus, nolite ampliùs rem differre, nec patiamini hanc nauiculam ampliùs fluctuare. Sanciatis aliquam ampliſsimam legem, quam ſiue Capturum more patrio perpetuum, ſiue auream bullam vocare licebit, Germanos in hoc imitati, qui huiuſcemodi voce talis ſanctionis volentes laudes am-

plificare, nomen ei ab auro imposuerunt. Et verè aurea lex talis: nam nos à periculo absoluit, metu liberat, præterita corrigit, præsentia confirmat, futuris prospicit: & quod maximum est, reuera liberos, facit, cum antea nomine tantùm hac in parte liberi essemus, res autẽ ipsa nescio vbi exularet. Absque quibus rebus nomen ipsum electionis liberæ malè sonat, pessimeq; expetitur: ita vt feliciores esse videãtur populi illi, vbi nascuntur nõ creantur reges. Sed ego forsan vlteriùs prouectus sum, quàm mihi conueniebat. Ignoscite quæso, si iusto dolore periculorum patriæ communis impulsus prudentioribus ansam vberiùs & exactiùs disserẽdi de ijs rebus præbeo. Vos ipsi dicere soletis, sub interregno licere, apud nos cuiuis nobili viro sententiam in medium proferre. Dicta igitur mea sententia de ijs rebus quas ad salutem Reipub. conducere putaui: orationem meam ad vos conuerto, librumq; hunc vnà cum Typo ipso Chorographico Sarmatiarum vestris Celsitudinibus in manus offero, & rogo vt mei meorumq; laborum & impensarum, quæ certè non paruæ fuerunt, ratio habeatur. Ita enim nuper promisistis in Varsauiensi conuocatione, non priùs vos ad electionis actum accessuros, antequam priuatorum grauamina sustuleritis leuaueritisq;. Testes sunt oculi cæcutientes, perspicilla hæc & propemodum orbitas visus quam contraxi, volens laborem mihi à Regia Maiestate impositum sedulò & gnauiter absoluere. Rex est mortuus; sed vos mihi superstites estis, quibus gubernacula regni concredita sunt. Potestis regnũ ipsum deferre cui vultis, & mihi possessionẽ aliquam attribuere non potestis? Ego vobis patriam vestram, Sarmatiam integram, hoc typo ad viuum expressam præbui, vos mihi particulam eius denegabitis? Merces detenta laborum & oppressio pauperum vtrumq; istorum est detestabile apud Deum, & vtrumq; in peccatis mortalibus & clamantibus ad cœlum à Theologis reponitur. Si nunc benignitas vestra mihi deerit, postea ope vestra non indigebo. Si nunc terræ funiculum mihi non præbetis, postea non nisi vna terræ vlna in latum, & tribus in longum indigebo. Beroso, Iosepho, historicis pro merito erga Rempub. simili, quale ego Poloniæ præstiti, statua aurea à suis donata fuit; vos mihi cespite terræ non respondebitis? Sed & apud nos Cadlublo, Dlugoso, episcopatus opulentissimi donati sunt pro historico opere; & vos me exhaustum seruitio quod Reipub. impendi per annos decem, ita consenescere patiemini? Illi argumentum vulgare & tritum repetierunt, ego rem à nemine tentatam aggressus expediui. Illi à Lecho h. e. à tempore Iustinani imperatoris incipiunt: ego à primordijs, ab aureo seculo exorsus seriem historiæ per illa præcipitia & mutationes Rerumpub. vsq; ad hæc nostra tempora continuo. illi tractationem de accisis limi-

sis limitib. Sarmatiæ, de eiusdem tributis, de conuitijs quorundam scriptorum in patriam nostram infamiam olentibus, aut sicco pede transierunt, aut leuiter attigerunt: ego depulsis maleuolorum criminationibus inopiæ, solitudinum, syluositatis, barbariei, quæ patriæ nostræ impingebantur, fines veros veteris Sarmatiæ ostendi, ac vindicaui: ego lineam originis, vt consueta apud nos ratione loquar, gentium nostrarum ostendi ac deduxi: ego maiores nostros ex densa caligine, veluti ex lymbo tenebricoso Patres veteris legis eduxi, res gestas illorum illustraui: & ita illustraui, vt cum fortunatissimis populis meritò æquari queant. Quare non miremini si complures Illustres viri inter vos pro me demissa oratione apud vos intercedunt, & ne ingratæ patriæ fumus oculos meos lædat ad antidora mihi præstanda vos cohortantur. Video hîc eos, qui strenuè se in militia gesserunt, qui legationes obierunt, qui consilijs iuuerunt, etiam extraneos, etiam plebeios, à vobis præmijs dignis affici & ornari, & rectè. Nam vbi in Repub. præmia virtuti negantur, ibi virtus languet, probitas friget. At ego, qui istarum omnium rerum officinam informatricem, & magistram trado, vitam memoriæ, lucem veritatis (sic enim Cicero vocat historiam) resq; vestras immortalitati consecro, ero ne neglectus & irremuneratus? Nunquam hoc visum in Rebus quidem pub. bene moratis. Nec sanè de vobis mihi id in mentem venit. Nam bonitas vestra me meliora spenire iubet, hilaresq; erga me vultus vestri me consolantur. Sunt enim complures hîc inter vestras Magnif. qui, adhuc viuente Rege, me ad subeundum hunc laborem & verbis & litteris suis cohortabantur: sunt qui etiam pro me apud eum intercedebant, testesq; meæ cum eo transactionis fuerunt. Iam verò cum in eorum ipsorum manibus, quibus antea voluntas non defuit benefaciendi, facultas quoque nunc posita sit, tantò meliora de illis me mihi polliceri licet, quantò plura in dies argumenta habui eorum æquitatis, bonitatis, ac beneficentiæ.

Valete quàm optimè heroes & domini mei summa cum obseruantia colendi.

Stanislaus Sarmicius V. I. D. accuratissimè obsequia sua cómendat.

ARGVMENTVM OPERIS, LOCO INDICIS, in quo vtilitates libri succinctè enumerantur.

ILLVD peculiare est autori, quòd tertia parte chronica Polonorum adauxit, recuperauitq; historiam rerum ante aduentum Lechi gestarum in istis regionibus per spacium quatuor monarchiarum, hactenus ab alijs autoribus omissam suppressamq;. Recuperatam autem esse hanc scias ex Hebraicis, Chaldaicis, Ægyptiorum, & Latinis historicis: Ex sacro codice videlicet, ex Beroso, Manetone, Metasthene, Herodoto, Xenophonte, Thucydide autoribus aureæ ætati vicinioribus: & ex Diodoro Siculo, Polybio, Iosepho, Cornelio Tacito, Plinio Dione, Iornande, Procopio, &c. Ex poetis, Homero, Vergilio, Ouidio, & alijs posterioribus probatissimis autoribus. Hæc tractantur libro primo, secundo, tertio, & quarto.

II. De vera origine Gotthorum, Vandalorum, qui cum essent propriè stirpis Sarmatarum, primi vlti sunt iniuriam totius orbis terrarum de victoribus Romanis, & ab his verissimè depressio Romani imperij incepta fuit, ferè ante 1200. annos: de qua Blondus. Habentur hæc fol. 143. 145.

III. De limitibus veteris Sarmatiæ temporibus Cyri, Darij, Alexandri Mag. Augusti, Constantini Mag. cognitio digna nobili Polono & ipso Poloniæ Monarcha. fol. 93. 96. 110. Et de vera origine Polonorum, & quòd non aduenæ fuerint, nec inquilini in terra aliena, licèt Lechus ad eos venerit à meridie, non ab aquilonari parte, fol. 169. Et quòd hæc terra iam tunc habitata, non deserta fuerit, fol. 169. 185. Nec inops signati auri & argenti, fol. 171. 303. Nec barbara, fol. 121. Vrbes habuit & arces, fol. 160. satisq; cõmodè habitauit, vt ex Cosmographorum tabulis clarè liquet, quorum descriptiones certiores sunt, fueruntq; semper annotationibus historicorum. fol. 2. chorographiæ. Hæ & aliæ inueteratæ opiniones pugnantes tamen cum superioribus propositionibus vt falsæ & erroneæ confutantur. Sicut enim pertinebant ad infamiam nostrarum gentium, sic confictæ fuerunt ab ijs, qui decora nostra & res gestas suis adaptare, & nostris adimere conati sunt, fol. 169. Ibidem discursus, vt vocant, qua ratione apud nos possent esse eam celebres, & tam frequentes vrbes, vt apud Gallos, & Italos, si id ratio constitutæ Reipub. nostræ pateretur.

IIII. Opinio item noxia de veteri Germania ad Tanaim & Pontum, fol. 170. & de Transyluanis Saxonibus, quos reliquias Gotthicæ stirpis per errrorem quidam fabulãtur, refutatur. tectè enim quidã victorias Gotthorum suis adscribunt, fol. 64. 65.

V. Quòd non ad Istulam terminabarur olim Germania 993. 95. Nec Germani hîc habitarunt ante Constantini Magni tempora ad ripas Istulæ, vbi est vmbilicus Maioris, Minorisq; Poloniæ, vt plerique etiam ex nostris litteris mandarunt: sed maximæ Gentes Venedæ (stirpis Sarmatiæ) verba sunt Ptolomæi, & post eum Procopij. Imo tota antiquitas non modò ita sensit ac scripsit, sed etiam spectandum tabulis, figurisq; in ipsos oculos incurrẽtib. exhibuit, fol. 153. Vide & in chorographia nostra.

VI. Occasio controuersiæ inter Pontifices & Imperatores Romanos orta de primatu, quæ potissimum inualuerat sub quinque Imperatoribus: Carolo Magno, fol. 195. Othone Magno, fol. 215. 280 Henrycho Quarto, fol. 233. 239. Fridericho Secundo, fol. 276. Ludouico Bauaro: id quod temporibus Locticonis debet adscribi. Istis temporinus Reges Poloniæ ex Gibelinis facti sunt Guelphi. Absque autem huius historiæ exacta cognitione historia Polonica de Coronæ acquisitione, & coronæ ademptione, eiusdemq; recuperatione, & alijs sexcentis rebus nullatenus intelligi potest. Ideo per occasiones tractatio huius rei hîc breuiter inseritur.

VII. Cur ab Imperatoribus potissimùm Chobrius Rex coronari & axioma regium petere voluit. Contrà, quæ causa Pontificem Gregorium septimum impulerit, ad abrogandam ei coronam, fol. 226. 233. 276. Commentum Schafneburgensis de tributis, & lapsus Guagnini, quasi olim Polonia Imperio seruierit, & tributum pependerit, confutatur, fol. 135.

Merita

VIII. Merita noſtrarum Gentium peculiaria erga Rempub. Chriſtianam commemorantur, declarantuŕq;, fol. 388. & de quinque regnis inſtitutis ante ducentos annos in iſs regionibus, qua ſeſe extendunt fines dominiꝝ Regum Poloniæ, fol. 388. 248. Compendium hiſtoriæ Lituanicæ, & collatio ad illuſtrandas res vtriuſque gentis magnopere neceſſaria, & de Columnarum Centaurorũq; huc aduentu, fol. 285.

Adiecta eſt in calce libri tabula chorographica Sarmatiarum non inelegans, abſq; qua vir conſularis de finibus regundis, cum Suecorum Rege, Moſcho, Tartaro, & Valacho conſilia agitare & pacta facere non poterit. Gloriari autem nobilem Polonum de latifundiis Sarmatici dominii, nec interim noſſe, qua ſeſe longitudo eius & latitudo extendit, ſub quo climate & parte cœli verſemur habitemuśq;: nec noſſe limitaneas metas patriæ ſuæ, quas nos Vroczyska vocamus: ignorare diſtantias locorum celebriorum, & portuum, vt Rigæ, Naruæ, Kaczibey, & Bielogrod: nec noſſe fluminum ortus, vias Scythicas Schliag vocatus, cum turpe tum incommodum planè eſt. Nam nec hiſtoria patria, nec acta Poſtouienſia nouiſsima cum Moſcho intelligi, nec acceſsiones Veliſii, Liuoniæ, & aliorum territoriorum ſuperioribus bellis partorum percipi poſſunt, abſque adminiculo huius typi, in quo effingendo oculi mei cæcutire & caligine obduci cœperunt: Sed vobis Illuſtres & Mag. Domini Senatores, veſtræq; fidei & diſcretioni, vt vocant, labores meos, & ſumptus, quos in bonũ Reipub. noſtræ ſuſcepi, prouocatus litteris Regiæ Maieſt. & inuitatus priuatim à multis veſtrûm, humillimè commendo, & offero. Vt́q; ſtatim vſus huius hiſtoriæ cerni poſsit, Campiductoria ars addi debet: quæ vbi quæri & inueniri debeat, inferiùs monſtrabitur.

406

ANNALES POLONORVM, QVIBVS AVGMENTA ET DECREMENTA REGNI: MVTATIONES ITEM ET PROGRESSIONES GENTIS EXPLICANTVR.

Liber primus.

In quo ea quæ acta sunt cum conditoribus Slauonicorum populorum ab Asarmoth (à quo Sarmatæ) vsque ad Alexandri Magni tempora traduntur.

De temporibus diuisionis gentium sub Principe Pelek & Asarmoth.

Anno ab orbe condito 1790.
Anno à diluuio, quo diuisio gentium facta est 133.
Anno ante Christi domini aduentum fere 2210.

VIDENTVR illi bono consilio vti, qui conscripturi gentium res gestas, primò originem earum inuestigant, antequam ad vlteriora progrediuntur. Nam stirpe & origine, vnde prodiit quæque gens, malè inuestigata, necesse est historiam tota via aberrare. Ego tamen ne scrupulosa disputatione in ipso limine, lectoris delicatas aures prefationibus longis, & non rarò lectori molestis offendam, eam tractationem in alium locum commodiorem reiicio. Interim ne suspensum animo lectorem diutius teneam, in tanta varietate opinionum, dum nos alii his, alii aliis gentibus, vt adscriptitios accommodant, nil tutius esse iudico, quàm postposita pomposa illa & fastuosa natalium suorum à diis deabusque iactatione, sequi diuinorum oraculorum testimonia longè verissima. Tradunt autem scripturæ sacræ diuinitus inspiratæ, tres fuisse filios Noë, Sem, Chamum, & Iaphet. Iapheto quidem tanquam minimo natu patria ipsa cessit, hoc est, cum Asia minore Armeniæ montes, qui

Gentium originis ex sacris literis petendæ.

post mille pericula,quæ toto propemodum anno periclitando in vndis experti sunt,primum hospitium & recreationem eis præbu ĕre.Adhæc omnes insulæ Epeiri,Chersonesi,Cyclades,Sporades, Symplegades,& quibus tandem vocentur nominibus, per quas Italia & Græcia cum vicinioribus regionib. intelligenda est,quod & illæ similitudinem insularum referunt: adiecta insuper Asiæ septemtrionali parte, quæ supra Meothidem iacet,& dominio mediterranei maris.

Cham accepit pro se & pro posteritate sua meridionalem plagam, in qua Africa cum vicinioribus regionibus Babylonem versus intelligenda est.

Semo cessit Asiæ maioris reliquum, hoc est, omnia campestria à Messa monte (siue Moschinos,siue Mesiæ montes mediterraneos intelligas) quæ quasi spina dorsi totam carinam corporis, Asiam & Europam per medium,ab ortu ad occasum vsque diuidunt. Atque hoc fundamento posito non possumus scriptoribus plerisque Germanorum assentiri, qui gentem Sarmaticam cum Germanica,Tuiscónem suum cum Asarmoth cõminiscent,& has gentes, vt appendices Germaniæ faciunt, cum lingua, moribus, vestitu denique prorsus à se differant. Expressè autem Moses dicit non semel sed ter repetendo,quòd Deus diuisit cunctas nationes secundum linguas & familias suas. Non possum etiã cum Dlugosio Hageco Boemo Illyriis eos substernere ac coniungere, ac neque ex Ionia & Paphlagonia in Europam per Henetos deducere,nisi prius de terminis temporum,& aliis quibusdam circumstantiis inter nos conueniat.Distinxit ergo & dissimitauit diuina scriptura humanum genus, regionesqúe à regionibus dispescuit, & quid ad quas gentes pertineat, non modò verbis geographicè ad morem Ptolomæi depinxit,sed etiam signis quibusdam vnum ab alio disterminauit & distinxit. Hinc rupes ab architecto mundi fabricatæ sunt,montes,valles,maria,flumina,solitudines,syluę, quibus veluti aues in ornitoboscio parietibus & macerie interseptæ nidificarẽt,ne gens gentem,natio nationem,armis,bello,tam facilè lacesseret, sed quælibet in suo nido,veluti illa fera animalia in arca Noë concamerata sese contineret. Et hic est vsus alpium, montium,paludum. Adeò verum est philosophi dictum: Deus & naturâ nihil agunt frustra.Sed quid? profuit ne nobis autoris mundi consilium ? Nequaquam: Ruimus in vetita,cupimusque negata. Aspice quæso, alpes,montes,lunæ montes Pyrenæos, aut hunc nostrum Carpatum,qui nobis impendet,quib. veluti signis incurrentib. in oculos, Italiam à Germania, & alias nationes disgregauit,non

Vsꝰ fluminum, alpium, & syluarum.

uit,non tamen hæc profuere. Transcenduntur turritæ rupes,superantur lintribus & nauigiis flumina,& maris vastitates sulcantur, penetrantur syluæ & immensæ solitudines,& alter alterum ferro ac igni persequitur,mouentur bellorum tumultus exitiosi,& alter alterum veluti anser anserem per cancellũ impetit,suggillat. Hinc ilias malorum,hinc lites,hinc bella parricidalia,& periclitando armis vario Marte dubium laudis decus quæritur. Sed omissa deploratione calamitatum generis humani,ad nostram historiam reuertamur. Reliquit ergo Cham successores suos,reliquit Iaphet,reliquit etiam Sem posteritatem veluti municipes portionis suæ,Pelek & Iactanum. Ac per Pelek quidem Principem,sub quo diuisio gentium facta est,benedicti seminis Messię stirpem enumerant diuini scriptores. Ab Iactan verò cum alii tum progenitor Sarmatarum Asarmoth descendit. Nec ego video quo pacto se Europei Sarmatæ ab Asiaticis & vtrique à necessitudine patriarchæ huius homonymi Asarmoth seiungere dabeant,& si illi eum pro cõditore & autore suæ gentis agnoscant,nostri qualiter eis renuncient non reperio. Sed de hac re paulò inferius. Fuerunt ergo statim à primordiis rerum Sarmatæ,in istis,quas nunc incolunt regionib⁹, nec in aliorum sedes irruerunt,& alios inde vi hæredes eiecerunt, nec se quoque à quoquam eiici passi sunt. Interim quæ ex Ptolomæo & Tacito de Henetorum huc ex Asia cõ migratione quidam adferunt non repudio, vt suo loco latius hac de re differetur, quin potius mysterium illud diuini vatis mecum reuerenter recogito, qui prophetico spiritu fore prædixit,vt aliquando Iaphet mansurus sit in tabernaculis Sem. Cum igitur Henetorũ maxima gens veniens,magna spacia inter Borysthenem & Istrum habitare cœperit,magnamq; Europæ partem occuparit,vt Ptolomæus & Procopius testantur,reipsa comprobatum est,quod antea multis seculis prædictum fuit,Iaphet in tabernaculis Sem habitaturum,id est Henetos in Sarmatarum regionibus. Hæc mihi originis ratio simplicior & magis natiua videtur,quàm fabulosis & ementitis titulis se ornare. Cuius commenti finis & exitus huc recidit, vt detecta fabulositate narrationis turpiter & cum rubore assertam sententiam deserere,& apatores,id est,sine certo patre & propagatore gentis remanere necesse sit.

Sarmatæ à Patriarcha Asarmoth.

Commentitiæ gentium origines.

Hæc generatim dicta sunto : quod si quis rem ad calculum reuocet,& ad particularia descendere velit,hac via mecum procedat. Inprimis ad sacra Biblia recurrat. Postea ad Babylonicam historiam, quam se Berosus sacerdos Babylonius publica fide & sententia senatus conscripsisse fatetur,deueniat. Istis duobus testibus

BIBLIOTEKA OSSOLINEUM

mundus nihil habet antiquius,quo res ſuas ſulciat. Ex his duobus fontibus Diodorus Siculus, Philo, Ioſephus, Euſebius, & cæteri poſteriores omnes hauſerunt. Quanquam autem hiſtoriam Babylonicam cum hiſtoria ſacra non confero,tamen cum Ioſepho hiſtorico,inter ſcriptores prophanos priorem ei locum hac in re tribuendum cenſeo.

Primum argumentum, quo demonſtratur, Sarmatas eſſe gentem peculiarem, ex Gene. cap. 10.

Quod igitur ad Moſem attinet,is primò ponit Noë,ſecundò Sem, tertiò Arphaxat,quartò Selach, cuius filius eſt Eber,& mox addit: Ipſi quoque Eber nati ſunt duo filii,nomen vnius Peleg, quia in diebus eius diuiſa eſt terra.Hebraicè ſic: פלג כי בימיו נפלגה הארץ Et nomen fratris eius Ioctan, qui genuit Elmodat & Saleph & Aſarmoth. Et mox eodem capite decimo. Iſti ſunt filii Sem, ſecundum familias ſuas,ſecundum linguas ſuas in terris ſuis,in gentibus ſuis. Iſtæ itaque ſunt familiæ filiorum Noë per generationes ſuas in gentibus ſuis,in terra,poſt diluuium. Primum itaque argumentum quo probatur, Sarmatas gentem eſſe peculiarem, & nequaquam aliarum veluti appendicem quandam, veriſimè petitur à diuiſione linguarum. Nam ſi ſingulis linguis attribuitur ſuus Patriarcha,quomodo lingua Sarmatica aut Slauonica proprio Patriarcha deſtituetur vnde ſit propagata? cum ſit lingua copioſiſsima, & in tot dialectos ſcindatur. Manifeſtè autem hîc affirmat ſcriptura diuinitus inſpirata,non ſemel ſed ter in vno capite, diuiſionem illam gentium ſecundum numerum linguarum factam fuiſſe, quæ linguæ ſeptuaginta numerantur.

Secundum argumentum, ex Deut. 32.

Memento dierum ſeculi, intellige annos generationis, interroga patrem tuum,& annunciabit tibi. Quando diuidebat altiſsimus gentes,quando ſeparabat filios Adam, ſtatuit terminos populorum ſecundum numerum filiorum Iſraëlis.Ex hoc loco,ſecundum argumentum aſſumitur. Nam ſi illa fatalis diuiſio gentium, facta eſt ſecundum numerum filiorum Iſraëlis, vt hîc apertè dicitur,ab Aſarmoth,Sarmatas deriuare neceſſe eſt. Nam ſi Iauan Iones, Tubal Hiſpanos, Tuiſcon Tudeſcones Germanos, Gomer Cymbros condidit, quomodo Sarmatarum origo ad Aſarmoth referenda non erit? Si inquam hoc argumentum,Græcis,Germanis, Hiſpanis & aliis nationibus ſeruit, quid cauſæ eſt, vt etiam Sarmaticis populis ſeruire non debeat? Præſertim cum hiſtoria Babylonica

etiam Sarma-

etiam Sarmaticorum populorum hiſtoriam complectatur, vt mox clarius patebit.

Tertium argumentum ex Act. 17.

Nec manibus humanis colitur Deus indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & halitum & omnia: fecitque ex vno ſanguine omne genus humanum, vt inhabitaret per vniuerſam ſuperficiem terræ, definitis temporum opportunitatibus, quæ præſtituit, & poſitis finibus habitationis eorum. Inde tertium argumentum ſumere licet, nempe à limitum & finium durabilitate, quibus ſemel ab initio circumuallatæ ſunt nationes in ſuis territoriis: ideo addit, finibus habitationis eorum. Inhabitare fecit, inquit, genus humanum per vniuerſam ſuperficiem terræ. Quæ verba prorſus ab Apoſtolo deprompta eſſe videntur ex Moſis Deuteronomio ſuperius adducto, vbi dicit: Quando ſeparabat filios Adam, ſtatuit terminos populorum, ſecundum numerum filiorum Iſraëlis, ita vt illa deſcriptio finium cuiuſlibet regni in Strabone, Ptolomæo & aliis vetuſtioribus ac recentioribꝰ ſcriptoribus & coſmographis, non aliquo fortuito caſu conſtare, ſed diuinis oraculis firmata eſſe videatur & ob eam cauſam certa & inconuulſa eſſe debet. Nam ſicut Babylonica hiſtoria Sarmatiam Europeam ad Tanaim extendit: ita poſtea Alexandri temporib. idem repetitum eſt, ac demum Auguſti ſeculo, Traiani ac Theodoſii, idem confirmatum eſſe reperitur, videlicet, quicquid eſt intra mare Sarmaticum ab occidente, & Meothidem, Tanaim, Pontumque Euxinum ab oriente, à meridie verò circumcirca montes Sarmaticos, id nomine Sarmatiæ cenſeri debere, vt luculentius inferiùs demonſtrabitur, vbi peculiaris tractatio de finib. vetuſtis Sarmatiarum inſtituetur. Ac quod in laudem diuinæ prouidentiæ in aſſerendis & tuendis finibus Sarmatiarum dictum eſt, hoc etiam de Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, Galliarum, aliarumque vetuſtarum nationum, dictum eſſe putemus, quas quantumuis Cæſarum vis ab animi impotentia profecta aliquoties conuellere tentauit, tamen Deus, qui eſt ſupremus regundarum finium magiſter & tutor, ſuum decretum incaſſum abire non eſt paſſus.

Annotatio vtilis de filijs Noë

Nolo hîc moleſtus eſſe lectori illa quæſtione, Semne an Iaphet fuerit maior natu, vt plerique putant, ideo quòd capite 10. ℣ 21. dictum eſt: Ipſi quoque Sem natus eſt: etiam ipſe eſt pater omnium filiorum Eber, frater Iaphet maior. Sed alia verſio magis probatur eò quòd clarius hunc nodum ſoluit, inquiens: De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheti maiore: Et

ſcriptura ter quaterue eo ordine eos enumerat,proinde & eodem ordine nati eſſe credantur.Quod autem Moſes primam ſortem Iapheto tribuit, trahunt hoc quidam,& non ineptè ad comprobandam & illuſtrandam illam ciuilem legem:Maior diuidat,minor eligat.

Sic & illud quod eidem Iaphet ceſsit patrium ſolum, montes inquam Armeniæ,qui eis poſt diluuii incommoditates primum hoſpitium præbuere,eò detorquent,vt herciſcundis filiis familiæ, minimo natu patrium habitaculum debeatur. Maiores enim propter maiorem ætatem magis prouidi eſſe ſolent, iuniores autem, vt imbecilliores non item.

Per Babel intelligunt Babylonem,ſed epitheton ei additur Sinear,ad differentiam alterius Babylonis quæ in Aegypto fuit.Per Sephar montem Indiæ intelligunt. Per Mes optimè poſſunt intelligi montes Sarmatici, eò quòd Nyſiis adiacent, & totam Europam per medium ſecant,quibus ſi addas Parthicos & Emodios montes,videbis quaſi cingulum,quod totam habitabilem per medium ambiens cingit. Sed iam poſito totius operis ſolido fundamento ex diuinis oraculis, ad Babylonicã hiſtoriam deſcendam⁹.

De temporib. Seba, Nimrod,

viuente adhuc principe Aſarmoth.

Anno mundi 1810.
Anno à diluuio 157.
Anno à diuiſione gentium ad Babel 25.
Anno ante aduentum Chriſti domini 2190.

IAM ab eo anno hiſtoria Babylonica mentionem Sarmatarum facere incipit, dicitque à Tuiſcone Sarmatas maximos populos fuiſſe fundatos. Quia autem & Moſchi Sarmatæ Riphæi in eadem hiſtoria Babylonica vocantur,& eadem lingua vtuntur, etiam initia regni eorum in idem tempus reiecit, ita vt duo ſimul Patriarchæ, quaſi ex condicto, vnius dominii fundamenta ieciſſe videantur. Ita enim dicit: Moſchus dux miſſus ab eodem Saturno, fundat Moſchicum regnum. Duplicis autem Moſchouiæ meminit,Aſiaticæ & Europeæ ſicut & Sarmatiæ. Omitto diſputationem illam, quomodo Moſchi in ſeptemtrionem conceſſerint,cum antea in Capadocia vicina Paphlagonibus noſtris Henetis,tãquam gens conſimilis linguę habitationem ſibi delegerit, ibique vrbem à ſuo nomine appellarit,quæ vſque ad Claudii tempora Mazaca vocabatur. Ille enim tractus paſsim tum lingua Slauonica tam in

Moſchi Sarmatæ.

uonica tam in Capadocia quàm in Paphlagonia vtebatur. Tandem Claudi⁹ hanc vrbem Cæſaream vocauit, ſed Iulianus apoſtata hoc cognomen eidem poſtea abrogauit. Hæc de initiis regni Sarmatici dixiſſe ſufficeret, niſi plerique ſcriptores Germanici ad amplificandam ſupra modum gloriam ſui Tuiſconis abuterentur loco citato Beroſi, ideo hîc ſubmonendum lectorem putaui, nomen Germaniæ, Scythiæ & Sarmatiæ, apud ſcriptores latiſsimè & largè patere, ita vt aliquando nomen Sarmatiæ tranſeat vſque ad Germanos ad Rhenum habitantes, vnde à Beroſo expreſsè Rheni Sarmatæ, illi incolæ ad Rhenum vocantur. Et Plinius Scytharum nomen in Sarmatas vſque & Germanos cadere affirmat. Quæ igitur Beroſus de fundatione regni Sarmatici à Tuſcone attulit, cautè ſunt accipienda. Alioqui ſi quis Beroſi phraſim vrget, nos vicisſim ei diuina oracula opponimus, quæ expreſsè reiiciunt confuſionem originis nationum, & aſſerunt diuiſionem gentium ſecundum numerum linguarum & patrum illorum factum fuiſſe, ita vt ſingulæ gentes à ſingulis patriarchis deriuentur. Nec video, quo pacto ſarta tecta Beroſi authoritas permaneat, niſi tropicè eum per catachreſin quandam Germaniam, Sarmatiam vocaſſe fateamur. Ferè enim eſt vſitatum in omnibus linguis, vicinitatis ratione alteram pro altera nominare nationem. Sic Germanos ad Rhenum multi Gallos vocauere, & vice verſa. Et Sarmatas vocant Scythas, eò quòd vicinitatis ratione in quibuſdam altera alteri communicet. Sic & nos Radomienſes & Podlaſios, Maſouios vocare ſolemus, qui etſi Maſouii non ſint, tamen vicinitatis ratione, eos ſolem⁹ afficere hoc cognomine. Et cum eam appellationem indignius à nobis ferunt, per modum cuiuſdam vrbanitatis ſolemus regerere non ſine ioco: Etiamſi veſtri, Maſouii non ſunt, tamen pro igne ad Maſouios frequenter decurrere ſolent. Sic & Ruſſos, Lublinenſes ſubinde vocari nouimus. Sed & in conciliis œcumenicis generalibusq; hoc idem vſu venit, ſicut in illo Conſtantienſi & Baſilienſi aliàs ſeruatum eſſe ex actis conciliorum patet, vbi in ferendis ſententiis Germanicæ nationis Epiſcopi cum Polonicis iungebantur, vt quicquid illi referrent, id dictum eſſe Germanorũ nomine putaretur. Hæc dicta ſint de catachreſi illa, qua Beroſum vſum eſſe etiam aliis in locis manifeſtum eſt. Et Ptolomæus montes, qui cingunt Germaniam ad Danubium Sarmaticos ſimili ratione vocauit. Affirmant alii Chaldæo homini non fuiſſe ſeptemtrionem cognitum, aut malè verſum, aut ab aliquo adulteratum, vt non raro accidere hiſtoricis, exemplo Eutropii, Iornandis & ipſorum etiam Euangeliſtarum probari poteſt, quos Eraſmus Roterodamus aliquib. in locis corruptos eſſe conqueritur,

esse conqueritur, quod si ne hac quidem solutione contentus esse aliquis velit, ei priuilegium illud diuinum diuisionis vniuersæ habitabilis trium fratrum opponimus. Quod si ne scripturæ quidem testimoniis stare velit, mirari nos oportebit, eos qui aliàs scripturæ authoritatem aliis scriptorib. iure anteponunt, in ea causa vbi de prærogatiuis nationum agitur, scripturæ authoritati sententiam Berosi præferre. Sed nos clarissimæ genti ornamenta & quæuis præconia libenter fauemus, modò Berosus sobriè intelligatur. Nam non desunt alii, qui quidem priuilegii istius, vtpotè à Deo lati authoritatem agnoscunt, sed tamen per tyrannidem patres quosdam multa sibi permisisse prætendunt, ex quib. habetur illud, quod Tuiscon præsumpserit Sarmatarum regnum sibi vendicare. At priuilegii istius ea vis est & verborum sensus, vt Deus in eo expresserit non modò quid fieri vellet, sed etiam quid deinceps in sequentibus ætatibus accidere debuit fatidico spiritu prædixerit. Cuius prædictionis inuariabile decretum si in dubium vocatur, & reliquarum quoque prophetiarum, quæ in Bibliis extant non reperio quo pacto certitudo constare possit. Adde quod illa ipsa historia Berosi nequaquam absolutum dominium Tuisconi vendicat, quin immo eum Iani seruituti obnoxium facit, eumq; ad occidentem ab ipso missum esse prædicat, quò ibi ipsius permissu auspicaretur regnum. Viciniores autem sunt multò Sarmatæ Ioniæ, vbi Ianus sedem habuisse prædicatur, quàm ipsi Germani. Maluisset igitur Ianus eos suo imperio subiicere, si quid in eos iuris habuisset, quàm occidentem versus nescio cuius alterius dominio ipsos implicare. Sed si de reb⁹ tam vetustis licet liberè loqui, Ianus ius dominii non potuit alteri resignare, vbi ipse ne ad plantam quidem pedis possessionem habuerit.

De temporibus Nahor & Iani.

Anno à mundi creatione 1896.
Anno à diluuio 240.
Anno à diuisione gentium 108.

ITERVM eadem historia Babylonica Sarmatiæ Europeæ mentionem facit his verbis: Araxa cum filio Scytha paulò ante creato omnium gentium Sagarum rege Sabatio Saga, ipse occupauit omnem partem occidentalem ab Armenia vsque in Sarmatiam Europeam &c. Vnde liquet Berosо Asiaticam Sarmatiam notissimam fuisse. Quia ad differentiam huius vocat Sarmatiam Europeam. Hæc ideo addo, quod quidam authoritatem huius

An Berosо nota fuerit Sarmati a Asiatica.

tatem huius scriptoris hoc nomine cõuellere nituntur, quasi fines Europeæ Sarmatiæ ponendo ad Tanaim, ignorarit Asiaticos Sarmatas. Massagetarum etiam, qui à Mysiis & Getis Sarmaticis populis dicuntur, in id tempus origo reiicitur. *De Massagetarũ origine.*

De temporibus Nini, Beli filii

qui fuit tertius Rex Assyriorum.

Anno ab orbe condito 1910.
Anno à diluuio, 258.
Anno ante Christum 2090.

TERTIO iam & quidem magis significanter Sarmatarum mentionem facit historia Babylonica. Tuiscon, inquit, « Gygas Sarmatas legibus format apud Rhenum: & addit: « id ipsum agit Tubal apud Celtiberos & Sarmothes apud Celtas « &c. Apparet hinc ante politiam Mosis apud Germanos, Gallos, Hispanos, leges fuisse politicas promulgatas. Sed quærerem hîc: Quid opus erat Sarmatis ad Tuiscon em & quidẽ Gygantem proficisci, petitum leges, cum Sarmatia Europea propior fuerit multò Græcis, vbi Ianus regnabat, cui ipse Tuiscon subiectus fuit. Nã Berosus apertè dicit, Tuiscon em à Iano in eas oras fuisse missum, vt veluti Vasallus quidam Iani fuisse videatur. Quod autem Sarmatæ littus Ponti tum inhabitarint, eiusq; dominii possessores fuerint, ex sequentibus liquet. Dicit enim: Barzanem Sabatii filium regnasse vsque ad Sarmaticum Ponti littus. Vnde euincitur illo tempore sicuti mare ad ostia Istulæ, occidentem versus, ita ad orientem, Euxinum Pontum mare Sarmaticum simili ratione vocari solitum fuisse, sicuti & Ouidius vocare solet. Quo fundamento posito ineuitabiliter concluditur: quicquid intra hæc duo maria est, id veteribus Sarmatiæ nomine dici. Sed quid maria dicimus? cum etiam hîc & incolæ Rheni Sarmatæ vocentur a Berosо, quos ille legib. assuefaciebat. Quod autem eò loci Sarmatas illos, Scythas nonnulli recẽtiores vocant, istud in Berosо non habetur. Nisi fortè iuxta Plinii phrasim, etiam in Germanos, Scytharum nomen cadere putemus. Nam diligentius excutienti monumenta veterum liquet, in triplici potissimum significato nomen Sarmatiarum accipi. Primò Riphæos Sarmatas vocabant, vbi nunc Moschouia est: qui autẽ Germanis permisti erant, illi Rheni Sarmatarum nomine censebantur. Porrò qui in meditullio habitabant, nimirum inter vtramq; Sarmatiam & montes Sarmaticos, illi absolutè Sarmatæ voca- *Triplex Sarmatiarum significatum.*

matæ vocabantur. Informabat igitur legibus Tuiſcon ſuos Germanos, non homines noſtros. Nam Germanorum politia toto cœlo differt à politia noſtrarum gentium, quæ Lacedæmoniorum politiæ ſimilior eſt. Quod autẽ quidam, appellationes illas oppidanorum ad Margemburgum, quæ patrum noſtrorum memoria abolitæ ſunt, ad confirmandam Tuiſconis in ferendis legibus, autoritatem adducunt, id ridiculũ eſt. Potius ergo putarim illum morem reliquum manſiſſe ex gubernatione veterum Polonorum, qui fines ſuos ad Albim vſque fluuium quondam extendebant, ſicut à Dlugoſſo Miechouiẽſi, & à D. Cromero euidentiſsimis documentis probatum eſt, & à nobis vberius infra probabitur. Cõtigerunt autem hæc, quæ dicta ſunt de legiſlatione Tuiſconis, ante Abrahamum natum, propemodum 40. annis, quando Germani adhuc rudes erant, & ad erudiendum alios minus apti, vt Strabo de eis teſtatur libro 7.

De temporibus Abrahæ.

Anno ab orbe condito 1964.
Anno à diluuio 358.
Anno ante Chriſtum 2036.

QVARTÒ, ſit præterea alia mentio Sarmatarum in Beroſo
» his verbis: Anno 6. Semiramidis, apud Rheni Sarmatas
» regnauit filius Tuiſconis Mannus, & apud Ianigenas Ra-
» zennos, Veſta vxor Iani ſempiternum ignem cuſtodiendum tradi-
Semiramidis regnum. dit, &c. Ex Diodoro Siculo transferantur huc de regno Semiramidis Reginæ Aſſyriorum, quomodo iis temporibus floruit, & quibus modis ad regni faſtigium peruenerit. Fuit hæc vxor Nini Regis, fœmina magni nominis. Et videtur ſeculum illud occulto ſidere fœminis fauiſſe. Nam eodem tempore Iſis illa regina Aegypti, quæ poſtea Oſiridi nupſit, famam ſuam mirabilibus auxerat factis. Teſtatur hoc, Epitaphium ipſius, cuius Diodorus Siculꝰ meminit: Ego, inquit, ſum Iſis regina Aegypti à Mercurio erudita: quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet: ego ſum vxor Oſiridis: ego ſum prima frugum inuentrix: ego ſum Oſiri regis mater: ego ſum in aſtro canis refulgens: mihi Buſtia vrbs condita eſt, gaude gaude Aegypte, quæ me nutris. Addendum etiam hîc putaui, quæ afferuntur de antiquitate & celebritate duarum vrbium in Europa,
De antiquitate duarum vrbiũ Europæ Treuiri inquam & Tigurinorum. Treuiri & Tigurinorum vrbe, vt facilius intelligi poſsit, quis tum ſtatus Europæ fuerit, & quàm habitabilis. Marianus Scotus, qui Fuldæ floruit circa annum domini 1060. in Chronicis ſuis ad annum Abrahæ

num Abrahæ 16. hæc ad verbum annotauit: Hoc anno Trebeta filius Nini à Semiramide expulsus ex regno, Treuirim condidit, vrbem in Gallia, ante Romam conditam annis 1150. Reliqua de Treuiri & Tigurinorum vrbe ex quodam Germanico scriptore adiiciam. Tigurinæ vrbis Chronica vetustissima perhibēt, primis illis seculis Treuirorum vrbem, Tigurinorum arcem ac ciuitatem vocauisse & agnouisse sororem. Etenim testantur, 30. annis à Treuirorum vrbe condita, & quidem Abrahæ temporibus extructam esse, à Principe quodam istius tractus Thurico, in colle ad Limagum fluuium, vbi è vicino euoluitur lacu, arcem insignem & munitam, quæ à conditore dicta sit, Thuricensis, & Thuricum castrum. Populos certè eius tractus constat ex historiis & geographis, temporibus vetustissimis Tigurinos fuisse. Vnde postea ipsa ciuitas ad arcem extructa, & Thuricensis ab arce, & Thuregum denique & Tigurum, vtpote quæ Tigurinorum erat metropolis, est appellata, Germanicè verò dicta Zurich, voce à Thurico, (quem Thurich etiam nominare possis) modicè deflexa. Itaque iuxta Mariani supputationem, Thuricensis arx ante extructam Romam condita esset annis 1220 aut circiter. Ante natum Christum circiter annis 1975.

De temporibus Semiramidis.

Anno ab orbe condito 2000.
Anno à diluuio 341.
Anno ante Christum 2000.

Hîc Chronologi, primæ ætatis à condito orbe, finem faciunt. Iam enim 2000 anni sunt præterlapsi. Circa hæc tempora Noach exantlatis laboribus multis, visa iniquitate seculi, quod præcesserit diluuium, satiatusque formidine, pauore & periculis, quæ ipsi euenerunt, periclitanti in diluuio, vitam cum morte commutauit. *Noah moritur.* Hoc etiam tempore Osyris rex Aegyptiorum cum sorore adolescentula inuenit aratrum & artem agriculturæ, quam per vniuersum propagauit orbē. *Inuentio agriculturæ.* Hæc vera esse inscriptio columnæ cuiusdam, in Aegypto inuentæ indicat: pater, inquit, est mihi Saturnus. Sum verò Osyris rex, qui vniuersum orbem in Indorum & vsque ad Istri fontes, & alias partes vsque ad Oceanum percurri, nec fuit in orbe locus, quò non peruaserim. Diodorus libro primo. Hîc quidem expresse non fit mentio Sarmatiæ, sed quia Istri mentionem facit, additq; nullum locum in orbe reperiri, quo tunc non peruaserit ars illa agriculturæ, necessario inde elicitur, « *Osyris.* « « etiam in

ctiam in has regiones hãc artem tunc introductam fuisse, quia Ister fuit limes Sarmatarum. Agnoscant igitur nostri & recognoscant, beneficium se accepisse à meridionalibus populis, quod inde ad eos propagata est scientia agriculturæ. Sed vicissim meridionales acceptam ferre debent, septemtrionalibus scientiam curulem. Tradunt enim, quod Gomerus superiori seculo docuit suos Italos castra vel vrbem ex curribus cõponere. Et idcirco vrbs in Italia ab eis vey appellata est, vocabulo Sago, qui, veias plaustrum appellant. Notum est autem, vocabulum vus currum sonare in lingua Sarmatica. Non ergo Gomerus ab alia natione castra metandi scientiam ex curribus, accepisse credendus est, quàm à Sarmatis, qui hîc Scythæ catachristicè appellantur.

De origine œconomiæ et quæ ad œconomiam pertinent, expreßè sic Diodorus.

Osyris peragrando vniuersum orbem docuit ea, quorum inuentor fuit, tauros domesticare ad aratrum, arare, serere, plantare vineas & vinum conficere, & cereuisiam, vites adiungere palis & putare, vt Poëta

Vnciq; puer monstrator aratri
Prima Ceres ferro mortales scindere terram
Instituit &c.

Propter eam igitur subtilitatem ingenii, quod rex Aegypti domationem boum inuenit, bos Aegyptiis fuit sacratus & pro Deo cultus, quem apim vocauere. Cuius instituti æmulatione ducti Iudæi, cum in deserto essent, vitulum sibi conflauerunt, memoriale scilicet deorum Aegyptiorum, quos isthic manendo viderant & eis assueuerant.

Deus Aegyptiorum bos.

De potu cereuisiæ.

Orosius cereuisiæ Aegyptiacæ cõfectionem sic describit, vnde nostræ dissimilem fuisse constat. Vltimo inquit, omnes subito duabus portis eruperunt, larga prius potione vsi non vini, cuius ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo cœliam vocant. Suscitatur enim illa ignea vis germinibus madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermento sapor austeritatis adducitur. Qua de causa recitat scriptura sacra, ocium, saturitatem panis, vagas libidines hoc tempore in mundo màximè regnasse Et eam saturitatem magno prouentu prodiisse existimandum est, quòd eo tempore primùm agricultura & cultus vinearum inuentus fuit, vnde homines inpinguati & locupletati insolescere cœperunt.

Confectio Cereuisiæ Aegypt.

cœperunt. Hac etiam ætate regnauit Aralius apud Babylonios, apud Gallos Drius, à quo Druidæ illi sacerdotes instituti, apud nostros verò vicinos Tuiscones Hermion. Hac etiam ætate Amraphel ille Assyrius, floruit cum quo Abraham conflixit, Lotum vindicaturus Gene. 14. Hunc Amraphalem putant eo loci ZAMEIM NINIAM vocari à Beroso.

Postea Gyngæon, qui cum Sarrone Celtarum rege literarum studium, ad reprimendam hominum ferociam in parte occidua primus instituit: hic quidem Gallos, iste verò suos Tuiscones. Peleg etiam ille sub quo diuisio gentium facta fuit, hac ætate moritur cum esset annorum ducentorum triginta nouem.

De temporibus Iacob.

Anno à condito orbe 2110.
Anno à diluuio 510.

IMperitabat tum apud Babylonios Baleus Xerxes, id est triumphator: apud Tuiscones Marsus. Iam hîc desinit historia Babylonica Sarmatarum meminisse expresè. Hoc tempore tribus in locis Italia arsisse dicitur, vnde de Phaëtonte fabula nata est, qui tum apud Ligures regnabat. Istis temporibus Iacob Patriarcha vixit & Iob, quem Deus laudat vehementer. Nonus rex Babylonis fuit Amatritus: decimus Belochus, quo tempore etiam Gambriuium apud Tuiscones regnasse fertur, qui à corona nomen Gambri habere dicitur. Primus enim hic inter reges Tuisconum coronatus esse dicitur. Vndecimus Babylonis rex Baleus: apud Tuiscones seu Germanos Sueuus. Nauium vsum tunc inuentum esse ad maria transfretanda prædicant. Sed Noë periclitatio tempore diluuii, antiquiorem fuisse arguit.

De temporibus duodecim patriarcharum: ante Mosen centum annis, post mortem Iacob duodecim annis.

Anno à condito orbe 2269
Anno post diluuium 569
Anno ante Christum 1701

HIc quoque Sarmatarum nomen expresè non ponitur, sed tamen princeps eius stirpis Vandalus nomine commemoratur. Ab hoc quidam Germanici scriptores Slauonicæ gentis

cæ gentis nationes deducunt. Ex quibus quidam non postremus in hoc genere, ad eum modum scribit: Vandalus apud Tuiſconas regnauit hoc tempore. Hinc Vandalorum gens, quæ lingua Slauonica vtitur, denominata est, ex quib. nunc multæ maximæq; gentes diuisæ sunt, Poloni, Boëmi, Slauoni, Croaci, Vandali ad Marchiam Brandeburgensem. Hæc ille, quæ si vera sunt, iam triplici modo stirps nostrarum gentium à Iaphet deduceretur. Primò per hunc Vandalum, quem ex Tuiſconis posteritate esse volunt: & hoc ante Mosen euenit. Deinde per Paphlagonas, qui secuti sunt Antenorem post bellum Troianum. Tertiò per Alanum, quem dicunt nonnulli nostratium, primum ex Asia colonias deduxisse ad nostros homines, sed tempus eius rei non assignant.

At iam aliquoties monstratum est, hanc opinionem non posse cum scriptura consentire, quæ affirmat diuisionem gentium, factam esse secundum numerum patrum, nepotum Noë, & secundũ numerum linguarum. Potius igitur dicemus, hunc Vandalum fuisse regem peregrinum, accersitum à Tuiſconibus ex gente Sarmatica. Nam liquet ex Berosо, cum iam ad inclinationem spectaret regnum Tuiſconum, peregrinos reges accersitos fuisse, idque iam ex Sarmatis, iam ex Græcis. Mox enim subiungit Marsum etiam, & Herculem ipsis imperitasse, quæ nomina indicant hos principes, Græcos fuisse, aut vtramque gentem Teutoncam & Sarmaticam alternatim, iam ex Teutonibus sibi reges delegisse, iam ex Sarmatis, vt ex æquo imperitare viderentur. Ad extremum propter disidia ciuilia, Græcos extraneos accersiuisse, quæ res postea regno eorum exitium & finem accelerauit. Nam Berosus statim post commemorationem istorum, historiam huius gentis texere desiit, tacitè innuens ob exilitatem non fuisse dignos qui amplius enumerarentur.

Huic enumerationi Tuiſconicorum regum, opponunt scriptores rerum Polonicarum suum Catalogum priscorum regum Slauonicæ gentis: Philaram, inquam, Alanum, Anchisen, Pamphilum, Reasilinam & Alanum Secundum, quem primum ex Asia in Europam commigrasse ferunt, vt iam dictum est, eique quatuor filios fuisse ferunt, qui nomina gentibus certis dederunt, ita vt à Vandalo Vandalorum gens, à reliquis Russi, Bohemi cognominati sint. Sed quid sentiendum sit de hac traditione antiquorum, inferius lectorem, admonebimus.

Series principum Sarmaticorũ antiquissimorum.

De Sarmatis & eorum origine.

Dixi

DIxi de Sarmaticis rebus sparsim superius, nunc earum anacephaleosim faciam. Nullum est dubium populos nostros, ac omnes eos qui Slauonica lingua vtuntur, Sarmatas vocari à veteribus. Vocis autem etymon non eodem modo omnes deducunt. Quidam Sarmatam, ducem altitudinis exponunt, quia montium istorum altissimorum legitimus possessor statim ab initio fuerit, vel quia regiones septemtrionales incoluerit, quibus Mathematici altitudinem supremam adscribunt. Alii viperinum aspectũ ex Græco interpretantur. Græci enim non Sarmatas sed Sauromatas vocant, σαῦρος autem eis viperam significat, eo quòd terrifico aspectu prædíti erant, quodq; perculerunt fortasse quondã metu & formidine belli Græcos homines. Sed Sauromatas veriùs dixerim vocari Asiaticos Sarmatas. Nam nostri homines iudicio omnium, nequaquam improbo aspectu prædíti sunt, sicuti de Asiaticis populis vt plurimum id verum esse creditur. Originem autem Sarmatarum, ab Asarmoth deducere sacris literis cõpellimur. Sed & Iosephus gentium origines exemplo Mosis describens, affirmat singulas gentes è singulis Patriarchis cognomina sua trahere. Et postea latius hoc idem explicat, tempus originis earum statim ab illa fatali diuisione & dissipatione, quæ contigit ad turrim Babel, edisserens. Quæ si omnia simul conferantur, amplam materiam suppeditare possunt, encomia gentis nostræ canere volentibus. Nam si tempus spectes, temporibus aurei seculi Saturno scilicet apud Babylonios regnante orti sunt: si Patriarchæ dignitatem, ille ex stemmate Sem, maioris natu prodiit, per quem saluatoris genealogiam ducere spiritus sancti consilium fuit: si capacitatem & amplitudinem regionis, fluminum, & maris, portuumq; multitudinem, certè commoditates tantæ reperiuntur in iis terris, vt cum omnibus præcipuis gentibus, certare posse videantur. Quod verò attinet ad cœli clementiam, certè vbi Polonia & Boëmia est, eam talem esse experimur, vt nec frigoribus supra modum intensis, nec caloribus Africanis obnoxia sit, sed mediocritate gaudet tali, qualem sibi & ad tuendã valetudinem, & voluptates concessas retinendas quispiam optare possit. Iam politiam si quis expendat, hæc non tam est ad delitias cõparata, quàm ad eum finem, vt quàm diutissimè durare possit, habeatq; semper militem exercitatum, durato corpore, agilem ad tractanda arma, non deliciis diffluentem, sed semper agrorum cultu & venationum sollicitudine ita assuefactum, vt tẽpore belli inediam, labores militares, ferre possit. Fuerunt in mundo Monarchæ & domitores orbis, Cyrus, Darius, Alexander, postmodum Romani. Nullus tamen horum quicquam

Etymon vocis Asarmoth.

Laus Sarmatarũ à circumstantijs loci & temporis.

quicquam iuris vnquam habuit, in Sarmatiam, nullus est dictus Sarmaticus, sicuti à deuictis aliis gentibus non rarò sunt denominati. Vnde cognomina nata sunt, Asiaticus, Africanus & etiam Germanicus. Sarmaticum autem qui sese diceret, nunquam est inuentus. Rationem eius rei malo verbis Nasonis explicare, de Sarmatis Getisque ita dicentis:

Nullus Imperator Sarmaticus dictus.

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonij militis arma timet.

Hæc ad laudem politiæ Sarmatiarum, quæ Lacedæmonum similima est, referantur. Interim fatemur, nullam politiam in mundo reperiri posse, quantumuis laudabilem, quæ careat suis næuis. Partes Sarmatiarum, à regionibus & cognominib. possunt enumerari. Nam alia est Sarmatia Asiatica, alia est Europæa. Rursus Europeorum alii fuerũt Rheni Sarmatæ, vt Berosus vocat, alii Riphæi Sarmatæ, alii Tyrigetæ Sarmatæ, vt Ptolomęus vocat, alii Iaziges Sarmatæ, vt Strabo, alii Acarocantæ, qui in aula Cõstantini fulserunt. Alii Regii, forsan Mithridatis. Quanquã & antiquos Sarmatas reges habuisse suos, testantur scriptores nõ obscuri vt infra patebit. Peculiariter autem quidam ex eis Sarmatæ absolutè absq; adiectione cognominis dicebantur. Qua ratione nostros, qui ad montes Sarmaticos habitabant vocatos non rarò reperias. Vtrum autem Asiatici à nostris an nostri ab Asiaticis orti sint, differit primarius scriptor Polonicæ historiæ. Et videtur in eam sententiam inclinare, vt credat nostros ab Asiaticis prodiisse. Et rationem eius rei adfert: quia inquit, omnes coloniæ deductæ sunt ex Asia in reliquas orbis partes. Sed eius sententiæ reclamat Berosus, qui cum Tuiscone statim à primordiis eo delatas fuisse Sarmatas affirmat. Reclamat & Diodorus Siculus, qui asserit, ab Olbio quodam postea, temporibus videlicet Gedeonis, fundatam fuisse Asiaticam Sarmatiam. Vnde Ptolomæus Olbiæ mentionem facit in Sarmatia Asiatica.

Diuisio & partes Sarmatiarum.

Cromerus in Prolegomenis.

Sarmatæ Europei non sunt orti ab Asiaticis.

Sarmatas non esse stirpis Germanorum, eruditè D. Cromerus demonstrat, & euidentissimis argumentis potest demonstrari ex Cornelio Tacito, ductis argumentis à moribus, vestitu, lingua, armis, legibus, politia, sicuti ex annotatione inferius patebit.

Sarmatas non esse Germanos.

Sarmatas etiam non debere confundi cum Scythis, iisdem argumentis probari potest, ductis à moribus, vestitu, lingua, armis, legibus, politia & authoritatibus antiquitatis, finiumq; descriptione. Nam regiones à Tanai vsque ad Rhenum, Sarmatæ nõ Scythæ possidebant, vt ex Berosо & aliis historicis, & Cosmographis liquet.

Sarmatas non esse Scythas.

De tem-

De temporibus Mosis.

Anno ab orbe condito 2375.
Anno à diluuio 775.
Anno ante Christum circiter 1625.

A Principe Pelek sub quo diuisio gentium facta est, ad Mosen vsque numerantur 628 anni. Intra hoc spacium temporis, iam genus humanum multiplicatum fuerat, & coloniæ in vniuersum orbem deductæ. Iam Aegyptii auspicati erant suum regnum. Iam Nimrod ille cœperat esse potens in terra, iecerat q; fundamẽta vrbis & imperii Babylonici. Iam Zoroastres prin *Zoroastres.*
ceps ex stirpe Sem filii Noë maioris natu, non modò regnum Bactrianorum sibi stabilierat, sed etiam Nino regi de finibus bellum mouerat. Huius principis mentionem libenter facio, non ea tantùm de causa, quòd vicinus fuit nostris gentilibus Sarmatis Asiaticis, & de stemmate nostri Patriarchæ Sem, sed etiam quòd fuerit inter principes ætatis illius facilè princeps. Antiquior est hic Mose, nam ferè quadringentis annis præcessit eum. Hic primus fuit Mathematicorum studiorum inuentor & doctrinarum physicarum, vt autor est Plinius. Adde quod etiam Iapheti posteritas iam regna sua dilatauerat. Nam vt cæteros taceam, de Tuiscone conditore gentis Germanicæ ferunt, quòd iam ad occidentem processerat, & vrbes aliquot in Galliis & Germania excitatæ erant. Consimilia Berosus scriptor peruetustus de Sarmatis Poloniæ inhabitatoribus prodidit, quòd iam eodem ipso tempore occidentem versus progressi erant, finesq; regni sui incipientes à flumine Tanai, Rhenum versus extenderant. Sed de Berosо, eiusque descriptionibus Germaniæ pariterq; Sarmatiæ infra luculentius suo loco dicetur. Diuini Mosis testimonium ea de re, meritò nobis maioris authoritatis quàm cuiusquam alterius esse debet. Cùm enim is nominet nepotes Noë, illos inquam heroes antiquos Heber, Misraim, Nimrod, & alios, id ita intelligendum est, ac si nominasset regna ac populos qui ab eis iam deriuati & propagati erant, & hoc potissimum intelligi velim de regnis, populisq; homonymis patronimisq; seu quæ nominibus suis referunt resonantq; Patriarcharum suorũ appellationes. Cum enim enumerasset filios ipsos, *Genes. 11.*
& nepotes singulos secundum cognationes suas, concludit: ab *Deute. 32.*
istis, inquit, diuisæ sunt gentes in terra post diluuium. Quæ, in- *Actor. 17.*
quam verba cogunt omnino lectorem, vt sicuti Assyrii ab Assur, Chananæi à Chanaan, Iones à Ianan, Tudescones, id est, Germani

ab Aſcanetz appellantur, ita Sarmatas ab Aſarmoth dictos eſſe fateatur,& habuiſſe incrementum regni ſui iam ante Moſen, illo inquam interſtitio temporis, à diuiſione gentium vſque ad Moſen. Neque enim Moſes ita de iis gentibus locutus eſt,quaſi antea fuiſſent, poſtea autem eſſe deſierint, ſed quarum antea ita durabiliter iacta erant fundamenta vt ad eius vſq; ætatem pertigerint,quęque erant ita conſpicuæ, vt à quouis demonſtrari digito poſſent. Et hoc præcipuè de Sarmatis intelligendum eſt, quorum & ante Moſen ſtatim Beroſus,& poſt Moſen Mantanes Aegyptius hiſtoriam complexus eſt. Atque ita iam habemus hiſtoriam continuatam de regno Sarmatico ab ipſa diuiſione gentium vſque ad Moſem per annos ſeptingentos & aliquot,qua etiamſi breuis ſit,debemus eſſe contenti. Cætera quæ ad id tempus referenda ſunt ex annotatione cognoſcentur.

Ad lectorem prologus apologeticus.

Fateor quidem, cum ab initio hoc opus ſcribere inſtituiſſem, me ex authoribus tantùm materiæ adepturum nequaquam exiſtimaſſe, quantum negotii iſtius magnitudo requirebat: ſed poſtea præter ſpem multa occurrebant, quæ ad illuſtrandum hoc totum negocium ſeruiebant, quæ mihi omittenda non videbantur. Proinde ne lectorem expectatione ſua fraudarem,per modum annotationum quædam ſubiicienda duxi. Abhorreo ab omni oſtentatione ſtyli. Proinde non elaboraui, vt me ſtylo aliquid valere demonſtrarem,ſed vt ſeriem hiſtoriæ Polonicæ tanquam filum per vniuerſas viciſſitudines temporum veriſimè extenderem.

Annotationes.

Temporibus Moſis apud Babylonios regnabat Sparetus,apud Aegyptios Cenchres Pharao,de quo Beroſus ita dicit: in Cenchre finierunt reges magni Aegyptii, qui cum Hebræis de magica pugnauit, & ab eis ſubmerſus fuit. Eodem tempore apud Italos Blaſcon,cuius vxor Roma.

Circa eadem tempora fertur regnaſſe apud Celtas Lugdunus, à quo Lugdunum eſt cognominatum. Inachus verò apud Athenienſes,Cecrops apud Lacedęmonios. De Zoroaſte Bactrianorum rege mouent hîc quæſtionem annalium annotatores, an ſub Nino regnauerit, ac bellum propemodum primum in mundo cum eo acerbum & funeſtum duxerit, vt vult Diodorus Siculus, Iuſtinus, Oroſius & plerique: an verò cum Ninia Nini filio hoc geſtum ſit, vt vult vnus inter omnes Beroſus. Iudicium hîc lectori permittitur. Potior tamen pars cum Beroſo ſentit, vtpotè cui omnium perſpectiſſi-

Quæſtio de ætate Zoroaſtis.

ſpectiſsima erat hiſtoria patriæ ſuæ. Hoc tempore lucorum plantandorum ſuperſtitio gentilis nata eſt, Crano Ianigena primo eius rei autore, Abrahami nimirum tempore. Zoroaſtis iſtius quædam ſcripta hactenus celebrantur. Ne autem cui mirum videatur apud Scythicas gẽtes inſtituta hiſtoriæ prius floruiſſe quàm in aliis gentibus. Cato certè de originibus in ſecundo fragmento, affirmat Scytharum annales vetuſtiores fuiſſe, quàm aliarum nationum. Ideo Beroſus Chronica Scytharum allegat, inquiens: iuxta id in noſtra Chaldaica & primordiali hiſtoria Scythica, fideli memoria conſeruatum eſt.

Lucorum origo.

Anno Moſis circiter ſexageſimo floruit Mercurius Triſmegiſtus Aegyptiorum Philoſophus admirandus. Extant adhuc quædam eius ſcripta, quæ fuiſſe eum diuinarum & humanarum ſcientiarum peritiſsimum demonſtrant. Sub idem tempus frutex oliuæ primum Athenis in arce, & forſan in tota Europa ortus eſſe prædicatur.

Mercurius Triſmegiſtus quando?

De temporibus Ioſue.

Anno ab orbe condito 1495.
Anno exitus ex Aegypto 40.
Anno ante Chriſtum 1505.

IAM hîc deficit hiſtoria Babylonica, ſed tamen ex Moſe ſupplere defectum oportet ne filum hiſtoriæ rumpatur. Nam ſicuti poſt exitum ex Aegypto dixerat, diuiſionem gentium factam fuiſſe iuxta numerum linguarum & ſeptuaginta patrum, ita moriturus ſub finem vitæ ſuæ eandem hiſtoriam diuiſionis repetens inquit: Memento dierum ſeculi, intellige annos generationis, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi. Quando diuidebat altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, ſtatuit terminos populorum ſecundum numerum filiorum Iſraëlis, poſitis finibus habitationis eorum. Ad quæ verba ſi addas verba illa Dauidis: Terminum poſuiſti eis, quem non tranſibunt, tunc apparebit diuiſionem gentium & fundationem nationum duraſſe toto eo tempore, vſque ad illam metam quando Ioſue ſupremum adiit magiſtratum, adnumeratis quadraginta annis peregrinationis in deſerto, quibus Moſes præfuit populo Dei. Ergo ſicut aliarum nationum, ita & Sarmatarum limites in ſuis metis, temporibus Ioſue durauerunt. Moſes enim hæc verba protulit ſub mortem ſuam, quando ſcilicet Ioſue ad gubernandum populum Dei inauguratus fuit. Eſſe autem veriſsimam hanc demonſtrationem regni

« *Deutero.32.*

Sarmatiæ, etiam prophanorum ſcriptorum authoritate comprobari poteſt. Scribit enim Manethon Aegyptius in ſua hiſtoria in ſupplemento Beroſi, ſub idem tempus apud Celtas Gallatam iuniorem regnaſſe, qui, inquit, Sarmatas depulit. Sic Diodorus Siculus libro ſexto eadem de re tradit, illiusq; belli rationem latius deſcribit, quod ſtatim ſub tempora Ioſue fuiſſe perhibetur, quanquam alii ad tempora Gedeonis illud reiiciunt. Sed de ſupputatione temporum fateor me minus ſollicitum fuiſſe, propter occupationes, quibus neceſſariò diſtinebar. Satis autem mihi erit, vt iam toties repetii, ſi ſeriem hiſtoriæ Sarmatiæ ac proinde & Poloniæ inueſtigauero. Sed dum Europeæ Sarmatiæ recordor, neque Aſiaticæ omnino obliuiſci poſſum, quam Diodorus Siculus hoc ipſo tempore aut paulò poſt fundatam fuiſſe ab Olbio patre Gallatæ affirmat. Commemoratur autem nomen Olbiæ in deſcriptione Aſiaticæ Sarmatiæ à Ptolomæo Geographo. Si quis autem & res addat, quæ ſub hæc tempora apud vicinas gentes euenerunt, non mediocriter adiuuabitur ad intelligendum eius temporis ſtatum rerum Sarmaticarum. Hoc etiam tempore non multò poſt, terræ iſtæ occiduæ & prouinciæ, Sarmatiæ nomen conſecutæ ſunt ab Europa illa, quæ ab Ioue compreſſa eſſe fertur. Sed non nouum eſt gentib⁹, ſcortationes, ſtupra, & alias incõceſsas libidines regum, Iouis titulo tegere. Eodem tempore apud Turenos, id eſt, Tuſcos Italos Oſcus regnauit, cuius inſigne ſerpens fuit. Inſigne eſt hoc maternum glorioſiſsimæ fœminæ reginæ noſtræ, vxoris Stephani primi, à quo Oſco forſan originem & antiquitatem ſuorum inſignium oſtendere poteſt. Hoc eodem tempore Illus regnauit apud Troianos, à quo Ilion Troia vocata. Nam tempore Ioſue regnum illud initium habuit.

Diodorus Siculus lib. 6.

Sarmatia Aſiatica.

Reginæ Poloniæ materna inſignia.

De temporibus Samſonis.

Anno ab orbe condito 2790.
Anno ab exitu 337. *Iubileo 6.*
Anno ante Chriſtum 1210.

ARgonauticam expeditionẽ præcipuorum principũ Græciæ, omnibus ætatibus apparet fuiſſe celeberrimam. Hæc refertur ad tempora Samſonis, qui fuit coëtaneus Herculis. Eratq́ue illud æuum ferax fortiſsimorum virorum, & ingeniorum, ad bellum & ad artes idoneorum. Nam ſub illud tempus floruit Sampſon & Hercules, viri fortiſsimi, floruit & Linus præceptor Herculis, & Orpheus clariſsimi & antiquiſsimi Poëtæ, cuius opera

opera & auſpiciis literas & artes tranſtulit Cadmus rex ex Phœnicia & Aſia in Græciam, adeoque vniuerſam Europam. Sic Phineas Poëta clariſsimus eodem tempore floruiſſe apud Henetos, ex quibus gens Polona originem ex parte ducit ab Apollonio prædicatur. Et erant quidem ante hanc expeditionem alia bella Græcorum, bellum nimirum Athenienſium cum Thracibus, duce Erichtæo Athenienſi: bellum Perſei cum Perſis, quo nomine & imagine cœleſti donatus eſt ab antiquitate, eò quòd Gorgonas interfecerit in Lybia. Sed hoc Colchicum fuit clariſsimum inter illa, eo quod præcipuum Græciæ robur, illhic collectum fuit, & à clariſsimo Poëta Orpheo carmine decantatum, ſicut & illud bellum Titanum, quod conforme illi eſt, quod in ſacris literis de ædificatoribus turris Babel proditum eſt. Sed de illis bellis non ita refert nos commemorare, ſicut de hoc Colchico, cuius narratio reuocat nobis in memoriam, gentes pariterq; & regiones, quæ ad nomen Sarmaticum legitimo iure pertinent. Imò & Colchis ipſa inter regiones Sarmatiæ Aſiaticæ connumeratur à Geographis. Quod autem in hac hiſtoria interdum non ex profeſſo geſta recitantur Sarmaticorum populorum Europæ, de eo iam præfatus ſum, me videlicet interdum optimo iure velle etiam vicinarum gentium, geſta attingere, vt noſtrarum rerum commemoratio inde magis eluceſcat & auribus gratior reddatur, iuxta illud: Quæ ſingula non iuuant, coniuncta multa iuuant. Quanquam in eodem carmine Apollonii duarũ etiam gentium Sarmaticarum fit mentio, Henetorum inquam, qui poſtea in ſupplementum Sarmatis ceſſerunt, & principis Moſchorum, qui eadem lingua vtuntur, qua & Sarmatæ, & fines noſtri à Mediterraneo mari vſque ad occidentale & Venedicum ſinum finibus eorum cohærent. Quin & regiones, quibus antea imperitabant, & quibus nunc cum imperio præſunt, antiquitùs teſte Ptolomæo & aliis Geographis ad Sarmaticũ nomen pertinebant. Vocatur enim illa gens Rhiphæi Sarmatæ. Nam ſicuti Germaniæ nomine includuntur multa regna, & ducatus, Francones, Heluetii, Sueui, Saxones &c. Ita Sarmatiarum nomine comprehenduntur omnia dominia, quæ intra & vltra montes Sarmaticos & mare Sarmaticum continentur. Et ſicuti ea quæ priuato nomine egerunt vel Sueui, vel Francones, aut etiam Saxones, meritò ſibi vendicant Germani, eodem iure omninò ea quæ nationes Slauonicæ linguæ vnquam in hiſtoriis patraſſe ſcribuntur, merito Poloni ad ſe pertinere & de iis gloriari poſſunt. Non video igitur, quomodo à poſſeſsione eorũ, quæ in Colchica hiſtoria ſiue de Henetis ſiue de Moſchis dicuntur excludi poſsimus.

Expeditio Colchica vnde celebris reddita.

Conſilium authoris in deſcribenda hac hiſtoria.

Moſchi cur Rhiphæi Sarmatæ dicti.

Sed est aliud, quod nos excitauit ad refricandam memoriam expeditionis Argonauticæ, nimirum, quod plures Coloniæ ex Colchis ipsis deductæ sunt in regiones Sarmaticas. Fuit quondã vrbs notissima, Nasonis Poëtæ carminibus & exilio celebris, Thomos nuncupata: non procul ab Insula Paucen in ipsis ostiis Istri, quæ ideo sic dicta, quod in eo loco Medea regina dissecuit membratim fratrem suum Absyrtum. Hæc olim à Sarmatis & Getis inter quos Ouidius exulabat, inhabitata fuit. Chilia nunc forsan vrbs eo in loco inædificata est. De hoc miserabili reguli Colchorum casu Naso carmine commemorat. Inde Thomus, (inquit) locus est dictus, quia fertur in illo, membra soror fratris consecuisse sui. Sic Polam celebrẽ vrbem in Illyrico vel Istria, ab iisdem Colchis colonias suas deduxisse historici memoriæ prodiderunt, à qua Pola tandem Polonorum ducem Lechum prodiisse, nomenq; suis dedisse pleriq; putauerunt. Sed non modò Polam vrbem, sed totam fere Istricam gentem ab iisdem ortam esse Stephanus author est. Fama enim tenet Aëtam regem ad Argonautas persequendos Colchicum exercitum misisse, qui vt à Ponto ingressi sunt Istrum, nec raptores aurei velleris inueniissent, siue tædio longioris periclitationis in mari, siue illecti amænitate loci, sedes istic suas fixerunt. At non modo prouincias & vrbes, sed etiam ipsos duces & Reges gentium Geticarum Sarmaticarumq; palam gloriatos esse se ortos ab illis progenitoribus, inferius docebitur, vbi de Amelfreda Vandalorum regis vxore, historia recitabitur.

Thomos vrbs.

Pola vrbs Colchica.

De quatuor gentium historia,

videlicet, Getarum, Illyriorum, Amazonum, Moschinorumq; : & an ad Sarmaticæ historiæ negocium illustrandum commodè possint, circa tempora Samsonis, adaptari.

Gothi Sarmatica gens.

GETAS qui postea dicti sunt Gothi, Sarmaticam gentem fuisse, linguaq; Sarmatica, quæ eadem est cum Slauica vsos esse probauimus certissimis argumentis, vbi de origine Gothorum tractatum instituimus adductis, argumentis tot & tantis, quæ nulla sophistica conuelli possunt. Et vnde nam error ille promanarit, quod Scandiæ populi gloriantur se non modò esse Gothos verissimos, sed etiam Gothorum progenitores ibidem declaratur, ita vt ea de re deinceps nullam fore dubitationem sperem. Sic de Illyriis, consentienter tradunt Historici, Lechum ad redintegran-

redintegrandas Sarmatiæ ruinas vnà ſecum colonias adduxiſſe, Venedorumque nomine illas ſicuti & nos appellari. Clarum ergo & manifeſtum eſt nos in illos, & viciſsim illos in nos aliquid iuris habere, ſicuti paulò ſuperius demonſtratum eſt, & infrà vbi tempora Mithridatis perſequemur, latius commonſtrabitur. De Amazonibus, cum hæ Aſiaticorum Sarmatarum vxores fuerint, & Capadociæ regiones, vbi Moſchinorum ſedes fuerunt, inhabitarint, nemo non videt, quod eorum commemoratio in rem hiſtoriæ Sarmaticæ plurimum faciat. Monſtrantur etiam in Boëmiæ finibus arces quædam, quæ Dzievvczyhrad, id eſt, puellares arces vocantur, vbi ſedes quoque ſuas habuiſſe feruntur: quæ mulieres ſiue veteres Amazones fuerint, ſiue veterum progenies, teſtantur ſaltem nomina illa, eas etiam in iſtis regionibus ſuas colonias habuiſſe. De Moſchis verò an in Sarmatiarum numero collocari debeant mox apparebit. Redeamus iam ad conſignationem hiſtoriæ Sarmaticæ, quæ in Getarum geſtis notior apparebit. Narrat igitur Iornandes Seſoſtrim regem Aegyptiorum bellicoſiſsimum iſto tempore Getarum regi Tannaſi bellum mouiſſe, in eiuſque regnum irruiſſe: ſed qua audacia irruerat, eadem non modò repulſus eſt, ſed etiam fugatus uſque in Aegyptum, & niſi amnis intranſmeabilis fluenta obſtitiſſent, Seſoſtris in ſuo ipſius regno oppreſſus fuiſſet. Attamen Partorum regnum & alias prouincias, quas armis Aegyptius, in poteſtatem ſuam redegerat, Getæ in reditu depopulati ſunt, maioremque Aſiæ partem occuparunt, de qua Getarum expeditione etiam Valerius Flaccus meminit. Nomen Seſoſtris latinè eſt, ponens exactores, vel direptor: ſub hoc enim rege Aegyptii regni potentia valdè creuerat. Hic multas vicinas gentes domuit & latè in Aſia regnauit, & nauigiis luſtrauit maria, inſulas & littora, quorum cognitio initium fuit doctrinæ Coſmographicæ. Quo ſucceſſu rerum geſtarum inſolentior factus, etiam reges captiuos ad currum triumphalem, vt eum traherent iungere ſolebat. Is etiam conſilium cœpiſſe narratur vt iungeret Oceanum meridionalem cum mari mediterraneo, & iam foſſam grandem ad eam rem præparare ad mare Erythreum inceperat, niſi conſilium eius temerarium Deus auertiſſet. Quam autem ſpectabilis & venerandus apud ſuos fuerit, teſtatur reſponſum illud Sacerdotis Aegyptii ad regem Darium. Nam cum Darius vellet ſtatuam ſuam collocare ante Seſoſtris ſtatuam, à Sacerdote prohibitus eſt, hac ratione, adiecta: quia Darii magnitudinem rerum geſtarum nondum adæquaſſet. Hanc libertatem Sacerdotis Darius collaudauit. Hæc ideo refero, vt quantò magis Seſoſtris in cœlum

Illyriorum cognatio cum Sarmatis.

Amazones Sarmaticæ.

Tannaſi Regis Getarum bella cum Seſoſtri Aegyptio ſub idem tempus.

Seſoſtris audenda facta.

in cœlum vsq; à suis laudib. effertur, tantò conspectior fama Sarmaticorum Getarum, qui eum vicere reddatur. Sub hoc idem tempus Samsonis, Argonautarum illa celebris expeditio à quibusdam, magno argumento refertur, quę, inquam, expeditio susceptа fuit causla adipiscendi aurei velleris, ac ex istorum ducum Argonauticorum stirpe originem suam Gothorum principes illi, qui armis suis Italiam attriuerant, deducebant, quo nomine Annales Hutorum cognomen sibi indiderant, ex qua etiam stirpe domus Austriaca originem suorum natalium ducit. Ex Gothis enim qui in Hispania post illa Italica bella hæserant, etiam ipsi prodiisse narrantur, de qua re inferius luculentius narratio hæc absoluetur. De Illyriis iam quędam dicta sunt, & infra vberius dicetur. Iure enim sibi vendicant originem stirpis Cholchicæ, in id multis & præcipuis authoribus consentientibus. Iam quod ad Amazones pertinet, etiam harum origo in id tempus reiicitur, de quib⁹ apud Iustinum multa digna notatu leguntur.

Victoria Sarmatarum de Scythis parta.

Ad eadem tempora referenda puto ea quę Diodorus Siculus libro 2. capite 11. de victoria Sarmatarum, parta de gente Scythica, eorumq; regno subacto refert. Cum enim de origine eorum complura attulisset, exposuissetq; quomodo Scytha dux primus natus fuit ex Ioue & virgine quę fuit vmbilicotenus homo, reliquum verò eius viperæ speciem retulit: hanc matrem Scytharum ex terra suapte sponte natam fuisse tradit. Tandem subiungit: Sub his inquit regibus, Saca, nimirum, & Massageta ex prouinciis à se bello subactis coloniæ deductæ sunt: sed duæ maximæ: altera ex Assyriis, inter Paphlagoniam ac Pontum posita, ex Media altera ad Tanaim flumen, cuius populum Sauromatas appellarunt. Hi multis post annis imperio latè diffuso, magna ex parte vastata Scythica, eam penitus desertam cultoribus reddiderunt.

De Moschis luculentior narratio.

Moschorum nomen dicunt significare extendentem arcum. Hos populos Riphæos Sarmatas scriptores vetusti vocant. Et hac lege puto eorum descriptionem plurimum etiam pertinere ad cõplementum historiæ Sarmaticæ. Adde quòd Moses describens origines gentium etiam Mosoch filii Iaphet nepotis Noë & aui Asarmoth mentionem facit, cum quo forsan nepos scilicet cum auo suo occupauit has regiones. Sic in libro Paralip: eiusdẽ mentio repetitur. Et lamentum Dauid in Psalmis: Hei mihi quod exulo in Mesech, eodem detorquent quidam, ac si feritas gentis his ver-

De Mosoch ex sacris literis.

Paralip. 1.

his verbis à propheta notaretur. De prophetia Ezechielis, vbi hoc nomen Moſoch quoque commemoratur, inferius dicemus. At nõ modò ſacræ literæ, ſed & prophani ſcriptores huius gentis mentionem faciunt circa eadem tempora Samſonis. Apolonius enim in carmine Argonautico, cuius Orpheus poëta antiquiſsimus autor eſſe dicitur, mentionem facit Moſchinorum, eoſque non ſine nota barbarici commemorat, innuitque eos dictos eſſe Moſchinos à caſis ligneis, quarum nomen fuit μοσσῦνοι, forſan quòd virgeas caſas habitabant. Sed verbis poëtę ſi addas expoſitionem Strabonis, tunc melius vim nominis de quo dicimus intelliges. Quidam, inquit Strabo, eorum in arboribus aut turriculis habitant, quæ cum Moſyni dicantur ipſis Moſynæcorum appellatio inde obtigit. Iam ſicuti Sarmatia duplex ponitur, ita Moſchouia quædam ſeptemtrionalior, & quædam meridionalior, ad fluuium Thermodontem in Cappadocia, ſtatuitur. Hæc Mazaca dicebatur, vſque ad Claudii tempora, qui eam Cæſaream deinceps vocari voluit. Sed & hoc nomen ei iterum ademptũ fuit ab Imperatore Iuliano. Meminit & Strabo & Ptolomæus montium Moſchinorum, quod & in tabulis eius videre eſt in deſcriptione Cappadocię: ſed quia Strabo prolixius huius gentis mores & habitacula deſcribit, aſcribere hîc eius verba non me piguit: Per hos, inquit, tranſit mons aſperrimus Scydiſſes, (Ptolomæus Scordiſcum vocat) qui coniungitur Moſchicis montib. qui ſupra Colchidem ſunt. Extrema eius tenẽt Heptacometæ quos ſeptem paganos vertere licet. Sequitur Pariadres, qui vſque ad minorem Armeniam à locis Sidenæ & Cappadociæ finitimis porrectus, orientale Ponti latus conficit. Vniuerſi qui montana iſta incolunt plane ſunt feri. Sed ſeptempaganorum feritas omnium reliquorum ſuperat feritatem. Nam eorum quidam etiam in arboribus, aut turriculis habitant, quæ cum Moſyni dicantur, ipſis Moſynæcorum appellatio inde obtigit. Carnibus ferinis, & glandibus arborum victitant. Inſidiantur autem iter facientibus, in eos de ſuis deſilientes turriculis. Septempagani etiam tres Pompeii cohortes conciderunt cum eæ per montes iſtos iter facerent. Nam inſani mellis crateras eis propinauerunt in itinere, quod arborum ſumma ferunt germina: eo poto iam mente abalienatos adorti facilè interfecerunt. Ex his deſcriptionib. liquet Moſchorum populos habitaſſe in illis montanis Cappadociæ. Et quemadmodum nunc vicini ſunt noſtræ gentis hominibus, ita & tunc non procul à Paphlagonibus habitabant, noſtris Henetis. Et vtraſq; gentes iſtas eadem lingua tunc vſas fuiſſe, ſicuti & nunc, teſtis eſt Strabo lib. eodẽ. Paulò poſt autẽ, inquit, Henetos qui expe-

Moſchinorum etymon.

Moſchinorum mores.

Pompeij cohortes malè tractæ à Moſchinis

ditioni nõ interfuerunt Cappadoces esse factos. Ac videtur astipulari huic sententiæ id, quòd omnis Cappadocia quę appropinquat ad Halim, & ponè Paphlagoniam porrigitur, vtroque sermonis genere vtitur, & vocabulis Paplagonicis abundat. Quando autem & quas ob caussas ex Cappadocum regione in Septemtrionem processerint Moschi illi, non ita ex scriptoribus liquet, sed credibile est vel furoribus Mythridatis cessisse, cum eos vrgeret diuturno bello, vel quod timerent Romanorum arma vltricia quia tres cohortes Pompei deleuerant. Ideo in intima Septemtrionis sese abdiderunt. Gloriatur nunc Iohannes Basilius dux Moschorum & iactat, antecessorem suum Augusti Cæsaris cognatam in matrimonium duxisse vt ita stirpis suæ laudes amplificet. Sed si quid tale aliquando fuit, tunc istud accidisse puto, cum adhuc in Cappadocia eorum maiores manentes Romanis viciniores erant.

Tempus quo ex Paphlagonia Moschini cesserint.

De temporibus Saulis & Dauidis.

Anno à condito orbe 2840.
Anno ab exitu 387.
Anno ante Christum 1160.

CONsensu Chronologorum gestum est bellum Troianum temporibns Saulis, quod etiam arithmetico calculo comprobari potest. Complexi sunt autem autores vtrumque: & exercitus Troiani conscriptionem, ex quibus videlicet gentib⁹ constitit, & reuersiones Ducum in varias orbis partes post confectum finitumque bellum. Et Homerus quidem lib. 2. Iliadum enumerat prolixum catalogum gentium quæ conuenerant oppugnatum Troiam, singulas suis coloribus depingendo, inter quos, Henetos cum suo duce hoc carmine celebrauit.

Paphlagonibus autem præerat Pilemnius, hirsutum cor,
Qui Cytorum habitabant, & Sesanum
Ex Henetis, vbi mulorum generatio agrestium,
Circaque Parthenium fluuium, inclytas domos habitasse
Cromamque Aegialumque & altos Erythinos, Flumina.

Sed & Argonautica historia, quam complexus est Apolonius eiusdem gentis & ducis mentionem facit, eumque inter principes, qui susceperant expeditionem illam, omnibus ætatibus celebrem cõmemorat, nomenque eius exprimit Euesum vocans. Atque hoc quidem nomen affine esse liquet nomini Aeneæ cuiusdam principis, qui

cipis, qui post Alanum statim inter peruetustos reges Slauorum hoc ordine à nostris enumeratur, vt primum locum obtineat Iauanus Noë nepos, deinde hunc sequatur Iaphet filius, post hunc Philaras, inde Alanus, Aeneas, Ascanes Pamphilus, Reasilnias: hinc Alanus secundus qui primus ex Asia in Europam commigrasse fertur. Atque hæc quidem recitatio suggillatur à quibusdam ex ea causa, quod illis absurdum videtur, Aeneam illum, qui fato profugus Italiam venerat, sic retrorsum ad præcedentia secula non ita multò post Noë reiectum. Sed hæc causa non est apud me ita grauis, vt illos autores, qui secuti traditionem patriam, & vetustiores scriptores, qui catalogum istorum regum hoc ordine consignarunt, ausus sim cõuellere. Fieri enim potest, vt alter hic Aeneas vetustior sit illo Anchisiade Aenea, aut vitio librariorum pro Enesio duce, quem Henetorum principem carmen Argonauticum esse vult, Aeneæ nomen repositum sit. Quod autem non vsque adeo diuexandos exagitandosq; acerbiùs autores antiquos censeam, adducor primò humanitatis officio, deinde & aliis rationibus. Neque enim tam vanos illos priscos fuisse existimandum est, vt res fictas pro veris mũdo obtrudere voluerint. Nam sicuti illi bono studio ista tradiderunt, ita opinor habuisse eos in promptu vetustiores autores ex quibus talia hauserunt. Et Strabo libro quarto, in huiusmodi, inquit, rebus probabili coniectura par est esse contentũ. Quod autem texentibus nobis historiam vetustam de origine & antiquitatibus gentis Polonæ sermo delapsus est ad commemorationem Henetorum, qui à Iaphet descendunt, nemini mirum videri debet. Asarmoth enim nepos Noë, fuit præcipuus author, conditor, plantator, & pater gentium Sarmaticarum: Henetorum verò gens suo honore fraudari non debet, cum ab eis non parua accessio, tum supplementum & decus profectum sit post tempora belli Troiani, sanguini Sarmatico. Quod vel ipsius principis Poëtarum Vergilii autoritate comprobari potest. *Historici Henetorum.*

Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus &c.

Antenorem autem ducem, Henetos in Europam tum duxisse autor est Iustinus historicus, Strabo & alii. Vnde Polybius, qui castra sequebatur Scipionis iunioris in Affricam, scribit suo æuo totum sinum Illiricum eiusque incolas Venetos appellatos fuisse. Et in Liuio historico occurrit sæpius mentio exercituum Venetorũ, cum multis post seculis demum vrbem & Rempub. Venetorum quæ nunc floret, excitatam fuisse inter omnes constet. Siue igitur

Antenore duce, siue aliis occasionib. appulerint in Europam Heneti, certè pro multis vnus Ptolomæ⁹ grauissimus autor nobis luculentus testis eius rei esse debet, qui affirmat Henetos populos, qui iidem sunt cum Venetis, maxima Sarmatiarum spacia in Europa complexos esse. Quod autem aliis quoque occasionib. Henetos asperioribus fortunæ casibus actos in eas regiones se contulisse prædicatur, non debet absurdum videri, cùm etiam nostri historici eos cum Vandalo secundo huc venisse affirment, hoc est, ad suos populares eadem lingua vtentes. Hæc ergo omnia, quæ allata sunt ex historicis & poëtis, si in vnum conferantur expendanturq; non debet in posterum cuiquam mirum videri, si inter maiores nostros & conditores harum gentium, non modò Asarmoth Semi nepotem, sed etiam Ionum Græcorũ principem, qui à Iaphet descendit recensuero. Si quod autem adhuc dubium hac de re lectorem malè habet, reseruet aures integras vsque ad illum locum, vbi inferius ea de re ex professo instituem⁹ tractationem. Interim nemo miretur, quòd tam numerosæ gentes, quas cernimus, ab iis duobus principibus à nobis commemoratis propagatæ sunt, cum ab vno Tuiscone littus Oceani occidentalis innumeris Germanorum populis completum esse videamus. Quanquam historici præter Asarmoth & Iauanum, Alanum quoque & Mosech nepotes Noë iis gentibus attribuunt, à quibus variæ gentes eorum nominibus conformes propagatæ esse creduntur, quæ tandem vno cognomine Sarmatæ iustis de causis, aliis non inuitis appellari cœpere.

Ptolomæus libro 3.

De Getis vel Gotthis populis Sarmaticis.

Scribit Dio historicus, persequens historiam suam cui titulum, Getica imposuit, & eandem historiam Iornandes repetit, quòd apud Getas in Mesia sub bellum Troianum Telephus regnauit. Fuit is Herculis ex Auge sorore Priami filius, vir bellicosus, procerus corpore, sed plus vigore animi terribilis, paternam fortitudinem propriis virtutibus æquans. Is igitur tum Danais bellum intulit, Thessandrum Græciæ ducem occidit, Aiacem & ipsum Achillem fudit & profligauit. Vulneratus is quoq; fuit Achillis iaculo in femore, tamen non prius è pugna discessit, quàm finibus hostes eiecisset. Hoc eodem tempore Hercules pater in morbum pestilentem incidit, & ob remedium doloris in flammas se coniecit, & ita vitam finiuit, quod in exemplum regibus in medium obiter adfero. Nam Sigismundus rex Poloniæ, vt à magnis viris audiui, cùm à medicis moneretur, vt Sedomiria, grassante ibi tunc peste, discederet, respondisse fertur: nullum regem posse adduci, qui vnquam pestilentiæ sæuitia absumtus esset.

Reges an debeant timere pestilentiale contagium.

De Cimbris

De Cimbris.

Cimbrorum ad Oceanum occidentalem antiqua est mentio. Meminit Strabo eorum. Sed multò antiquior est historia illorum, qui ad Meothidem manserunt ad Bosphorum Cimmericum. Homerus enim de iis commemorat, quòd ipsius ætate, à Bosphoro incursiones in omnes regiones ad Iouiam vsq; fecerint. Ac non modò nominis eorum meminit, sed naturam quoque regionis, quam incolebant, situmq; eius (Strabone hunc locum eius exponente) significat. De caliginibus enim Cimmeriis sic canit:

Hos aër nebulæque tegunt, nec splendidus vnquam
Illustrat radijs illos & lumine Titan,
Sed tristes noctis sese extendere tenebræ
Desuper.

An autem Bosphorini Cimbri à Chersoneseis occidentalibus, vel occidentales ab orientalib: orti sint, non ita facilè diiudicare possumus. Bosphoranos quidem antiquiores esse certum est. Verùm si ab occidente inprimis processerant Meothidem versus, tum in Sarmatarum stirpem tam longo spacio iam degenerasse eos oportuit. Nam à bello Traiano ad Cimbrorum expeditionem propemodum mille anni numerantur. Certum est tamen eam gentem piraticæ & rapinis intentam fuisse, vt Strabo testatur. Et vsitatum est illis populis, qui ad Borysthenem manent, in vndis spacioſi fluminis naualem fortunam tentare. Cuius generis Kozakorum Nisoui orum cohortes hactenus Cimmeriorum cõditionem prorsus refe runt. Et plurimi inter eos etiamnum ex Circasiis, qui Cimmeriorum posteritas esse dicuntur, militant. Sed etiam ex Germanis hactenus, Hungaris, Polonutiis & aliis innumeris gentibus plurimi cis commilitant. Talem igitur confluxum hominum fuisse Cimbros credibile est, sed tamen auspiciis Cimmeriorum, res vniuersa ibi tum gerebatur.

De Amazonibus.

Si Themyscirae sedes fuerunt Amazonum, tum eas nostræ linguæ fuisse necesse est. Nam Themyscira fluuius est Cappadociæ in Euxinum pontum sese inuoluens, nec remota regio à montibus Moschinis & à Paphlagonibus. Nam Parthenius fluuius, vbi Henetorum sedes fuit proximus est Themyscyræ. Ostẽsum est autem Cappadociam fuisse sedem Moschinorum populorum, & in vtraque gente Moschinica inquam, & Paphlagonica linguæ nostræ vsus fuit: Referatur ergo in eadem tempora expeditio illa in Asiam, Amazonum & Cimmeriorum, de qua Eusebius. Referatur & illud facinus quando Ephesinum templum succenderãt, de quo Manethon

Aegyptius. Contigerunt hæc sub annum 2825. à condito orbe: Sed & in Troiano bello eas adfuisse testatur Homerus & ducis eorum meminit. Duxit Amazones Odius & Epistrophus vnà. Ex Alopa pridem: vnde & Amazonidum genus extat. De ducib. autem stirpis earum, quæ eis præerant in bello Troiano, Maro sic canit

Alopa prouincia ponti.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ fibula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Amazones Sarmaticas mulieres fuisse testatur Pomponius Mela istis verbis: Fœminæ inquit Sarmatarum cum viris bella ineunt, atque vt habiles sint, natis statim dextra aduritur mamma, inde expedita in ictus mamma, quæ exeritur, virile fit pectus: arcus tendere, equitare, venari, puellaria pensa sunt, ferire hostem, adultarum stipendium est, adeo vt non percussisse pro flagitio habeatur.

De Sarmatis in genere sub idem tempus.

Quid senserit Homerus de gente Sarmatica testatur eius admirator Strabo, qui illud Homeri problema, cum dicit Iouem respexisse ad

Lactiuoros, ἀβίωτ' his non est iustior vlla
Gens hominum: de Sarmatis exponit, quòd iustitiam summè colerent, à fraude in cõmerciis abstinerent, nec epulis sumptuosis excepto lacte delectarentur. Ad confirmandam verò Homeri sententiam, idem Strabo Hesiodi quoque poëma illud, quod circuitum terræ inscripsit, adducit, vbi inquit: Phineam ab Harpiis abductum in terram eorum, hominem scilicet prudentem & iusti amantem. Quib. pro domibus currus sunt, viuere lacte assueti. Subiicit deinde causam, quòd cùm exili victu vtantur, neque sint quæstui dediti, inuicem vitam degant iustam &c. Hæc Strabo in laudem Sarmatarum ex Homero & Hesiodo adfert, & apologiam facit contra eos, qui de Sarmatis contraria sentiunt, eisq; notam crudelitatis aspergunt. Atque alii quidem, inquit, de crudelitate eorum dicũt, quòd sciunt animos hac terribilium narratione percelli, cùm tamen in alteram partem, neque quod dicatur desit, neque exempla. Ex hac narratione statum rerum Sarmaticarũ facilè temporibus Saulis & Dauidis intelliges, quamq; iustè & sanctè vixerint, simplicitatis peruetustę exemplum referentes. Vixit autem Hesiodus centum annis post Homerum. Ergo cum ducenti anni exacti essent post bellum Troianum, Hesiodus ista de Sarmatis memoriæ prodidit. Nam Homero quoque centum anni tribuuntur post bellum Troianum.

Strabo lib. 7. Geographiæ apologiam pro Sarmatis facit.

De tempo-

De tempor ib. Nabuchodnozar Regis Babel.

Anno ab orbe condito 3337.
Olympiade 38.
Anno ante Christum 663.

ANte Babylonicum imperium singulæ regiones suos principes habebant qui eis amanter vt parentes filiis imperitabant, sed malitia inualescente, cœperunt homines iugum illud excutere, & pro libidine agere quæ volebant. Itaque cum paterna & æquabilia imperia detrectarent, Deus excitauit monarchias, id est, cum ampliore & formidabiliore potestate imperia, vt quibus paternæ admonitiones non sufficerent, eos necessitas parendi in officio contineret impelleretque. Ita diuina prouidentia tempora temporibus conferendo singulis ætatib. oportuna remedia ad sustinendam humani generis imbecillitatem optima ratione subministrat. Numerantur autem quatuor monarchiæ, quarum prima Babylonica fuit, cui sub hæc tempora Nabuchodonosor rex cum imperio præfuit, quo etiam regnante Iudæorum regnum destructum, & Iudæi Babylonem in seruitutem abducti sunt, sicuti sacræ literæ de huius principis amplitudine luculentius tradunt. Hoc etiam regnante scriptor historiarum Berosus sacerdos Chaldæus floruit, qui de initiis regni Sarmatici, tum etiam de finib. eiusdem non contemnenda reliquit, quemadmodum à nobis commonstratum est. Fuisse autem Sarmatarum populos maximos ante Nabuchodonosorem, & iam tum latè dominatos esse, contextus verborum Berosi indicat. Neq; enim Berosus de iis reb⁹ loquitur, quæ quidem ante fuerunt, at postmodum esse desierint, sed quæ à suis initiis tanquam carceribus egressæ vsque ad eius seculum pertigerunt. Quod autem quidam illa verba Berosi cùm Sarmaticas gentes à Tuiscone conditas esse affirmat, ad eleuandam & minuendam amplitudinem nominis Sarmatici detorquent, hoc minimè ex iis verbis colligi posse existimo. Nam si condere gentes idem significat, quod legibus informare, vt ex Berosо & aliis idoneis authoribus liquet, certè isti citius ex pumice aquam extorserint, quàm id quod volunt, inde obtineant. Nam Sarmatiam appendicem Germaniæ esse, & legum instituta ad imitandum assumere, multis parasangis à se differunt. Accepimus nos à Iudæis quoque leges, non tamen hoc nomine ad ipsos pertinemus. Accepit & ipse Tuiscon leges cum iure dominii ab ipso Iano, vt idem refert Berosus, non

Berosus.

roſus,non tamen ideo fuit oriundus ex Iano ipſiſque Græcis. Verùm Moſis authoritas ſufficere nobis debet, qui affirmat Iaphetũ in tentoriis Semi habitaturum,non Semum in Iapheti.Citius ergo Germania Sarmatiæ quàm Sarmatia Germaniæ aliquid debere ex iis verbis intelligetur, cùm Sarmatæ ex ſtemmate & funiculo Sem ea quę habent habere credantur,Germania verò territorii beneficium tanquam ſoboles Iaphet recognoſcere debeat.

Iam quia Ezechiel propheta ſynchronos Beroſi,aut certè non longo ſpacio temporis ab ipſo remotus fuerit,non incommode eius deſcriptionem, Beroſi deſcriptioni ſubiiciemus, vt ſcilicet de hac gente,quod iudicium fuerit illius ætatis melius intelligi à quo uis poſsit. Inquit igitur propheta cap. 38. Fili hominis pone faciem tuam contra Gog Moſoch,& Tubal,vaticinare cõtra eum &c. Euſebius Cæſarienſis,Theodocion,& Symmachus per Roſch non ſimpliciter caput intelligit,vt aliqui volunt,ſed principem. Hallucinatur tamen in eo,quòd Romanum principem notari putat.Locus enim hic non poteſt intelligi niſi de principibus ſeptemtrionalibus,quia additur : qui habitant latera Aquilonis. Ad hæc Roma tunc nondum innotuerat : Nam Ezechiel temporibus Iechoniæ Regis vixit,hoc eſt anno mundi 3354 Olympiade quarta,ab vrbe autem condita duntaxat anno 136, iuxta ſupputationem quorundam. Itaque & propter vrbis nouitatem, & propter ſplendorem monarchiæ Babyloneæ non potuit eſſe ita celebre nomen Romæ, vt ſuſpitionem cuiquam mouere deberet,euaſuram ad eam potentiam. Sed & tautologia capitis ſeu Roſch principis eſſet moleſta & aſpera.Poſsibilior & amabilior expoſitio erit,ſi contextus intelligatur de aliquibus principibus ſeptemtrionalibus, qui inhabitarunt latera iſta Aquilonis. Et quia tria illa regna, Roxolanorum, Moſchorum, & Colchorum celeberrima tunc erant Aquilonem verſus,à quo orbi terrarum omne malum impendere ſolebat,ideo de Roſſorum principe oportunior videtur eſſe expoſitio: Nam & ipſe Strabo ſcribens : An autem vltra Roxolanos habitet,ſeptemtrionem verſus prorſus ignoramus, facilè indicat quàm latè tunc imperabant iſtæ gentes.Sed ſi quis cognomen Roſch eludat, certè Moſoch eludere non poteſt quin de principe ſeptemtrionali prophetam loqui fateatur. Celebre eſt autem in ſcriptura nomen Moſoch. Facit eius mentionem Moſes Gene. 10. Facit & ſcriptor libri Paralip. cap. 1. quibus etiam hîc propheta aſtipulatur: Sed de Moſchorum origine ſuperius, à nobis dictum eſt,de quorum vicinitate cum Sarmatia Lucanus meminit inquiens : ſæuiſque affinis Sarmata Moſchis:

De Gog

De Gog & Magog.

Magog principem significat, qui nomadicis legibus viuit sub tentoriis, quà pabula inuitant, & sequentis fugientisque hostis temeritas, vt Pomponius Mela definit. Tales erant Pontici Sarmatæ, & plerique Germanorũ, quod vitæ genus Scythę hactenꝰ sequuntur.

De Roma.

Romulus tum natus est ex meretrice, cui nomen fuit Lupa, vt vult Plutarchus. Vnde lupanaria esse dicta volunt. Sed facinus tantum, fabula de Lupa animante crudeli obumbratur. Sub quali autem aspectu & constellatione hæc vrbs fundata fuit, docet Sempronius Gracchus.

Rubigalia festa.

Paulò ante instituta erant à Numa, festa Rubigalia, qualia etiam nunc plerisque in locis celebrantur circa festum Marci Euangelistæ. Nomen ipsum indicat, quòd supplicationes populus tum faciebat ad Deos, ne fruges rubiginis vitio corrumperentur.

De temporibus Cyri Persarum Regis.

Anno ab orbe condito 3400
Olympiade 56
Anno ante Ch. istum 600

QVis fuerit Cyrus, & quàm clarus princeps, multi historici memoriæ prod derunt. Hoc duce à Babyloniis transiit mperium ad Persas, cuius etiam famam & heroica facta compiures loci celebres, ab eius nomine nuncupati referunt. Memorantur vrbes celebres, Cyra, Anticyra, memoratur & flumen quoddam non procul à Colchide, Cyrus, ab eius clade & occidione dictum. Ibi enim cum Tomyri regina fataliter confligens interiisse prædicatur. Fuit autem Tomyris regina Massagetarum. Hi antiquitus ad nomen Sarmaticorum populorum referuntur, vt inferiùs docebimus. Et vocantur hi in crimen, accusanturque crudelitatis à scriptoribus Romanis, sicuti & ipsi Sarmatæ. Sed nescio quomodo verum sit illud dictum: quo sese fortuna inclinat, eò & fauor hominum, addiderim ego, & stylus scriptorum. Nam autores non raro gnatonisando suis Romanis, adulatorum officia præstant, & quantum septemtrionalibus populis detrahunt, tantùm se suis adiecisse putant. Cum autem Massagetas populos Sarmaticos

fuisse constet, existimo eadem ratione appellatos, sicuti & alios eorum cognatos, Getas, γείτων enim græcis vicinum significat. Itaque qui Græcis vicini erant, habitabantq; vltra Istrum versꝰ Thraciam, Getæ, id est, vicini Græcorum, qui verò ad flumen Tyram Tyrigetæ, qui ad Tibiscum Tisigetæ ab Herodoto vocantur, id est vicini & accolæ illarum regionum, quà permeabant illa flumina. Arsigetæ, id est, bellicosi. Nam Aris Martem græcis significat, quem Getæ pro Deo colebant. Sic Massagetæ, id est, vicini Moschinorum montium, vel potius populi mixti ex Getis & Mysiis, vt Strabo vult. Gelones verò videntur dicti à regionibus, vbi niue, gelu, pruinis & glacie omnia rigent, qui & picti dicuntur à Poëtis, quòd vestibꝰ vermiculato opere acu pictis gaudeant, quarum vestium vsus apud MOSCHOS creberrimus adhuc est. Cum autem Massagetæ vicini semper erant Sarmatis Asiaticis, non desunt autores, qui existimant, quòd commigrantibus ex Asia in Europam Sarmatis, Massagetæ iuncti eis ad eas regiones peruenerint, nomenq; Masouiorum nostrorum ediderint. Neque incredibilia admodum narrare videntur, præcipuè si ista conferantur cum iis, quæ de commigratione populorum occidentalium ex Asia, scriptores prodiderunt. Sicut enim Henetos ex Paphlagonia orientali, Romanos à Troianis, Hispanos ab Hyberis, Moschos à Moschinis Capadocibus, Mysios à Mysiis Asiaticis, Pannonas ex Pæonia, sic Masouios à Massagetia colonias deduxisse, & in eas oras cum Sarmatis peruenisse autumant. Et sicuti istis in Asia cohabitabant, ita etiam eò locorum insimul habitasse, eisque sese coniunxisse opinantur. Certè isti nostri, robore corporum & virtute militari non degenerarunt ab illis, qui duce fœmina Cyrum cum innumeris exercitibus ad internecionem deleuerunt. Scio quæ nostri Chronologi de Masouiorum origine à Maslao Tyranno, cuius castra secuti erant contra regem Polonorum, scripserunt. Sed mihi incredibile videtur, gentem tam præclaram & animo excelso præditam ab hoc vili homine, & quidem tyrãno nuncupationem suorum natalium petiuisse.

Getæ vnde dicti.

Gelones qui.

Moschinorum origo.

De Mazouiorum origine.

Annotatio.

Massagetas olim Indiam versus collocatos scimꝰ, sed successu temporis progressos esse occidentem versus credibile est. Scribunt autem autores, dictos esse Massagetas, quod ex Getis & Mysiis vnam Rempub. sibi constituerint. Porro Tomyrim, cum qua Cyrus conflixit Reginam fuisse Getarum disertè ex Trogo Iornandes demonstrat, & in signum victoriæ vrbem Thamyrim in Mysia seu Got-

seu Gotthia de suo nomine ædificasse narrat. Scribit etiam, quòd cum ad fluenta Araxis infessa ripa transitum ei intercludere potuit, tamen elegit armis eum vincere, quàm loci beneficio submouere. Meminit & victoriæ eius de Parthis adeptæ, opimæq; prædæ ab eis ablatæ. Ibi, inquit, primum gens Gotthorum serica vidit tentoria.

Sub idem tempus.

Solinus capite septimo: cùm olympiade octaua & quinquagesima victor Cyrus intrasset Asiæ oppidum Sardis, vbi tunc Cræsus latebat, Athys filius Cræsi mutus ad id vsque temporis, in vocem erupit vi timoris: exclamasse enim dicitur: Parce patri meo Cyre, & hominem te esse vel casibus disce nostris. *Athys filius Cresi.*

Aliud,

Zaleucus legumlator apud Loces, crebro sermone celebratur. Hic legem de adulteriis tulit, vt quicunque in adulterio comprehensus fuisset, vtroque oculo priuaretur, quam legem, quia filius eius violauit, pater hac pœna eum afficere voluit, sed populo intercedente pro filio iuuene, misericordem se exhibere voluit, ita tamen ne vis legis à se latæ imminueretur, itaque sibi vnum oculum & filio vnum erui iussit. Hoc exemplum rarissimum est, apud nostrates legumlatores, aut earundem custodes. Ita maiestatem legum custodierunt prisci Reges. *De Zaleuco.*

De temporibus Darii Regis Persarum.

Anno ab orbe condito 3453
Olympiade 67
Anno ante Christum. 547

SIcuti Cyri ita & Darii imperium non fuit tutum à gentibus Sarmaticæ stirpis. Semper enim infestis armis insundebant se in regiones Asiaticas easque vastabant ac depopulabantur. Ideo Ezechiel vehementer conqueritur, & denunciat eis malum exitum. Sed & Herodotus ab illis temporibus autor non valde remotus, quæ nam illæ gentes fuerint, quæ tum armis grassabantur per Asiam refert, & nominatim exprimit Getas vicinos Traciæ ad Bosphorum, sicut & nomen ipsum viciniam, vt supra monuimus, indicat. Nominat & Cimerios populos, nempe illos, à quibus Cimbri illi, qui Italiam inuaserant, originem ducunt. Cum

cunt. Cum his Sarmatas iungit. Apparet igitur non modò ex Berosi ac ipsi⁹ Mosis testimonio, sed etiam ex Herodoto gentem hanc plurimum consilio & armis tum valuisse. Neque enim imbellis ac mediocris fortunæ Principis fuit, non tantùm sumere arma, sed etiam lacessere tantos Monarchas, Cyrum, Darium, ad quorum nomen Gręci, Aegyptii adeoque totus orbis terrarum attonitus metu & formidine concutiebatur. Nabuchonodonesor certè tam latè & longè regnum suum extenderat, vt etiam in Hispaniam vsque peruaserit, vrbesque eius oppugnarit.

Cyrus igitur obiecit se furori harum gentium, vt illarum exercitus Asiam intrare tentantes arceret. Dari⁹ verò iam ingressos & omnia tumultib. miscentes, vt eiiceret, lõgius processit. Sed Dario difficilior fuit fortuna, iam enim priore successu elati animo ob profligatum Cyrum, maiore spe & audaciore animo cõtra eum ferebantur & intumescebant. Itaq; Darius mutato consilio, metuens Cyri fatales casus, ab eis pedem retulit: cum Getis verò in reditu pacem sanxit. Ad Amyntam verò regem Macedonum cum acerbiore mandato legatos misit, imperiosè præcipiens, vt terram & aquam traderent, si pacem habere vellent. Res illa durior Regi tum videbatur, sed tempori seruiendum fuit. Nam collatis copiis suis cum Persarum viribus, Darium robore & numero militum superiorem facilè perspiciebat, proinde ad quietiora consilia decurrit, placidè respondet, legatosque illos ad conuiuium inuitat: sed legati inter conuiuandum obliti officii, minus verecundè pro ingenita Persis procacitate sese gerebant. Nam fœminis nobilioribus arridere & adblandiri inter conuiuandum cœperunt, immo vlteri⁹ prouecti etiam basia eis dare & impudicè attrectare libidinosum genus hominum cœpit, quam petulantiam cõiunctam cum insigni contumelia Rex aspiciens dolenter tulit, sed tamen iram firmius compressit, in aliud oportunius tempus vindictam differens. Interim filius regis Alexander, patrem hortatur, vt se dormitum è conuiuio conferat, quo discedente simulat hilaritatem Alexander, ac paulò post rogat legatos vt concedant mulieribus à mensa surgere, promittens mox redituras. Vbi discessissent, iubet adolescentes totidem forma venustos, & animo generoso prędituos vestib⁹ mulierum induere, ac succinctos gladiis sub chlamide in earum loca succedere. Cumque Persæ nihil de solita lasciuia remitterent, attrectareque pergerent, iuuenes abditos gladios expediunt, & subito ad vnum interficiunt omnes. Hanc historiam attexere volui, quia commemorata Darii expeditione, facinus hoc quod in se complectitur lasciuiæ pœnam, transiliri non potuit,

potuit, præsertim cum hæc eodem tempore acciderint, quando transactio de pace cum Sarmaticis populis in reditu ex septemtrione ab eodem rege Persico facta fuisse prædicatur. Fuit autem hic Alexander Alexandri Magni proauus. In idem tempus refertur ab eruditis quod Herodotus refert de auxiliis, Lacedemoniis missis ab hominibus nostris, quos illi Viridomirim machimotatas id est bellicosissimos vocant. Athenienses perculsi metu ex aduentu nostrorum, detrectabant descendere in arenam.

De periculoso bello Darij.

Vbi Darius adiit periculum, dum se ad conflictum cum gentibus istis præparat, describit Strabo istis verbis. Inter mare Ponticum ab Istro Tyram versus, Getarum iacet solitudo campestris tota, & aqua carens, in qua Darius Hystaspis filius destitutus, quo tempore Istrum transgressus in Scythas duxit, in periculum venit, siti cum toto exercitu pereundi, ac serò intellecta re reuersus est.

De caussis belli Darii cum Getarum rege Attyra, quem Scytham vocant.

Darius Attyræ regi Scytharum hac maxime de causa bellum intulit, quod filiæ eius petitas nuptias, non obtinuisset. Incredibili igitur apparatu, hoc est cum 70000. armatorum Scythiam ingressus, ac non facientibus iustæ pugnæ potestatem, insuper repentinis incursibus extremas copiarum carpentibus, metuens ne sibi reditus interrupto ponte fluminis negaretur, amissis 80000. bellatorum trepidus refugit.

De causa belli Paulus Orosius lib. 2. cap. 8.

De pontibus & apparatu belli fugaque Darij.

Deinde Darius rex Persarum Hystaspis filius, Antriregiri regis Gotthorum filiam in matrimonium postulauit, rogans pariter atque terrens nisi suam perageret voluntatem. Cuius affinitatem Gotthi spernentes, legationem eius irritam reddideruut. Repulsus igitur ac furore inflammatus Darius octoginta millia armatorum contra ipsos eduxit, nauibusque penè à Chalcedonia vsque ad Bizantium instar pontium cõtabulatis, petit Thraciam & Mæsiam ponteque rursus in Danubio pari modo constructo, duobus mensibus crebris fatigatus excursionibus hostium, in Taphis octo millia perdidit armatorum, timensq; ne pons Danubii à suis aduersariis occuparetur, celeri fuga in Thraciam rediit.

De temporibus Xerxis Regis Persarum.

Anno ab orbe condito 3470
Olympiade 73

De expeditione Xerxis.

Iornandes de rebus Geticis.

POst Darii discessum iterum Xerxes filius eius paternas iniurias vlcisci cogitans, trecentis millibus armatorum, rostratis nauibus mille septingentis, & onerariis trib. millibus contra Gotthos profectus est ad bellum. Sed vt venerat, ita absque aliquo certamine suo cum rubore recessit.

Herodo. lib. 4.

Circa hæc tempora tradunt, Sarmatas elegantiæ sermonis studendo, vt aliquid supra Mysios suos Homolglottos & supra Scythas haberent, genus sermonis elegantius & magis ornatum inuenisse. Aliquid tale etiam apud Græcos Solonis tempore euenisse narrant. Hinc apparet etiam illis temporibus magnam fuisse differentiam in moribus & sermone inter Sarmatas, & Scythicam gentem. Potest & illud ad eadem tempora adiici, quod de Pausania narratur, quod propriis oculis vidit, thoracem Sarmaticum admirando opere concinnatum. Fuit is coaptatus ex vngulis equinis & squamis Draconis, & tantæ duriciei, vt nequaquam armis Græcorum inferior appareret.

Pausanias in Asiaticis.

Thorax Sarmaticus.

De temporibus Artaxerxis Persarum Regis.

Anno ab orbe condito 3520.
Olympiade 84.

TRithemius narrat, quòd Germanorum Francorum non contemnenda pars sub hoc tempus à Scythis originem duxerit, idque ex ea occasione. Antenor Scytharum ad ostia Danubii rex, à Gotthis in bello cum multis cohortibus cæsus est: huic successit filius Marcomirus, qui populum cui præfuit in Germanorum fines ad ostia Rheni perduxit, & ibi nouum regnum inchoauit, ex quo tandem vtraque Franciæ regna propagata sunt. Regnauit Marcomirus annos viginti octo. Si cum Trithemii historia conferas Herodotum libro quarto statim ab initio, de vna re videntur loqui. Dicit enim quod tum temporis Scythę Cimmerios regione

Francorum origo à Scythis.

merios regione cedere coëgerunt. Non desunt tamen, qui dicunt hunc Antenorem non Scytham fuisse, sed Gotthicæ gentis. Neq; enim Scythæ ad ostia Danubii tum habitarunt sed Getæ. Et nomen filii Antenoris Marcomir indicat Geticam linguam, quæ eadem est cum Sarmatica, Polonicam redolens. Mir enim nostris pacem significat. Et multa nomina eandem vocem retinentia apud nos hactenus reperias. Cazimir, Wladimir, Ludomir, &c. Quod autem ad ostia Rheni consederit, existimo quod ei prior habitatio in patria ad ostia Danubii perplacuerat. Ne qua igitur parte inferiorem aut dissimilem priori locum post cõmigrationem suam capesseret, pro ostiis Istri, ostia Rheni sibi delegit, ibique gentem nouam auspicatus est, quam Germani Neümagon vocant, quod sonat, noui cognati. Vocati sunt postea Sycãbri à regina quadam Britanniæ, cui nomen Cambra fuit. Vnum hîc quærendum puto, videlicet cum isti, Scythæ aut Gotthi fuerint, cur sibi & suis liberis nomina Troianorum imponebant. Ordine enim successionis reges ex illa stirpe vocabãtur, Antenor, Priamus, Helen⁹, &c. Quod ideo commemoro, ne cuiquam absurdum videatur, quod veteres quoque, Polonorum Chronicam texentes, seriem antiquæ stirpis ducum Polonorum nominib. exoticis cognominarunt, videlicet Philaram, Alanum, Anchisen, Aeneam, Ascanium, Pamphilum, Reasniam, & consimiles. De qua re superius quoque iniecta mentio fuit. Sed hîc quoque occasionem prætermittere nolui. Nam si Getarum regibus aut Cimbris quos Scythas Trithemius vocat, licuit Troianorum nomina in vsum suum conuertere, eorumque nõminibus insignire suos, non video causam, cur idem Polonorum maiorib. non licuerit, præsertim cum Iornandes testetur vsu illis temporibus, principibus venisse, vt Romani Macedonum, Græci Romanorum, Sarmatæ Germanorum, Gotthi plerumque Hunnorum nomina mutuarentur. Hæc ideo recito, quia posteriores scriptores pro summa prudentia ducunt ob eam causam propinare risui, & etiam flagellare illos bonos Dlugossos, Miechouios antiqui moris homines, quòd in seriem regum Poloniæ principes introduxerint nomina Troianorum referentes.

Marcomir.

Sarmaticæ gentes cur Troianorum nomina sibi imponebãt

Libro de rebus Geticis, ab initio.

De temporib. Philippi Regis *Macedonum.*

Anno ab orbe condito 3605.
Olympiade 105.
Anno ante Christum 406.

Ex historiis

Lingua Heneta apud Illyrios ante Alexandrum Magnũ.

EX hiſtoriis non difficulter colligi poteſt non tantùm ante octingentos annos, ſed etiam Darii & Alexandri temporibus Illyrios lingua Henetorum hoc eſt, qua Slauones vtuntur, vſos fuiſſe. Ad quam rem aſtruendam non deſunt nobis argumenta. Nam ſi Heneti præcipuas ſedes & portum ſuorum malorum quærentes cum Antenore profugerunt ex Aſia poſt bellum Troianum in Illyridem, ibiq́ue domicilium ad tempora illa, quando Polibius vixit, fixerunt, certe linguam eorum ſparſam iſtic fuiſſe nemo eſt, qui inficias eat: aut monſtrent quomodo & quando iſthinc expulſi fuerint Heneti. Relinquitur igitur eſſe verum & minimè dubitandum, illos Henetos Illyrios, cum Henetis ſeu Venetis noſtris, & vtroſque cum Sarmatis cum quibus mixti erant, cognatos & ὁμογλώττους fuiſſe. Quod cum ita ſit, res Illyriorũ ad noſtras gẽtes iure propinquitatis & neceſsitudinis merito pertinere videntur. Nec abs re fuerit, ſi bellorum, quæ cum Macedonicis regibus geſſerunt, hîc mentionem fecero. Traditum eſt ergo Amyntam regem Macedonum, paulò ante Alexandrum Magnum captum fuiſſe in prælio ab Illyriis, ſed deinde Philippus vltus eſt iniuriam fratris & talionem reddidit. Nam victis Athenienſibus Pæonas aggreſſus eſt, & Bardyllum regem Illyriorum intercœpit. Trucidata tum ſeptem millia Illyriorum feruntur, & poſt victoriam potitus eſt aliquot oppidis Illyriorum, quæ antea Macedonibus Illyrii ademerant. Hæc proculdubio digna ſunt cognitione eorum, qui cupiunt ſcire, quid cum Sarmatis Sarmatarumq́ue cognatis in iis terris actum ſit inter illas viciſſitudines rerũ & mutationes temporum, quando Monarchæ Monarchis ſuccedebant, & quando à Perſis ad Macedones imperium transferebatur, appetentibus iam Alexandri Magni temporibus. De Philippi Macedonum regis matrimonio, quo pacto Medopam Gothilæ Getarum regis filiam in vxorem acceperit, vt tali affinitate roboratus Macedonicum regnũ ſibi ſtabiliret, lege Iornandem de rebꝰ Geticis.

Amyntas rex Macedonum.

Bardyllus rex Illyriorum.

De obſidione Vidiſitanæ Vrbis in Mæſia, ex eodem Iornande & Dione hiſtoricis.

Eadem tempeſtate Philippus inopiam pecuniæ paſſus Vidiſitanam Mæſiæ ciuitatem inſtructis copiis vaſtare deliberat, quæ tunc propter viciniam Tomyris, Gotthis erat ſubiecta: vnde ſacerdotes Gotthorum, illi qui pii vocabantur, ſubito patefactis portis, cum cytharis & candidis veſtibus ipſi obuiam ſunt egreſsi, paternis diis vt ſibi propitii eſſent, ac Macedones repellerent, voce ſupplici modulantes. Quos, Macedones ſic confidenter ipſis occurrere contuentes,

tuentes, ſtupeſcunt, & ſi dici fas eſt, ab inermibus tenentur armati. Nec mora, acie ſoluta, quam ad bellum inſtruxerant, non tantùm ab vrbis excidio deſtiterunt, verumetiam quos foris erant iure belli adepti, reddiderunt, fœdereque inito ad ſua reuerſi ſunt. Atheas à Strabone nominatur, Rex Sarmatiarum, qui cum Philippo tunc conflixit.

De temporibus Darii, vltimi Regis Perſarum.

Anno ab orbe condito 3630
Olympiade 111
Anno ante Chriſtum 370

DIxi de iis, quæ acciderunt gentibus Sarmaticis ſub Dario primo, dicam & de iis, quæ euenerunt ſub Dario vltimo. Apparet omnino tum etiam ſummę opinionis viros fuiſſe populos Geticos, vtpotè, qui non modo ad Iſtrum, ſed etiam vſque ad Thracas, extenderant fines regni ſui. Scribit enim Herodotus, quòd Darius rex ſummis laudibus eos extulerit, maximi que fecerit, cumque in conſpectum eius veniſſent vocat, ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους θρᾴκων: & videtur Darius concordare cum Homero, & alludere ad illas laudes, vbi noſtras gentes ex Iouis ſententia vocat, Lactiuoros Abios, his non eſt iuſtior vlla, gens hominum &c. Apparet ergo eos à barbarie fuiſſe remotiſsimos, virtuteque militari plurimum excelluiſſe, quandoquidem tam inſigni præconio eos ornat. Sed cum eos Thraces vocat, videtur Græcis potius quàm Germanis, vt nonnulli recentiorum volunt, adnumerare eos voluiſſe. Iam enim tum traiecto Iſtro & ſuperatis Myſiæ finibus Thraciam attingere incipiebant, præſertim Alexandri Magni temporibus. Ideo & nomina Græcorum ſuis regibus accommodando, ſe genti Thracum, ab ea captando beneuolentiam attemperare cœperant. Nam Dromichetes, de quo inferius dicetur, Grę cum eſt prorſus vocabulum, à velocitate curſus, vel quod in rebus bellicis celeritati, in qua omnia ſita ſunt, ſtuduerit, dictus. Sed & Theodoricus Græcum eſt nomen, illius inquam principis Gotthorum ſeu Getarum, qui Romam totamque Italiam temporibus Honorii armis ſubegerunt. Miror ergo vndenam quibuſdam in mentem venerit, quòd Gotthos Germanos fuiſſe aſſerere volunt, ex eò quòd ne vnum quidē nomen Principū Gotthicorū mōſtrari poſsit, quod aliquid commune cū lingua Slauonica habeat (verba ſunt Hi-

Homeri & Darij teſtimoniū de gente Sarmatica.

Iliados 1.

De cognominibus Gotthorū, cur ea à Thracibus & Græcis mutuati ſunt.

ba sunt Historici Polonorum.)Potest autem paruo admodum negocio monstrari, & Theodorici nomen & Dromichetis, Græcorum fuisse cognomina,quæ tum apud Rusos in frequentissimo vsu erant,& etiamnum esse non desierunt, vt ii qui in iis regionibus versati sunt testari possunt.Sed & illa nomina filiorum Theodorici, Vallamir, Theodomir, & Vindemir, prorsus resonant Slauoni cum idioma. Mir enim pacem significare nostris, nemo est,qui nesciat. Sed & hactenus plurima oppida in Rusia Polonia reperias, quæ huiuscemodi cognominibus ab eorum conditoribus appellã tur, vt Wolodomir, Cazimir, Sedomir, Skarmir, Lubomir. Sed & in Germania, Visinaria vrbs celebris, ideo sic appellata, quod eam à Polonorum duce Vismaro filio Lechi extructam fuisse inter omnes constat. Sicut igitur Getæ non erant Thraces, quamuis inter Thraces à Dario numerentur, nisi forte per figuram, viciniæ ratione, ita neque Vandali Germani erant, quamuis à Plinio inter Germanos vicinitatis hauddubiè & commerciorum causâ reponantur. Sed quia inferius ex professo hæc quæstio vberius à nobis tractabitur, ideo lectori hîc molestus esse nolo, ne prolixioribus digressionibus indulgendo continuam seriem historiæ institutæ cum tædio lectoris, abrumpere videar. Igitur postquam à nepotibus Noë incipiendo, ad Alexandri Magni vsque tempora historiam nostram perduximus, finem hîc libro primo imponamus.

Liber secundus

In quo ea quæ acta sunt in ijs terris, ab Alexandro Magno vsque ad Pompeium Magnum & Iulium Augustum comprehenduntur.

PROOEMIVM

Titulus ipse libri indicat causam cur hic subsistendum lectori, & in medio quasi cursu respirandum censuerimus. Tunc enim Babylonicum imperium à Persis ad Græcos translatum fuit, vnde grauissima bella secuta sunt, & vniuersa gubernatio in orbe terrarum immutata fuit. Durauitque circiter annos 300. Vocantur autem hi Principes, Magni per excellentiam, non tantùm ob res bellicas, quanquam & hæ magnæ sunt, sed à rebus actis & auctis, domi, foris, pace & in bello, hoc est quòd excelluerunt virtutibus œconomicis, politicis, bellicis, adde & ecclesiasticis, pietate inquam, & iustitia. Tales merentur dici inter Christianos: Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Otho Magnus, Cazimirus Magnus Rex Poloniæ. Inter gentes verò: Cyrus, Iulius, Alexander Magnus, qui tale meruit præconium: Prouocauit, inquit vt strenuus, æquiparauit vt meritus, superauit melior, solus quæ sine æmulatione clarus, adeò vt nemo virtutem eius superare, vel optare saltem fortunam eius, ausus fuerit.

De tempo-

De temporib. Alexandri Magni Regis Macedonum & summi in orbe monarchæ.

Anno ab orbe condito 3630
Olympiade 111
Anno ante Christum propemodum 350.

MOnet nos temporum series continua, vt ea quæ temporibus Alexandri Magni cum gente nostra acta sunt recitemus. Sed commemorato nomine regis Magni, forsan etiam aliquid magnum, quod ad rem propositam faciat, à nobis expectabit lector. Et hauddubiè in ea expectatione non hallucinabitur. Iam enim inde à primordiis maiora incrementa rerum ab iis gestarum, maiorem etiam & ampliorem nostræ historiæ suppeditabunt materiam, vsque quo tandem ad Vandalorum & Gotthorum res memorabiles tam in Africa quàm in Italia gestas perueniemus. Alexander igitur Magnus cum in Achaia assensu & fauore Græcorum dux belli contra Persas declaratus fuisset, dedit omnẽ operã vt nihil, domi aut foris prætermitteret, quod ad expeditionem Asiaticam pertinere videbatur, & quod ad augendam expectationem, quam de eo vniuersus orbis conceperat, facere iudicabat. Et quia de Getis gente vicina eorumque virtute militari increbuerat fama, audiueratque eos à suo hoste Dario prensari, vtq; se ei adiungerent præmiis inuitari, cupiuit & ipse eos quacunque ratione sibi deuincire. Facilè enim prospiciebat, si se Dario adiunxissent, absente præsertim ipso ob Asiaticam expeditionem, multum damni eos Græciæ ob vicinitatem inferre, eiusque cursum victoriarum interpellare posse. Proinde Syrmum regem Getarum & insulæ Peucen, vbi Getæ præcipuum domicilium habebant, primò exquisitis artibus sollicitandum putauit. Cumque hoc nõ successisset, etiam bellum ei antequam contra Persas iret, indixit. Vario euentu res gesta est, sed tandem vtrique è re sua iudicabant, ad pacis consilia decurrere. Nam & Macedo Asiaticam expeditionem in animo versabat, & Syrmus vrgente Alexandrum Persico bello, facilè magnum quid ab eo se extorsurum opinabatur. Itaque occasione viam patefaciente, & ipse pacem non abhorruit. Sanciturque itaque pax, ineunt fœdus, percutiuntur victimæ. Nec regem Syrmum opinio quam conceperat, fefellit: ab vtrisque enim tum aliquid emunxit. Allata sunt à rege Persico munera & miræ pollicitationes: ab Alexandro verò præter honores delatos & virtutis

teſtimonium inſigne, etiam finium ampliſsimi regni ſui acceſsionem non paruam adeptus eſt. Vidi ego priuilegiũ quoddam genti Sarmaticæ ab Alexandro Magno donatum, quo ei omnia regna & prouincias, quæ intra hos duos maximos fluuios, Boryſthenem nimirum & Iſtrum, attribuit. Talemq; eminentiam iuſque abſolutum eis inſcribit, vt omnes populos gentesque, cuiuſcunque ſtirpis illæ fuerint, quæ in ea plaga orbis terrarum intra hos fines nominatos manerent aut manſuræ ſint, eis obnoxios tributariosque decernat. Inuentum & hoc priuilegium in Archiuo Boëmorum regni, & poſtea in monaſterio quodam non admodum procul à Cracouia aſſeruatum fuit. Mirabarq; ego, & ſæpe ea de re cum doctis viris conferebam, quanam occaſione & quo tempore ex munificentia Alexandri tantam beneuolentiam conſecuti ſint populi Sarmatici ſimul & Getici: ſed veriſimile eſt hæc ſub illos tumultus belli Perſici accidiſſe, quando Macedo profecturus ad bellum Aſiaticum itineri ſe accingebat, & metueret ne Darii partes auxiliis miſsis Syrmus augeret, ideo tam liberaliter cum eo tranſegiſſe, quod ex ſequenti hiſtoria belli Dromichetis cum Lyſimacho geſto clarius apparebit. Non me etiam latent ea, quæ à noſtris hiſtoricis memoriæ prodita ſunt de bellis Lechi primi Polonorum ducis cum eodem rege Alexandro Magno, ſed quid ea de re ſentiam, in Lechi huius hiſtoria apparebit. Memoria etiam digna ſunt, ea quæ literis Miechouienſis de ſtirpe Alexandri mandauit, & quòd originem eius à gente Slauonica deriuat. Hocque autoritate & teſtimonio Philopolenſium confirmare nititur. Affirmatq; conſtanter eius rei non modo ſcripta nuda, ſed etiam columnas & imagines hoc ipſum repræſentantes eoſdem Philopolenſes hactenus habere. Sed hæc veritati an ſint conſentanea, & quo pacto conueniant cum ſerie eius progenitorum, quæ inde ab Hercule vſque ab Herodoto deducitur, inferius ſuo loco dicemus. Strabo tamen refert, libro ſeptimo, Philippum patrem Alexandri, Getarum reginam in matrimonium duxiſſe. Illa etiam Ptolomæi deſcriptio de aris Alexandri ad Boryſthenem locatis, ad confirmandã narrationem ſuperiorem de priuilegio Alexandri Magni, multum facere videtur. Si enim ſignis & monumentis incurrentibus in oculos fines harum gentium veluti quibuſdam gadibus confirmare, & ratos habere non dubitauit, omnino nec abſurdum erit relatu, etiã ad ſigna, hoc diploma eum addidiſſe. Sed quidam contrarium ſentientes dubitant an Alexander illas aras erexerit, cum non appareat ex hiſtoricis, quòd ille tantùm temporis habuerit, vt illi vacaret arctoas regiones inuiſere. At parum refert per ſe ipſum id fecerit, an per

Priuilegium ab Alexandro Magno gentib. Slauonicæ ſtirpis Alexandriæ datum.

Cognatio Alexandri magni cum noſtris populis.

Philippi Regis Macedonum matrimonium cum Regina Getarum.

Aræ Alexandri

rit,an per quempiam alium. Iustinus tamen historicus libro tricesimo sexto affirmat eum per Zopyrona quendam illa bella septemtrionalia cum Massagetis administrasse. Quod si autem in dubium vocare aras illas licebit, licebit & de ponte dubitare, quem super fluenta Araxis erexerat, eumque Augustus Cæsar instaurare suo æuo curauerat. Vtraque enim tam ara, quam pons non longo interuallo loci à se distant.

De priuilegijs duobus Alexandri Magni.

Ad illustrandas res Slauonicarum gentium proferuntur duo priuilegia Alexandri Magni: alterum quod Bulgari producunt in suis antiquitatibus ac etiam Croatæ, cuius exemplar aureis literis in pargameno Alexandrię scriptum, inter Thesauros Turcorum hactenus pro magna gaza asseruari constanter affirmant, dicuntque illud eo tempore in manus Turcorum incidisse, cum Mahomet eorum Imperator Constantinopolim expugnaret: huius exemplũ inferius à me subiicietur. Aliud verò priuilegium, quod à me adductum iam est, ad Slauonicas nationes propriè pertinet. Ideo à Boëmis,qui etiam à Slauonibus oriundi sunt,Slauonica lingua descriptum asseruatur. Extat eius exemplar in quodam peruetusto libro Chronicorũ Bohemicorum. Cogitans autem quando & quibus occasionibus emanarint hæc priuilegia donationum Alexandri,incidi in Strabonis librum septimum,vbi describit Alexandri Magni expeditionem in Triballos vsq; in Istriam, quidque rei habuerit cum Syrmo rege Sarmaticorum Getarum ibidem annotauit,quod negocium,vt melius à quouis intelligatur,ipsius autoris verbis Illud explicabo.

De expeditione Alexandri Magni contra Syrmum regem Slauonicarum nationum: ex Strabone libro 7.

Alexander Magnus Philippi filius in ea expeditione quam in Thraces supra Aemum habitantes fecit, impressione in Triballos facta, quos ad Istrum vsq; & sitam in eo insulam Peucen pertingere videbat,vlteriora autem fluuii à Getis teneri, eousque progressus dicitur. Et in insulam quidem ne intraret,nauigiorum fuisse impeditum penuria(eo enim cõfugisse ante Syrmum Triballorum regem aggressoque intrare obstitisse vi) ideoque in Getas traiecisse, captaque eorum vrbe celeriter reuertisse domum. Hoc eodem tempore Celtæ qui ad Adriam incolebant amicitiæ & hospitii iungendi causa Alexandrum conuenerunt. Quos Rex comiter exceptos inter pocula interrogauit, ecquidnam esset,quod maximè metuerent,expectabat

Colloquium Alexandri cum Adriæ incolis.

rent,expectabat enim hanc responsionem,se ab ipsis maximè timeri, ii verò responderunt, nihil sanè, nisi fortè ne cœli ruina obruerentur,interim se tanti viri amicitiam maximi pendere. Hæc quidem simplicitatis barbarorum indicia, quorum ille non passus Alexandrum in insulam venire, dona tamen misit, amicitiamque iunxit, hi nullius metu se teneri, magnorum tamen virorum amicitiam plurimi se facere responderunt.

De Perdica prorege ab Alexandro in Macedonia relicto et de bello eius cum Sitalco Gotthο.

Quem dolum (hoc est Philippi, qui sub specie affinitatis prouincias Getarum Sarmaticorum inuaserat)tandem post longum tempus reminiscens egregius Gotthorum ductor Sitalcus,centum mil libus virorum congregatis, Atheniẽsibus intulit bellum aduersus Perdicam, Macedoniæ regem, quem Alexander Athenienſium principatui hæreditario iure reliquerat succesſorem. Magno prælio cum hoc inito, Gotthi superiores inuenti sunt, & sic pro iniuria quam illis in Mæsia dudum feciſſent,isti in Græciam discurrentes,cunctam Macedoniam vastauere. Circa eadem tempora Gotthi fines Saxoniæ vastarunt, vt Trithemius narrat. Existimo hoc factum tribuendum esse nostris Gethis occiduis,qui Visigotthi dicebantur.Nam tum Gotthi orientales implicati erant bello Macedonico,quod cum Perdicca illis fuit. Adhæc nostri Visogotthi multò viciniores sunt Saxonibus,quàm Ostrogotthi. Scribit etiàm Hypocrates Sarmatarum bellicosum ingenium depingens: Hac in parte,inquit,nõ modò mares sed etiam mulieres ipsorum, vsque adeò arti militari vacabant, vt etiam legibus apud eos cautum fuerit,nullam fœminam ad matrimonium admittendam, quæ tres viros in bello non interfeciſſet. Apparet ergo hoc seculo Sarmatarũ nomen,quod attinet res bellicas celebre fuisse.Nec immeritò Paulus Orosius de iis gentibus in eorum laudem memoriæ prodidit: Hos, inquit,Alexander euitandos pronuntiauit, Pyrrhꝰ exhorruit,Cæsar etiam declinauit.

Iornandes de rebus Getinis.

Saxonia vasta ta à Gotthis occidentalibus

Orosius lib. 1. cap. 16.

Diploma Alexandri Magni datum Illyrijs,ex Græco in latinum conuersum.

Extat in libro Dominici Cyllenii Græci de veteri & recentiori scientia militari ad Emanuelem Philibeum ducem Subaudiæ, impressum Venetiis apud Franciscum de Portonariis Anno 1550.

Nos Alexander Philippi Macedonum Archos,Monarchiæ ac Græcorum

Græcorum Imperator, Magni Iouis filius per Arthemum nunciũ Allocutor Brachmanorum, & Arabum, ſolis & lunæ conculcator, Perſarum ac Medorum domitor, dominus ab ortu ſolis vſque ad occaſum, à meridie vſque ad ſeptemtrionem, Illuſtri proſapiæ Illyriorum populorum, Dalmatiæ, Liburniæ cæterarumque eiusdem idiomatis & linguæ gentium ad Danubium, & medias regionum ſedes incolentium, gratiam, pacem atque ſalutem à nobis & ſucceſſoribus noſtris ſuccedentibus nobis in gubernatione noſtra mundi. Quoniam ſemper nobis affuiſtis veraces in fide, in armis ſtrenui, noſtri coadiutores bellicoſi atque robuſti, damus & conferimus vobis liberè & in perpetuum totam plagam terræ ab aquilone vſque ad fines Italiæ Meridionalis, vt nullus valeat ibi manere aut reſidere, ſeu ibi locare, niſi veſtrates: & ſi quis alius inuentus fuerit morari, ſit ſeruus veſter, & poſtea ſint ſerui poſterorum veſtrorum. Datum in ciuitate noſtra noua Alexãdrina fundata ſuper magna Nili flumina. Anno XII. regnorum noſtrorum arridentibus magnis Diis, Ioue, Plutone, Marte & maxima Dea Minerua. Teſtis huius rei Achetas, Iaxis, Legatichas & alii principes XI quos nobis ſine prole decedentibus relinquimus noſtros hæredes & totius orbis terræ. Contigerunt hæc ante aduentum Chriſti ſaluatoris circiter trecentis annis.

De temporibus poſt Alexandrum Magnum, Lyſimacho dominante.

Anno ab orbe condito 3650
Olympiade 116

DIrepto dilaceratoque imperio à morte Alexandri Magni, pro ſe quiſque agebat, obuia quæque ſibi vendicans. Igitur Rex Getarum Dromichetes, ne interea temporis ſibi quoque deeſſe videretur, vnum ex ſucceſſoribus eius Lyſimachum qui theſauris in vrbe Pergamo ab Alexandro præpoſitus fuit, bello adortus eſt. Et aliquanto poſt Lyſimachus à Dromichete acie victus in deditionem venit, cumque de conditionibus pacis laboraretur diligenter, non ita multò poſt ab eo liberaliter dimiſſus. Lyſimachus tandem motus illa clementia Regis Getarum, gratitudinis ergò conceſſit vt Getæ in poſterum ad Iſtrum ſedes haberent ſuas, immo & filiam ſuam Regi in vxorem deſpondiſſe narrat Pauſanias. Inde factum eſſe credo, quod Getæ inter Thraces ab hiſtoricis ſubinde connumerati ſunt, nominaque propria ſuis regibus à Græcis

Lyſimachus à noſtris captus

Lyſimachi filiam ducit Dromichetes.

Græcis accepta indere cœperunt. Inde etiam factum reor, vt non modò noti fuerint Græcis, sed paulatim Græciam versùs fines dominii sui protenderint. Conferantur hæc quæ de concessis à Lysimacho prouinciis, Gotthicis populis retulimus, cum illa donatione Alexandri & diplomate vel priuilegio per eum nationibus linguæ nostræ cõcesso: existimo quod & ratio postulatorum, & æquitas concessorum, habet in se magnam verisimilitudinis notam, vt illam narrationem de transactione inter nostras gentes & Alexandrum Magnum nequaquam absurdam ac minimè fabulosam esse putemus. Sunt enim quidam ita morosi, vt malint suis commentitiis narrationibus, quas ipsi sibi in suo cerebro exsculpserunt, locum dari, quàm ea quæ ex classicis scriptoribus eruta sunt, admittere.

De bello Lysimachi cum Dromichete Getarum rege, ex Strabone.

Postea autem temporis Lysimachus Getis, eorumque Regi Dromicheti bellum inferens, non discrimen duntaxat adiit, sed viuus in hostis potestatem peruenit, salutemque barbari humanitate adeptus est, vti supra commemorauimus. Duo ergo principes Alexandri Magni in deditionem nostrorum Getarum deuenerunt, Perdicas inquam & Lysimachus.

De rebus Illyriorum & de bellis Cimbricis Mithridatisque, quantum spectat ad præsens negotium.

Anno ab orbe condito 3735.
Olympiade 137.
Ante Christi aduentum 265.

IVuabit etiam non mediocriter lectorem cupientem sibi comparare notitiam rerum Sarmaticarum, nosse quid cum Illyriis gentibus actum sit ante Saluatoris aduentum. Diximus enim Illyrios duplici de causa obnoxios esse Polonis: & quod maiores nostri stirpis Henetæ, præcipuas sedes apud ipsos duce Antenore habuisse prædicantur, tum etiam quod Lechus, Czechus, Reipub. nostræ conditores ab eis prodiisse, & colonias secum duxisse in eas oras magno omnium consensu perhibeantur. Addam & ego tertiam rationem, quę me adducit vt credam, illis temporibus lingua etiam nostra vsos fuisse. Reperio enim apud veteres Geographos, Ptolomæum inquam & alios, nomina montium

Tres causæ.

mina montium & fluuiorum, quæ prorsus Polonicum idioma resonant. Sic mons notissimus, quem vocat Curuanca, qui Noricum ab Illyrico dislimitat. Sic Ocra Pfari villa, vnde progenitores nostri Lech, inquam, & Czech huc adueniſſe perhibentur. Postquam igitur non mediocre stabilimentum nostri homines suæ Reipub. ab Illyriis acceperunt, meritò dixi non parum conducere ad illustrandam historiam nostram res eorum, quæ illis tam cum Græcis quàm etiam Romanis interceſſerunt noſſe. Commemorantur autem ab vrbe condita quatuor potiſsima bella Illyrica. Primum, quando ab vrbe condita 525 Romani conſules Fuluium & Posthumium miſerunt contra Teucam Illyriorum reginam, quod bellum ab eis ob violatos legatos ſuſceptum fuit. Secundum bellum fuit Perſicum, quod cum Perſeo Macedonum Rege geſtum fuit. Tertium Macedonicum dictum, quod cum Gentio Rege Illyriorum geſſerunt Romani. Captus tum fuit Rex Gentius & in triumpho vnà cum Perſeo Macedonum Rege oſtentatus. Quartum bellum Illyriorum numeratur, quod duce Cn. Caſconio contra eoſdem populos adminiſtratum eſt. Licet autem varias mutationes Illyrii experti ſint, propter varia bella iam cum Regibus Macedonicis, iam etiam cum Romanis, tamen multa adhuc cognomina extant peruetuſta, quæ monſtrant veteres Illyrios eadem lingua vſos fuiſſe, qua & nunc vtuntur. Nam quod quidam eius rei cauſam in Ruſſos & Roxolanos reiiciunt, quod quondam vagabundi depopulati ſint eorum terram, & quod ab eo tempore linguæ noſtræ vſus apud eos inualuerit, id non videtur conſentaneum. Ptolomæus enim Geographus longè ante Ruſſorum hæc bella vixit, immo etiam ante Lechi ipſius ad eas oras aduentum. Nam Mauricius & Phocas, quorum temporibus Roxolani penetraſſe Europam prædicantur, multis poſt ſeculis vixerunt. Adde, quod illis Roxolanorum, quæ non diu durarunt bellis, incredibile eſt tam fortes impreſſiones factas fuiſſe, vt potuerint tot regna longè & latè à fundamento immutare. Longius ſpacium temporis & diuturnius interceſsit, cum Gotthi Vandaliſque Italiam concuſſerunt, Hunni Pannonias debellarunt, Francones Gallias oppreſſerunt, & tamen nec linguã eorum, nec veſtitus rationem poterant in illis gentibus ad noſtra vſque tempora ita abolere, vt nullum veſtigium patriæ linguæ, morum, & lineamentorum in vultu remaneret in ipſis, ſicuti in Illyricis gentibus videre eſt, ita vt etiamſi alia argumenta eius rei nobis deeſſent, vel hoc ſolum ſufficeret, linguam hanc qua vtuntur, eis non eſſe adſciticiam & peregrinam, ſed multis ſeculis hæreditario iure ab ipſis poſſeſam.

Mons Curuanca.

Quatuor bella Illyriorum.

Annotata post, de Illyriis.

Teuca Regina Illyriorum, Romanorum legatos interfecit. Titus Liuius in sua historia prolixè hac de re.

Pleuratus Thraciæ Scerdiletus, Illyriorum Reges ac Aetoli, fœdus cum Romanis faciunt contra Philippum Macedoniæ, eiq; bellum indicunt. Liuius. Illyrii Macedoniam populantes ab Antigono victi. Polybius. Philippus Illyrios Macedonia expulit.

Ab orbe condito 2747. Paulus Aemilius Dimalem Illyrii ciuitatem vi cœpit: vrbes cæteræ in Romanorum fidem acceptæ. Illyriorum rex in Macedoniam expellitur.

Histri populi ad Illyricum Romanos fugarunt. Marcum Licinium cum suis militibus oppresserunt, hinc Manilius Regem temulentum vicit.

Liuius Decade quinta. Aepulo Istriorum Rex dum compotationi indulget, capitur, qui captiuum se esse non sensit, donec mane discussa crapula à somno expergisceretur: tota regio tandem Romanis se dedidit.

3792. Gentius Rex Illyriorum bello capt⁹, & in triumpho vnà cum vxore ostentatus à Luc. Amtio. Eodem tempore Illyrium subactum, Scodra capta, Liuius lib. 4. Florus 2. capite 13. Eutropius 4.

3810. Bellum cum Dalmatis vicinis eorundem Illyriorum. Martius parum prosperè primum, hinc feliciter contra Dalmatas pugnat. Tandem à Nasicca consule domiti Illyrii.

Exemplum amoris erga parentes.

Circa eadem tempora accidit insigne pietatis exemplum, quod Romæ editum est. Humilis in plebe & ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusa matre, cum impetrasset aditum ad eam, & ne quid cibi inferret prohibita, deprehensa est vberibus suis matrem alere. Plinius libro septimo capite tricesimo sexto. C. Scribonius vicit Dardanos vicinos Illyriorum transalpinos, Mysiam superiorem versus, & ad Danubium vsque primus Romanorum penetrauit, ob quod factum triumphum meruit. Plutarchus in Lucullo.

Romani quando primùm ad Danubium penetrarunt.

Circa hæc tempora difficilimum bellum Augusti Cæsaris cum Illyriis gestum describit Florus libro quarto capite duodecimo.

Illyrii quoque sub alpibus agunt, imasque valles & quædam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem ipse sumsit, fieriq; pontem imperauit. His se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ascensum militi scutum de manu rapuit, & primus tunc, agmine sequente, cum Illyricus multitudine

pontem

pontem succidisset,saucius manibus ac cruribus speciosior sanguine,& ipso periculo augustior terga hostium cecîdit. De iis vulneribus etiam Suetonius meminit: in bello,inquit, Dalmatico, (sed Dalmatiam,Illyricam regionem vocat) vulnera excepit: vna acie dextrum genu lapide ictus: altera autem & crus & vtrunque brachium ruina pontis consauciatus. Quàm ergo hoc Illyricum bellum periculosum ac difficile fuerit Augusto,vel hęc vulnera testari possunt. Neque enim recordor aliis in bellis sauciatum fuisse. Proinde absolutis iis bellis cum tres triumphos simul egisset, nō immerito scriptores,primi triumphi causam assignant, de Illyriis, secundi de Antonio post victoriam Acciacam, tertii de Cleopatra profligata.

Vulnera Augusti.

Dixi de rebus Illyriorum post Alexandri tempora vsque ad Christum,dicam & de Pæonibus,Boiis,Gotthis,Cimbris, Sarmatis.Nam ad intelligendum statum illius temporis,quis fuerit in iis regionibus,apprimè est necessarium cognoscere historiam illarum gentium. Cum Romani hoc tempore negocia habuerint potissimum cum illis populis,& historiæ nihil memorabile hoc æuo afferunt,quod non attingat res gestas Boiorum,Gotthorum, Cimbrorum,& aliorum quorum iam meminimus, de iis quoque vtilia adferemus ad nostrum argumentum.

Alia tabula chronologica rerum Sarmaticarum.

Agis Pæonum rex moritur,Pæones à Philippo subiugantur. Et forsan tunc Pæones ad Danubium vsque transierunt, ex quibus volunt Pannonas ortos esse. 3605.

Gotthi Sarmatici,quos Visogotthos vocant,hoc est ii,qui ad Vistulam sedes habuerunt,fines Saxonum vastant. Trithemius. 3637.

Ptolomæus Philadelphus septuaginta interpretes ad instar septuaginta patrum,à quibus ad turrim Babel secundum septuaginta linguarum genera gentes diuisæ sunt,congregat,isti sacra Biblia vertunt. Idem rex bibliothecam cui hactenus par non inueniebatur comparat. Huic præfecerat Demetrium Phalereum. 3685.

Hucusque Roma scandulis tecta fuit, Plinius lib. 16. cap. 10. Hoc etiam tēpore primum argēto signato vti cœperunt Romani.

Aemilius Boiorum agrum populatur deq; Gallis triumphat. Iidem Boii in deditionem accepti. Polybius. 3740.

Boiorum historia quomodo in rem nostram faciat.

Harum gentium mentionem facio,eò quòd antecessores nostrorum Boëmorum esse dicuntur,aut iidem cum eis erant, vt plerique volunt. Erant autem vicini Gallis istis, qui proximi erant Rheno. Ideo eis commilitant.

Gotthi secundò ingressi Saxoniam vastant,quod de nostris Visogotthis,id est,Vistulæ accolis,qui non procul à Saxonibus distant, 2745.

Gotthi Saxoniam ingressi.

ſtant, intelligendum eſt. Lucius Furius de Boiis & Gallis triumphat. Merula Boios ſuperauit. Tertiò Scipio Naſica eoſdem Boios ſuperat, & caſtra eorum capit.

Marcellus conſul à Boiis oppreſſus magnam exercitus partem amiſit. Liuius lib. 3. Si vim nominis Slauonici inſpicias, hac voce Boii dicuntur bellatores ab eis, vnde vox boiovvac, boiarin. Et certè multa faceſſebant negocia Romanis, vt videre eſt ex hac cõſignatione. Marcomirus Sicambrorum rex regnat ad Rhenum.

Gens Sarmatica cum Romanis bellum gerit.

Gens Baſtarnarum Iſtrum tranſire volens ſubmerſa eſt. Eutropius lib. 4. ſed & Oroſius eam pugnam ſic deſcribit lib. 4. cap. 20. Baſtarnarum gens ferociſsima, autore Perſeo Philippi filio, prædarum ſpe ſollicitata, & tranſeundi fluminis cupiditate, ſine vlla pugna vel aliquo hoſte deleta eſt. Nam tunc fortè Danubius, qui & Iſter, glacie ſuperſtratus, pedeſtrem facilè tranſitum patiebatur. Sed cùm improuidè toto & maximo ſimul agmine inæſtimabilis hominum, & equorum multitudo tranſiret, enormitate ponderis & concuſsione gradientium cõcrepuit gelu, & glacialis cruſta diſſiliit, vniuerſumque agmen, quod diu ſuſtinuerat, mediis gurgitib. victa tandem & comminuta deſtituit, atq; eadem rurſus fragmentis impedientib. ſuperducta, ſubmerſit. Pauci ex omni populo per vtramque ripam vix conciſis euaſere viſceribus.

Poſt Antenorem iterum Clodomirus Sicamber Gallos vicit, & ingenti clade affecit. Dum Sicambrorum mentionem facio, recordandum, quę de origine Sicambrorum à Getis aut Cimbris ſupra retulimus. Trithemius autor, & Strabo lib. 7. Baſtarnæ in mediterraneis Tirigetis confines ſunt: quod de Podgoriis quidam intellectum eſſe volunt, & quidem non ineptè, vt mox apparebit. De Baſtarnis hoc refero, quod & ipſi Sarmatica gens fuere, quamuis originem eorum ad Germanos plerique referunt, ſed iam tranſierant in gentem Sarmaticam. Cõmemorat etiam Strabo quòd ante hæc tempora Cimbri ab occidente prædones vagi venerunt ad Meothidem tympanis ex coriis humanis vſi.

De bellis Cimbricis.

Duo etiam Cimbrica potiſsima bella hoc tempore commemorantur cum Italis: alterum quando obuius eis miſſus fuit C. Papyrius Carbo conſul, qui eos fudit, fugauit, caſtris exuit: alterũ quòd duce M. Manilio Cos. geſtum eſt ad Rodanum, vbi Romani ita victi & attriti ſunt à Cimbris, vt decem tantùm homines euaſerint qui triſte hoc nuncium Romam reportarunt. Cæſa tunc fuerunt Romanorum ſupra centena millia, ſimul cum ſociis nominis Latini, tantuſque metus & luctus Romæ obortus fuit, quantus Hannibale deuaſtante omnia, vix fuiſſe creditur. Legatur Oroſius lib. 5. capite 16.

capite 16. qui fusius hæc persequitur. Primi hi fuerunt, qui viam & aditum Europeis populis ad Italiam monstrarunt. Adnumerantur in ea victoria Cimbris Teutones. Sed ex hac narratione Orosii, & Vellegii apparet, historicos voluisse simpliciter Cimbros, Germanos appellare. Nam inquirentibus gentium originem, offert se Strabo, qui Cimbris nomen fuisse inditum affirmat à Cimmeriis, quos supra Thraciam habuisse sedes, nomen Cimmerii Bosphori indicat. Horum nominis & stirpis reliquiæ, illi populi sunt, quos hactenus Circasios vsitatè vocamus. Certè hi robore militari & animi celsitudine non sunt dispares illis Italiæ vastatoribus. Nam & auorum nostrorum memoria virtus illorum & dexteritas in bellis obeundis ita enituit, vt Aegyptii principale robur, & stabilimentum sui regni eius stirpis homines esse voluerint. Longoque tempore apud illos illa lex durauit, vt nemo in regem assumeretur nisi ex Mamaluchis, hoc est bellatoribus illis, qui creti erant sanguine Circasio. Vltimus ex ea gente Rex Aegyptiorum fuit Asym beius ille à Selimo Turcorum Imperatore crudeli genere mortis affectus. Sed inuestigatores antiquitatum accuratiores cõstanter affirmant Cimbrorum illorum veterum patriam fuisse eandem, vbi nunc Circasii nostri sedes habent suas, & ex eo sanguine cretos, tandemque in Germaniam concessisse, sedesque suas in illam regionem transtulisse, quæ modò Cimbrica Chersonesus dicitur. Sed non ita facilè inuestigari potest, quonam tempore hæc acciderint. Nam sunt complures in ea sententia, quòd tunc primum relictis prioribus sedibus à Meothide palude rectà in Italiam contenderint, ac in profectione Teutones sibi adiunxerint vnà cum Tigurinis ac Gepidis nostris, ac tãdem aucti copiis & commeatu, Romanis intulerint bellum funestum, quo demum finito reliquiæ illius exercitus attritæ, post varias iactationes in Germania in illa Chersoneso habitationis locum delegerint. Alii verò iis à Cambra regina quadam nomen impositum ferunt. Quapropter optarim ego, vt posteriores historici in euoluendis antiquitatibus veterum scriptorum integritatem imitentur, & quid cuique genti tribuendum sit, absque præiudicio tribuant. Non inuidere debemus nostris vicinis res memoratu dignas, quas ipsorum antecessores peregerũt. Sed quæ etiam Sarmaticis populis propria sunt, malignitate verò scriptorum interuersa, liceat nobis rursus vindicare. Cimbros veteres ad Sarmatas pertinuisse nemini est dubium, & nunc illas regiones pertinere ad ditionem regum Poloniæ manifestum est. Nam & præfecturam illam Dux quidam magni nominis Visnouecius summa cum laude, commendatam à Rege Poloniæ administrat.

Quod eo libentius commemoro, quia hoc anno, quo hæc scribebam vir ille strenuus duos exercitus Scytarum dissipauit, duosq; Caros, hoc est, duces belli præcipuos sanguine imperiali natos intercepit. Fuerunt isti vel fratres vel filii summi eorum Monarchæ. Hæc propter illos addenda putaui, qui hîc somniant veterem Germaniam, quà Borysthenes, Tanais, Tiras, & Danubius exonerans sese miscet ponto, de qua re inferius plura. Gepidas fuisse Gotthicos populos certum est. Habitabant ii etiam Carione attestante, vbi nunc est Scepusium ad flumen Viselam, Vislok nostri vocant. Strabo etiam vltra Danubium Gepidas collocat Istriam versus, sed nescio an isti Gepidę Strabonis iidem sint cum Gepidis Sarmaticis, qui cum Cimbris stabant in acie ad aquas sextias, de quibus modo à nobis tractatum est. Adducitur autoritas Cilicii Cimbri quòd ille affirmet lebetem æneum Augusto Cæsari dono à Gepidis in Hispanias missum, sub illud tempus, quando in Hispaniis legati regum, ei, petitum amiticiam occurrerant. Sed recordor me legisse apud Strabonem libro septimo, quòd Cimbri tum lebetem obtulerint, qui apud ipsos sacerrimus habebatur, non Gepidæ. Idem Strabo ibidem laudat Posydonii sententiam, qui coniectura colligit Cimbros fuisse homines prædones ac vagos, armisque ad eum lacum vsque progressos fuisse: ab iis Cimmerium Bosphorum denominatum quasi Cimbricum, cùm Græci Cimbros Cimmerio rum nomine afficiant.

Gepidæ.

De lebete Gepidarum Augusto oblato.

3870. Ferè centum annis ante Christum Borobista rex Gotthorum in Teutones irrumpit, contra quem conspirarunt tres reges, & coadunatis copiis eum vicerunt, videlicet Cassander, Sicamber, Arathius Saxo Dornigiorum Hamer. Hunc quoque Borobistam Visogotthum fuisse nullum est dubium.

Gotthicus rex Borobista Germaniam inuadit.

3885. Hac ætate, id est tempore Syllæ, Sitalcus rex Gotthorum, Germanorum terras depopulatus est. De qua re Iornandes in rebus Geticis ad eum modum: deinde regnante in Gotthis Sithalco Boroista Dicene⁹ venit in Gotthiam, quo tempore, Romanorum Sylla potitus est principatu, quem Diceneum Boroista susciplens Sithalcus, dedit ei penè regiam potestatem, cuius consilio Gotthi Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent depopulati sunt. Hæc ante Christum ferè septuaginta annis acta sunt. Diceneus hic fuit cõsiliarius & doctor, qui Philosophiam & Theologiam docuit Sarmaticos Gotthos.

Diceneus Philosophus.

Circa hæc tempora illa expeditio Thracum Italiam versus est collocanda quam Luc. Florus libro tertio capite quarto recitat. Inuaserant Thraces Thessaliam & in Dalmatiam vsque ad Adriaticum penetra-

cum penetrarant, & in mare contorta tela miserunt, quos, vbi rescisuerunt, persecuti sunt Romani duces sed dispari euentu: Didius vagos, & libera populatione diffusos intra suam repulit Thraciam. Drusus vlterius egit, & vetuit transire Danubium. Minutius toto vastauit Hebro, multis quidem amissis dum per perfidum glacie flumen equitatur. Piso Rhodopen Caucasumque penetrauit. Curio Daciam tenus venit, sed tenebras saltuum expauit. Appius in Sarmatas vique peruenit. Lucullus ad Tanaim.

An Dani incolæ Cimbricæ Chersonesi, sint Cimbri illi veteres.

Dacos occidentales non Dacos sed Danos dicendos esse ostendit Iosephus Meletius Ptolomęi interpres. Germanos autem aduenas esse in Daniam. Plebeios autem qui isthic sunt & alia quam Germanica lingua populariter loquũtur, esse stirpem antiquorum Danorum. Regem tamen Daniæ non posse plus quàm octodecim millia militum habere ad bellum. Tam angustam illam regionem esse, & ideo Cimbros illos veteres qui trecenta millia eduxerunt, non potuisse ex incolis illius insũlæ tantũ exercitum conscribere. *Daniæ nomen.*

Commemoratis autem Cimbris & Roxolanis è vestigio in medium se profert Mithridatis Regis Ponti historia, qui eodem ferè tempore floruit, quo Cimbri claruerunt. Præsertim cum in eius historia expresè fit mentio Sarmatarum Bastarnarum & Cimbrorum. Mouet atrox & diuturnum bellum Romanis Mithridates, quorum potentiam vt citius frangeret, à fronte & à tergo eos aggressus est. Ipse quidem in Asia sæpius cum Pompeio & aliis eorum ducibus conflixit. Sarmatas verò beneficiis & muneribus deuinctos ab alia parte contra eosdem concitauit. Hanc historiam Iustinus & Valerius tibi latius suppeditabit. Non recordor autem me legisse de alio bello Sarmatarum cum Romanis, isto pręsertim tempore, nisi hoc quod Cimbri gesserunt. Vnde colligere licet Cimbros Sarmatas vocari ab historicis. Quod ne cui mirum videatur, subire debet in memoriam, quòd Cimbri Bastarnę & Sarmatæ tum temporis confines erant, & vnam patriam, tractum nimirum littoris Ponti & Meothidos incoluerunt. Itaque non est mirum si scriptores alternatim hæc cognomina interdum confundunt. Sub hoc tempus, quæ gesta sunt in Sarmatia Pontica, differit Strabo lib. 7. describens tabulam Sarmatiæ & Thraciæ. Et optarem vt lector iterum & iterum relegat illas descriptiones Strabonis. Quis enim status & qui mores tum harum gẽtium fuerint, facilè ex illo loco colliget. Cum enim mores, bella, politiam eorum descripsisset, epilogum in fine *Mithridatis tempora.* 3877.

gum in fine subdit istis verbis. Talis ergo est vniuersa portio Europæ extra Danubium inter Rhenum & Thanaim. Propterea hortator fui, vt relegatur hæc pars Strabonis. Inde enim non modò Sarmatarum mores Pōticorum qui fuerint, discet attentus lector, sed etiam omnium gentium illarum, puta, Getarum, Vandalorum, Bastarnarum, Gepidarum & etiam Germanorum. Dicit enim à Rheno incipiens ad Tanaim, vnam regulam viuendi & mores tenuisse, ita vt possit hîc illud vsurpari: Ex vno disce omnes. Inprimis ergo situm loci describit, deinde nominat gentes, quæ tum illa loca incoluerunt, nominat Getas, Roxolanos, Vrgi, quorum plerique Nomades sunt, Iazigas, Sarmatas, Regios, forsan Mithridatis Magni, Tirigetas. Nominat & reges eorum proprios, qui littus Meothidis Tauricam vsque ad ostia Tiræ fluminis gubernabant, videlicet Leuconem, Sagoram, Palacum, Parisiadem. Hi, inquit, tyranni vocabantur, quanquam plerique iustè imperabant. Fuit hoc primùm liberum regnum, & nemini obnoxium erat. Sed Mithridates Rex Ponti cùm à principio belli Romani, vires crescerent, eò res eorum adduxit vt ei tributum pendere cogerentur, & primo quidem perpusillum & tolerabile, sed postea laborans inopia sumptuum in bellum Romanum, coactus est admodum intollerabile & onerosum imponere, qua de causa primò ei bellum mouerant. Verùm ne mole negocii opprimerentur, seruierunt tempori, & vltrò illis prouinciis cesserunt: tandem victo Mithridate omnia in Romanorum venerunt potestatem, & Romani postea Regi Bosphori cuncta donarunt. Fuit illud territorium ad ostia Tiræ admodum fertile & vbere gleba. Proinde Leuco rex, Athenienſibus ex illa regione frumenta quotannis mittebat, quem morem Venetorum Respub. cum puer essem reducere suum ad vsum volebat, miserantque Oratores ad Sigismundum senem regem Poloniæ rogatum, vt exemplo hoc veteri regum Sarmaticorum & etiam Kazimiri Magni supra ducentos annos, vellet in eum vsum terras easdem, & portus concedere, vt Cyprios suos inde subleuare possent frumento. Adhuc enim tunc Cypri regnum sub potestate Venetorum erat. Tributi nomine illi veteres reges Mithridati cxxc millia medimnorum pendebant & 13. talenta argenti. Facit etiam salsamentorum mentionem, quæ ex illa regione in totam Græciam mittebātur, pisces forsan vsiones aut lucios quales nunc ex Russia vsque ad occidentalem Oceanum passim transmittuntur. Ager, inquit, ibi quocunque fossore scissus tricuplum reddebat.

Hoc tempore rex Sarmatarum Palaco vel Polaco.

Taurica Chersonesus & septemtrionaliora quando & qua de causa et occasione Romanis subiecta fuerunt, sed nō possessa tamen

Veneti portū borysthenicum à Regibus Poloniæ obtinere cupiebant.

Salsamenta.

Fertilitas agri ad Tiram.

Post montana, inquit, vrbs sequitur Theodosia campo prędita fertili & portu vel centum nauibus recipiendis apto. Hic olim limes fuit

mes fuit Bosphorianorum & Taurorum, sed & nostri hactenus, qui ex illis regionibus veniunt, mirabilia de illa fertilitate, & piscium copia & mellis abundantia narrant.

Facit etiam ibidem Sarmatarum potentiæ mentionem. Ostensum est, inquit, migrationes populis contingere, vbi finitimi in imbelliores impetum faciunt, sicuti qui sunt trans Istrum Sauromatæ sæpè prævaluerunt, pulsísque aliis in eorum loca immigrarunt. *Potentia Sarmatarum temporibus illis.*

De frigoribus illarum regionum narrat, & pro inaudita re ponit, in Bosphoro vites sub hyemem defodi. De caloribus verò intensis, quibus interdum regiones illæ aduruntur, physicam rationem & quidem peculiarem adducit. Sed & æstus, inquit, ibi accidere tradunt ingentes. Siue id fiat quod corporibus æstus est insolens: siue quod crassus aër tanto magis incalescit. Meotidem vocat putrem paludē, & vix inquit sutilib. potest nauigari cymbis. Venti enim, inquit, facilè cœnosa loca denudant, & scopulos intra aquas latentes. Talibus sutilibus cymbis hactenus Borysthenici Kozaki vtuntur. Templi dicti Parthenii etiam mentionem facit, forsan phanum illud Dianæ, de quo infra. De cibis loquens facit mentionem condimenti ex lacte, quod apud nos hactenus in vsu est, & vocatur campust: acido, inquit, lacte vtuntur pro condimento, certa quadam arte præparato, ideo inquit, Homerus eos vocat galactophagus seu lactiuoros, verba sunt Strabonis: Stipēdia, inquit, non soluunt aliis regibus, viribus suis confisi. Castrant, equos, vt eò habeant eos ad equitandum mansuetiores. Sunt enim parui, verùm acres admodum & cōtumaces. Habent, inquit, etiam animal, quod ab iis Colos dicitur, magnitudine inter ceruum & arietem media, album, cursu quàm illa velocius quod naribus aquam in caput haurit. Ego existimo Strabonem de Alcibus loqui, qui lingua nostra voce simili Los vocantur, tantùm syllaba co adempta. Nam isti naribus solent aquam in insequutores suos eiaculari. Rustici ait, etiamsi humiliores videtur, tamen latrociniis non abstinent in mari. Hoc etiam hactenus inter eos reperias. Postremò etiam bellorum ab eis gestorum mentionem facit. Primum Roxolanorum de quibus sic dicit: Roxolani etiam contra Mithridatis legatos pugnauerunt, Tasio ipsos ducente, vt suppetias ferret Palaco. Et creditum est eos esse bellicosos. Sed aduersus compositam probèque armatam phalangem quæuis barbara natio & leuis armaturæ exercitus parum habet virium &c. Vtuntur galeis de crudis boum tergoribus & toracibus, kaphtan puto. Arma iis hasta, gladius, arcus, &c. Hæc de moribus Sarmatarum ex Strabone. Secundum bellum fuit Mithridatis cum se aduersus Romanos pararet contra Scythas qui *Physica ratio cur caleant regiones septemtrionis.* *Lactis condimentum.* *Colos animal.* *Bellum Roxolanorum.* *In composita acie quantum situm sit.* *Bellum Mithridatis & Sarmatarum.*

Scyturo & Paleco fratri parebant. Etiam illo tempore immiſcebant ſe Sarmatiis. Vocat eorum prouinciam paruam Scythiam. Tertium bellum Mithridaticum fuit ad Eupatorium vrbem, quam in memoriam nominis eius Diophantes dux exercitus cõdiderat in Cherſoneſo. Et optarim, vt viri bellicoſi artem illam veterum expugnãdarum munitionum, qua ibi Mithridatici milites vſi ſunt expendant. Deſcribit hanc idem Strabo eodem in loco. Et certè talis eſt, quæ conferri poſsit cum recentiorum ingenioſis inuentis. Ex his Mithridaticis bellis nata puto erant illa bella Romanorum contra gentes Sarmaticas. Nam Iuſtinus tradit, quòd Mithridates eo tempore ſollicitè Sarmatas exaſperabat & concitabat contra Romanos, vt eis mouerent bellum, quo vndique eorum viribus diſtractis occaſionem opprimendi eos nanciſceretur. De hac re ſupra iam dictum eſt.

Mithridates concitat Sarmatas contra Romanos.

Huc referatur inuaſio illa Gotthorum duce Comoſsico, qui fuit rex & ſacerdos gentis. Contra hunc cum continuis decem annis Germaniam affligeret, deuaſtaret, & depopularetur, coacti ſunt Teutonici populi fœdus perpetuum inire, vt quęque regio, ſi opus eſſet auxilio adiutum veniret, communemque cauſam defenderet. Et ob eam confœderationem, ac veluti fraternitatis cuiuſdam cognationem Germanos dictos eſſe Germanos plerique putant, cui ſententiæ etiam Cornelius Tacitus & Strabo aſtipulari videtur affirmans Germanos à Gallis Romæ Germanos ſeu fratres fuiſſe cõpellatos, & inde origo cognominis GERMANVS deducitur. Sed aliis beati Rhenani ſententia magis placet, qui Germanos dictos affirmat à vocula gar & man, quaſi garman, id eſt ex toto vir.

Germanorum nominis etymon.

Gepides Dalmatæ Pannonii in poteſtatem Cæſaris tum redacti, ſed Gepidarum ſedem Strabo ponit ad Danubium ſub Albio monte, non in Lithvvania vt quidam ſcripſerunt. Hi, inquit Strabo, armatura Gallica ſe muniebant, notis compuncti corpora in more reliquorum Illyriorum & Thracum. Sed de iſtis inferius, vbi de Cimbris agemus, cum quibus in acie ſtetiſſe in pugna ad aquas Sextias feruntur.

Gepidarum ſitus illo æuo.

3939 anno, hoc eſt, ante Chriſtum natum triginta annis, iidem Gotthi quos Viſogotthos, id eſt Viſtulæ accolas exponere licet, vi & potentia illius confœderàtionis Germanicæ ex Germania expulſi erant.

Strabo lib. 7.

De gente Gepidarum lege Procopium lib. 3. de bello Gotthico. Habitabant iſti etiam Procopii tempore ad Syrmium & Dalmatiæ partem occupauerant, de qua re controuertebant coram Imperatore Iuſtiniano. Apparet etiam ex rebus actis poſt mortem Attilæ,

Statio alia Gepidarum.

Attilæ,eos hîc alicubi manſiſſe,vt ſupra dictum eſt. Cum enim filii Attilæ inter ſe de ſucceſsione circiter triennium diſsiderent, Ardaricus rex Gepidarum bellum mouit aduerſus Hunnos, & trucidatis triginta millibus Hunnorum & filio Attilę Ellac maximo natu, potitus eſt regno Pannoniæ,ſed de iis inferius.

Ardaricus rex Gepidarum illo æuo.

De temporibus Iulii Cæſaris.

FVerunt illis temporibus & paulò poſt complures ſcriptores,ſed in eruenda & elicienda ex eis veritate magnus delectus adhibendus eſt, conſiderandumque quo quis eorum animo & tempore ſcripſerit. Strabo grauis ſcriptor inter Geographos: ſed quia deſcribere ſitum orbis terrarum eiusque partes, recens argumentum fuit, nec adhuc expolitum, non ita ad amuſſim potuit omnia efformare:& ſicuti ei vel prouinciarum præfecti Romanorum, vel oratores qui in variis partibus mundi legationes obibant, per manus tradiderunt, ita ipſe ſuis libris memoriæ prodidit, multa poſteris expolienda relinquens. De hoc paulò inferius.

Cenſura adhibenda legendis autoribus.

Beroſus multò vetuſtior Strabone, ſed homo Chaldæus de occidentalibus prouinciis non potuit exactè omnia noſſe,propter longiſsimam diſtantiam locorum. Proinde à ſcriptoribus occidentalium regionum fabuloſus vocatur. Veteres tamen magis reuerenter de eo ſentiunt. Vide Ioſephum contra Apionem lib. 1. Ego etſi non ſum is,qui mihi ſumam iudicium de tantis viris,tamen quia ad ſubmouendum lectorem res eſt admodum neceſſaria,hunc ſcopulum tranſilire ſine nota negligentiæ cuiuſdam non poſſum. Dico ergo,reuerenter de hoc viro ſentiendum,quia ſe ea quæ ſcripſit,publica fide ſcripſiſſe fatetur. Adhæc ne omnia acta rerum humanarum prorſus in dubium vocentur, habendos eſſe in honore veteres ſcriptores,qui de antiquitatibus mundi,tanquam de ſuis rebus videntur loqui : tamen ſicubi eos contingat à ſacroſanctæ ſcripturæ teſtimoniis aberrare, deſerendi ſunt. Huic regulæ & Beroſi hiſtoriam ſubiiciendam iudico,& maximè vbi originem Sarmatarum & Tuiſconum confundit. D. Cromerus cum in eo aliquid ſuſpectum offendit,aut adulteratnm aut ex Chaldęo in Grę cum malè verſum eſſe putat. Nec mirum eſt interdum ſcriptores adulterari, quod exemplo Eutropii de legatione Philonis ad Apoſtolos,& aliorum hiſtoricorum probari poteſt.

Eutropius adulteratus.

Diodorus Siculus iam Beroſo hac in parte inferior cenſetur.

bibliothecas aliorum hic voluit coaceruare in ſuos libros, & fabu las Scythicas aſpergit.

Strabo Auguſti militiam ſequebatur, proximusque fuit ætati Chriſti domini. Res ponticæ videntur ei fuiſſe non incognitæ. Nam ſubditus fuit Mythridatis regis Ponti ex vrbe Amaſia, et hinc non procul natus, Tiramnone grammatico vſus fuit præceptore. Vbi Polybius deſiit, inde veluti à calce narrationes ſuas texere incipit. Fuit maximus Homerici ingenii admirator, eiusque carminibus tanquam diuinis oraculis ſua ſcripta cohoneſtare nititur, eumque à criminationibus Eratoſthenis Geographi ſtrenuè defendit, in hoc tamen ab Homero diſsidet, quod Cimerios Boſphoranos, qui poſtea cum Romanis bella geſſerunt cruenta, ab occidentalibus, qui ad Cherſoneſum delati erant, ortos eſſe docet, cum Homerus antiquiſsimos incolas fuiſſe Cimerios teſtetur. Et ſcriptura ſacra docet occidentales populos ab orientalibus ortos, non contra. Adde quod ipſemet ingenuè teſtatur occiduas regiones, quæ vltra Albim ſitæ erant, ſibi incognitas fuiſſe. Fieri tamen poteſt vt exercendæ pyraticæ cauſa etiam ex Germanis multi diſcurrerint vſque ad pontum Euxinum, & Cimeriis veteribus ſe adiungentes in Kozakorum artibus ſe exercuerint, quod & hactenus factitari ab Hungaris, Germanis, Lithvvanis & aliis gentibus, quæ ſe eò, vſu recepto conferunt, experientia docet.

Liuius verò hiſtoricorũ princeps dicitur. Gaius tamen Cæſar ſiniſtrè de eo ſentit, neq; Liuium, ſed liuidum vocandum ſuadet. Adhæc verboſum & negligentem: ideo ex bibliothecis publicis putauit eiiciendum. Stephanusque Rex S. Polonorum, me coram aſtante dixit, eum quod attinet ad inſtructionem exercituum, complura ſcripſiſſe, quæ nunquam in vſu erant. Sed quis eſt quæſo hiſtoricorum cui labi & errare non contingat: ſecurè interdum dormitat Homerus, dixit ille. Tacitus Cornelius, quia pleraque ex Beroſo deſumſit, etiam apud eoſdem neotericos eadem nota aſpergitur, quique apud multos eloquentiæ laudem obtinuit, à Tertulliano non ſimpliciter eloquens, ſed mendaciloquentiſsimus vocatur. Vixit is ſub imperatore Traiano, Plinii Iunioris æqualis, cum quo etiam vixiſſe familiariter prædicatur. Ea tamen de quibus ſcripſit non contigit ei propriis oculis videre, ideo non raro hallucinatur. Scripſit is Germanos aliunde non veniſſe, ſed ibidem cretos eſſe. Dicit ea ſe quæ de Germanis ſcripſit, ex carminibus & cantilenis eorum accepiſſe, quod vnum, inquit, apud eos memoriæ & annalium genus eſt. De origine cognominis Germanorum cum Strabone conſentire videtur. Quod ſi aliunde non venerunt, contrarius ergo

Iudicium de Liuio Stephani Regis Poloniæ

Germani an aliunde venerint.

trarius ergo est Cornelius sententiæ eorum, qui veterem Germaniam ad Euxinum Pontum & in Asia statuunt, ex illisque locis delatos longo spacio temporis post commigrationem Tuisconis hîc consedisse. Codicem quoque Cornelii corruptum fuisse, testatur duplex lectio, quæ in marginibus annotatur.

Plinius Scythis Germanos & Sarmatas adnumerat, quod ego excusandum per figuram catachreseos iam ostendi.

Sed quid miramur istos? cùm & in philosophis hac in parte desideretur fides. Aristoteles problemate 15. scripsit & memoriæ prodidit, TRACES qui in vicinia nostra erant, ita esse rudes & nihili vt numerare etiam nesciant nisi ad quatuor. Sed quid miramur alienos, cùm etiam nostri non veriti sunt balbutire, alienis erroribus admodulantes, affirmando pro re certissima ante quadringentos annos pecuniam incognitam fuisse Polonis, sed corigio inquit loco pecuniæ vtebantur, cùm ex legibus appareat illis temporibus non modò Reges, sed etiam Episcopos facultatem cudendæ pecuniæ apud nos habuisse. Ita dum alius supra alium noui aliquid adferre vult futilia mendacia sparguntur. Non sunt immunes etiam viri graues interdum à specie quadam vanitatis, dum extollere suam nationem quisque satagit. Cum adolescens essem, & in Germania operam literis darem, quidam vir summæ autoritatis, & quidem Theologº, cùm hilarius conuiuaremur, & de Lithvvanis mentio iniecta fuisset (aderant autem tum etiam quidam qui hęc audiebant ex ducali stirpe.) Quid inquit, si eos nostri Germani non docerent, etiam liberis operam dare nescirent. Ecce vides vsq; adeo verum esse illud: Suum cuique est pulchrum.

Ptolomæus posterior istis, apparet omnibus diligentior fuisse. Similiter tamen prout alii ea quæ scripsit alienis oculis vidit. Et vocabula rerum nationibus vsitata, Græcæ elegantiæ & proprietati phrasis cum esset nimium addictus subinde corrumpit. In quod etiam vitium plerique nostratium incurrerunt, dum scribentes historiam delicatis Romanorum auribus nimium placere student, & ex Polonicis nominibus illas sisisutiones tanquam minus conditas & barbaras, vt illis videtur elidere conati, ex bonis Polonicis malè latina reddiderunt. Ita scilicet vitia quædam vitando in contraria incurrimus. Cautior hac in re Ouidius videtur. De hoc enim genere versionis peregrinorum vocabulorum prudenter ad eum modum scripsit.

Peregrina nomina elegantię causa non licet corrumpere.

Hic ego si vitijs ausim corrumpere nomen
Ridear, & meritò pectus habere neger.

Numeri latitudinum & longitudinum in Ptolomæo corrupti, non sine maximo damno studiosorũ.

Et Augustus Cæsar testante Suetonio in vita Augusti perinde scribendum ac loquendum existimauit. Etiam & hoc eidem Ptolomæo perfamiliare est, quòd describendo remotiores regiones, nomina earum propria ommittit, sed loco eorum aut prænomina aut cognomina eis imponit quæ ipsemet confinxit, vt Ichteophagi, id est piscium voratores. Galactophagi quia lacticiniis vescebantur. Sic Agatyrsi, Anartophracti, Iazyges, Tisigetæ etiam, Tirangitæ & consimiles. Neque enim credibile est eo pacto aliquas gentes vsu recepto antea vspiam vocatas fuisse: sed quia aut cibo tali, aut exercitio consimili occupabantur: vel ad flumina sic vocata habitabant, ideo ab illis locis sic dictis, & vsu rerum eis recepto nomenclaturas eis imponit. Inde factum est cur in eo autore pauca nomina Polonica & Germanica inuenire liceat, quæ posterius seculum à maioribus eis tradita constanter retinuit.

Iornandes iam de rebus Geticis certiora narrat quam alii, sed exordium eius adulteratum & suppositicium esse videtur. Non enim constat sibi, & principium cum fine non cohæret. Getas ex parua illa insula Scandia, quam vaginam gentium vocat, educit, & postea quasi oblitus sui eos bella ingentia cum Sesostri rege Aegyptiorum & postea cum Thesandro, Achylle & aliis, duce & rege suo Thelepho ex Hercule prognato gessisse. Quæ si vera sunt, vt quidem ea verisima esse series historiæ monstrat, tunc omnino eam ipsorum transmigrationem in Sarmatias ex Scandia, ante bellum Troianum & forsan etiam ante Colchicum fuisse necesse est. Nam Sesostris ante bellum Troianum, Telephus autem tempore belli Troiani vixit. Si igitur Ostrogotthi & Visogotthi nostri ex Scandia ab occidente prodierunt, necesse esset eos ante Christi aduentum plus mille & trecentis, aut certè quadringentis annis id fecisse, quod cum temporum ratione minimè consentit. Nec autoritate alicuius historici vetustioris fulciri id potest. Et propterea dixi principium esse suppositicium, aut ab illo Ablauio historico, quem sequitur & quem allegat, hac in re deceptum fuisse puto. Sed & paulò post veluti oblitus sui, tradit eos ex Scythia ortos, & stationes eorum profectionis describit, folio sexcentesimo sexto.

Procopius Medicus, velut quidam volunt, Imperatori à commentariis. Hic quia castra Bellisarii sequebatur, dum Gotthicum Vandalicumque trahitur bellum, veriora præ aliis tradidisse creditur. Ea tamen quæ in castris acta fuerunt, melius nouisse videtur, quam illa quæ domi, & in patria illarum gentium antiquitus contigerant.

De posterioribus

De posterioribus scriptoribus.

Schaffneburgensis ante quingentos annos vixit,
Helmodus Presbyter ante quadringentos,
Gallus & Cadlubcus ferè synchroni regi Criuoustio.
Blondus Forolimensis decades scripsit. Affirmat autem is Slauos iam dudum sedes in Polonia habuisse, indeque primùm Illyricum petiisse, & ex Illyrico iterum cum Lecho repedasse.
Dlugossum Delium, natatorem vocat D. Cromerus.
Hæc breuiter.

Ouidius.

Ouidii Pœtæ descriptiones, quod Iulii temporibus adscripserim, etiamsi Augusti tempore exulauerit, causa est quod eius narrationes seculum Iulii respiciunt. Miror autem recentiores, qui de Getis & Sarmatis vetustioribus sententiam suam ferre, historiamque eorum complecti conantur, cur eum præterierint, cum ille solus id præ aliis scriptoribus, quos nominaui, peculiare habet, quòd in exilium ad Getas missus, ea quæ per aliquot annos familiarius inter eos versando vidit, verius narrare potuit, & literis mandare, quàm illi, qui alienis auribus, & alienis oculis percontando, ea quæ non viderunt, posteris legenda reliquerunt. Ego igitur de rebus Geticis Sarmaticisque scripturus, autorem hunc diligentius nunc examinandum perpendendumque statui. Et quia Geographi describentes aliquam regionem, hanc vt plurimum methodū seruant: Primum tradunt situm regionis, deinde fines eius, quæ illi latera vel orientis vel occidentis, septemtrionis & meridiei vocant, tandemque ea quæ intra illos fines continentur depingunt, hoc est, vrbes, vicos, & munitiones celebriores, quæ sitæ sunt ad loca nobiliora, fluuios qui regionē præterlabantur. Syluas item & paludes, quæ putantur esse notabilis quantitatis. Hæc omnia quoad fieri licebit, ex Ouidio illustrare conabimur. Ac situm quidem Sarmatiæ ponit ille ad Pontum, cuius etiam partem maximam Sarmaticum mare aliquoties vocat in carmine suo.

Situs Sarmatiarum.

Crede tamen, nec te causas nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems

Ex hoc testimonio poëtæ demonstratur, quòd isti populi mare proprium à suo nomine Sarmaticum dictum antiquitus habebāt non modò ad occidentem quà Istula in Oceanum se Sarmaticum exonerat, sed etiam ab oriente quà patet Meotis & Pontus ad ostia Istri. Ibi enim tum Sarmatæ præcipuas sedes habebant. Propriè igitur loquendo Sarmatia nobis erunt populi illi omnes qui intra

duo illa

Fines Sarmatiarum à mari ad mare Sarmaticum.

duo illa maria ab occidente & oriente,& montes Sarmaticos qui meridiem reſpiciunt continentur. Nominat tandem & deſcribit iis verſibus præcipua flumina, quæ ad has terras pertineant. Ac de Boryſthene ſic.

Boryſthenes.

Cumque Boryſthene liquidiſſimus amne Diraſpes

De Danubio.

Innumerique alij, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius ſe tibi Nile negat.

Inter hæc duo maxima flumina veluti inter duos limitaneos fines, alios cõplures deſcribit, quos tam frequentes memorat, vt etiam affirmet p vbertate aquarum, quibus irrigatur Pontus, immutari naturam maris illius, vt dulcedine fluuialium aquarum nitroſitas & ſalſedo maris alteretur.

Nitroſitas & ſalſedo maris.

De Hypani quem Bozek multi putant.

Hunc Licus, hunc Sagaris Peneusque Hypanusque Crateſque

De Tyra quem Neſtrum vocant Poloni.

Epitheton Tyræ.

Labitur & nullo tardior amne Tyras.

Sed hæc deſcriptto minimè conuenit noſtro Nieſtr. Vocat enim tardiſſimum, cùm cõſtet Neſtrum celeritate ſua & rapiditate multa flumina antecellere.

De mari Sarmatico, id eſt, de Ponto iterum.

Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems

Et alio in loco.

Celebris mentio maris Sarmatici.

Sed non Sarmatico tingitur mari

Quòd terras Geticas, vnde Gotthi tum prodierunt, vbi et Thomos vrbs fuit, Sarmatiam vocet.

Ouidius in Sarmatia vixit.

Nec mea Sarmaticum contegat oſſa ſolum

Inter hæc flumina varias gentes collocat, eisque ſedes attribuit ſuas.

De Beſſis.

Sarmatæ cingunt fera gens Beſſique Getæque

Extant adhuc appellationes Bieſsi & Beſzczadi mõtes ad Sambor

De Corallibus

De Corallibus.

Littora pellitis nimium subiecta Corallis,
Hîc mea cui recitem nisi flauis scripta Corallis.

Manserunt autem in illis oris & Græci. Sed hi vt plurimum mercatores erant. Manserunt Bastarnæ, quos Podgorios plerique putant, & hi magna ex parte Germani erant, sicut & nunc inter Podgorios complures reperias. Manserunt etiam & Gallatæ Mysiis immixti, quos Scordiscos alii vocant. Sed hi omnes inquilini erant. Nam quia per Istrum prono flumine commoda nauigatio tum erat, ideo moris erat omnibus accolis Istri, sed & Gallis & Germanis siue militiæ, siue mercaturæ causa, ab occidente Græcos, vtpotè celebriores & ditiores populos nauigationis beneficio inuisere. Submittebantur etiam non rarò & auxilia Græcis à Celtis, hoc est, Gallis & Germanis, vt ex historia Brenonis & Gallogræcorũ apparet. Et quia facilior est nauigatio prono quàm aduerso flumine, ideo post bella confecta sæpius contingebat tenuiores peregrinos ad ostia Istri desperato reditu, ius regionis capessere. Inde existimo Geticas terras & Mysias multiplici colluuie gentium illo tempore repletas fuisse, indeque Mysos vocatos, id est, miesancy miesʒani, ex diuersis gentibus. Sed tamen apparet ius dominii penes Sarmatas Getasque fuisse.

Bastarnæ.

Scordisci Galli

Occasio curvariæ gentes ad ostia Istri habitabant.

Mysiorum etymon.

Quòd Sarmatæ frequentiores, et stabilimentum Reipublicæ illius erant.

Sarmaticæ maior Geticæque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
In quibus est nemo qui non Coryton & arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima mortis imago.
Non coma, non vlla barba resecta manu.

In hac descriptione gentium non audimus nominari Germanos, sicuti quidam veterem ibi imaginantur Germaniam, sed tantùm Sarmatas Getasque, penes quos militaris ordinis decus manebat, quod ex hac hypotyposi liquet, cum eos equis vehi, habitu & apparatu militari, & quidem numero frequentiores, aspectu truci, coryton & arcum gerentes, euntes & redeuntes equis, ob oculos ponit. Neque Sarmatas separat à Getis sed qualem nunc necessitudinem inter Podolios, Russos & Polonos esse videmus, cum Poloni isthic ferè semper militiam profiteantur & præfecturas administrent, talem quoque tunc statum inter Sarmatas Getasque & alios populos fuisse ex ea descriptione liquet.

Vetus Germania.

Temperiem cœli sic describit.

Si numeres anno soles & nubila toto
Inuenies nitidum sæpius isse diem.

Frigora intensissima & genus curriculi quod Colasam vocant, stridulum.

Nec mare concrescit glacie, nec vt ante per Istrum
Stridula Sarmaticus plaustra bubulcus agit.
Ipse vides onerata ferox vt ducat Iaxis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.

Religionem eorum sic describit, et quòd Dianæ potissimum addicti erant. Et conferantur cum istis ea quæ Chronologi nostri de Dzienomæ seu Dianæ cultu veterum Polonorum scripsere.

Nec procul à nobis locus est, vbi Taurica dira
Cæde Pharetratæ spargitur ara Deæ.
Templa manent hodie vastis inuixa columnis
Per quæ quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic signum cœleste fuisse,
Consortem Phœbi gens colit illa Deam.

Mores eorum in bello, & quòd soli, Romanorum arma despicicbant.

Maxima pars hominum, nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausoniæ militis arma timet.
Strymona venisti Marticolamque Geten &c.

Pax incerta apud eos.

Pax tamen interdum est, pacis fiducia nunquam
Sic hic nunc petitur, nunc timet arma locus.

Incursiones & refugia ad vrbes. Omnes consuetudines istæ in illis oris ferè hactenus durant.

Duella, lites.

Adde, quod iniustum rigido ius dicitur ense,
Dantur & in medio vulnera sæpe foro.

Sterile solum Polonny vocant hactenus Valachi.

Sterile solum ad Istri ostia non in Podolia ipsa.

Tristia deformes pariunt absyntia campi
Terraque de fructu quàm sit amara docet.

Vestitus ratio hybernalis.

Pellibus hirsutis arcent mala bracchia
Oraque de toto corpore sola patent.

De decoratione eorum et longis capillis.

Sæpe sonant moti glacie pendente capilli.

Et nitet inducto

Et nitet inducto candida barba gelu.

Conferantur hæc quæ Chronologi noſtri de tonſura capillorum, eorumque prolixitate inter gentes Polonicas commemorant. Solebant enim veteri more alere comas Poloni vſque adeo, vt etiam ad morem mulierum conuoluere eas moris erat. Quem morem etiam Sigiſmundum primum regem Poloniæ ſeruaſſe & in peplo ambulaſſe vidimus, & alii antiqui moris homines idem faciebant. Deſtinatum autem feſtum quoddam habebant primę tonſuræ capillorum, vt ex Mieſconis hiſtoria liquet. Addantur huc illa quæ de Pontifice Benedicto primo referuntur, qui cum Cazimiro primo Monacho relaxaſſet votum, vt regiam dignitatem liceret ei adire, hanc legem genti Polonæ impoſuit, vt illum morem prolixos capillos gerendi tanquam gentilem abiiceret. Sed tamen mos alendi capillos Sarmaticus non prius fuit abrogatus, quàm poſt quandam cladem, Buconienſem dictam, vbi complures ex Polonis inuenti erant capillis ex arboribus ſuſpenſi. Et tunc primum nauſeæ cœpit eſſe illa comatio Polonis, quę olim decori & elegantiæ ſeruire putabatur. Hæc prolixius de veſtitu & de decoratione Polonorum dicere placuit, vt ſi deſcriptiones hiſtoricæ non ſufficiunt ad probãdum, Sarmatas Geticos non fuiſſe Germanos, (qui ab iſtis conſuetudinibus, omnibus ætatibus remotiſsimi fuerunt) at hæc ſola veſtitus ratio, & decorationis mos, tum denique conſuetudines eorum tam in pace quàm in bello, non modò nobis oſtendant, ſed etiam reipſa ante oculos conſpiciendos ſtatuant primos noſtros progenitores. Pinguntur nunc Lechi, Czechi & Boleſlaorum imagines à pictoribus & typographis, quę prorſus referunt antiquiſsimam ideam veterum Polonorum. Et cum artifices illi diuexantur arguunturque à curioſis, ob licentiam fingendi quas vellent imagines veterum heroum, affirmant ſe hæc probare poſſe non modò ex traditione veterum, ſed etiam Phænomenis magicarum artium: aiuntque circulatores & nigromantas veteres ita fuiſſe harum rerum peritos, vt poſſent ex veteribus bellatoribus, quos vellent, arte malignorum ſpirituum, à puluerib. excitare, in proprioque habitu & forma viſendos demonſtrare. Quod & noſtro æuo de quodam Fauſto Germano Nigromanta, ab iis qui hæc viderunt certo affirmatur, quòd videlicet quodam tempore, expetentibus ab eo Norinbergenſibus, Aeneam, Achillem, Hectorem ac Herculem & alios heroas equis inſidentes, proprioſque & natiuos vultus & veſtitus habentes, ſpectandos in ſuburbio ante portas & mœnia cunctis viſendos ſtatuerit. Et quia veteres Cracouienſes municipes præ aliis, his artibus dediti & implicati erant,

Feſtum primæ tonſuræ.

Benedicti Papæ tranſactio cum Polonis.

Magica Phænomena.

Fauſtus Nigromanta.

plicati erant, itaque constanter affirmatur de iis, quod ministerio eiusdem artis, tales euocauerint vmbras heroum Polonicorum, quales Ouidi⁹ depingit, & quales postea typis mandare, & in compitis pingere cœperunt.

De œconomia Sarmatarum et inprimis de domicilijs eorum.

Gentes hasce sparsim habitasse autor est Procopius, ob idq; Sporos, id est sparsos fuisse vocatos. Vandali iam magis cultas domos habebant. Sicuti & nunc Poloni elegantia ædium Russos & Podolios antecellunt. Ac in eo genere politiæ Procopius præfert Vandalos Slauis: sed illo æuo etiam apud Germanos idem ferè mos ædium extruendarum fuit teste Strabone lib. 7. Casis, inquit, habitant, structura in vnum diem constantibus, nomadibus quas in curru circumuehunt similes.

Oeconomica mulierum, sic traducit.

Palladis vti
Arte Tomitanæ non didicere nurus,
Fœmina pro lana Cerealia munera frangit,
Suppositoque grauem vertice portat aquam.

De potu eis vsitato.

Nos habeat regio nec pomis fœta nec vuis.
Et fermentatis imitantur vuea sorbis.

Hoc genus potionis ex pasta farinæ subacta, & quantum satis est fermentata aqua calida, & herba aliqua, videlicet, vrsibranca, vel pampinis vitium adhibitis. Quod genus potionis in deliciis est adhuc apud gentem Russorum, at Germanis hactenus incognitum. Quod autem dicit nec vinum nec poma habere istas regiones, hoc condonandum forsan est poëtæ, qui vt citius flecteret ad commiserationem sui Romanos suos, interdum amplificat suas miserias. Nisi malimus credere, vetustioribus temporibus caruisse vitibus illas regiones ad Istrum.

Lingua Sarmatica et Getica Ouidio ita cognita fuit vt loqui ea et scribere potuerit.

Cumque ego de vestra nuper probitate referrem,
Nam didici Geticè Sarmaticèque loqui.
Ah pudet & scripsi Getico sermone libellum.
Structaque sunt nostris barbara verba modis.
Et placui, gratare mihi, cœpique poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas &c.

Qui veterem Germaniam (ea enim phrasi vtuntur) ad Pontum statuunt, & Getas

tuunt, & Getas Germanos fuisse affirmant, vt hoc hominibus probent, in eo potissimum elaborant, vt doceant Getas sermone Germanico omnino vsos fuisse. Nescio enim quomodo verisimile videatur, vt credamus illos populos eiusdem stirpis gentisq; esse, qui eandem inter se linguam communem habent. Volunt autem suum axioma hoc fulcire autoritate Strabonis, quam tamen non adducunt, nec locum vbi nam quærenda sit monstrant. Sed iam dictum est, in confirmandis huiusmodi rebus, delectum adhibendum in scriptoribus. Qui narrata narrant, nec propriis oculis ea viderunt, tales etiam in foro ad probandas res dubias non admittuntur. Poëta hic, cum tam longo tempore inter eos vixerit, merito inter scriptores eius argumenti primum locum habere debet. Dicit autem hic & gloriatur se in lingua Sarmatica & Getica ita profeciſse, vt posset non modò communia obiter transigere, sed etiam Getica poëmata ad captandam apud eos hoc modo beneuolentiam, fundere. Nequaquam autem patiuntur circumstantiæ, vt putemus Geticum Sarmaticumque sermonem duas linguas inter se dissidentes fuisse, sicuti Germanicam & Polonicam discrepare videmus: vel si admittamus duas, tum sibi admodum affines credibile est fuisse, sicut modo Russorum & nostram, cognationem magnam habere videmus, ita vt etiamsi vna ab altera dialectis dissideat, tamen natura vtrarumque & sonorum ratio eadem est. Apud me omnino nullum dubium relinquitur, quin credam, quamuis rerum magna vicissitudo fuerit, tamen regiones illas, quæ etiamnum lingua Slauonica vtuntur, longè ante nos retroactis seculis eadem vsos fuisse. Nimirum Mysiam inferiorem, quæ nunc Bulgaria est, Pæones ad Strimonẽ & Aenium vbi nunc Bossini, Lyburnos vbi nunc Croatæ ac demum Illyrios & Dalmatas, adeoque omnes populos, qui Græciæ impendent, incipiendo ab Istro. Nam etiamsi historia testatur, postea subiisse quosdam populos Septemtrionales in illa loca, tamen veteres colonos, reliquos aduentitios ac simili lingua vtentes anteuertisse huius suę linguæ vsu credibile est. Vbi enim postea & quando abolita & abrogata illa lingua istarum gentium fuerit, non reperimus. Et certè incredibile est, ex quo subintrarunt gentes Slauonicæ in illa loca, tam breui tempore ita adulterare potuisse eorum linguam vt à fundamento conuellere & suam de integro inuehere possent. Considerentur saltem celebriorum locorum cognomina, quibus vsa fuit vetustas. Insula illa notissima antiquitus Peuca dicta. De qua Lucanus sic libro quarto.

Getæ veteres quonam sermone vsi sint.

Cognomina celebriora apud veteres.

Et barbara Cone
Sarmaticas vbi perdit aquas, sparsamque profundo

Multifidi Peucen vnum caput abluit Istri.

Hæc inquam Peucen, Miedza etiam vrbs, quæ & Strymon dicta, & à Pæonibus quondam inhabitata, nonne apertè Polonicam dialectum sapit? Sic in Illyride mons quẽ Curuanka Ptolomæus nuncupat. Hæ, inquam, appellationes, si eas expendas, manifestè referunt sonum & inflexionem linguæ nostræ. Et adhuc in Polonia complura reperias nomina nobiliorum locorum & cognomina familiarum quæ Pelconum nomine vocantur. Vnde & peruetusta illa vocabula prodiisse credo, Svvatopelka, Iaropelkao, quibus præ aliis Pomeranorum duces non ita pridem appellari desierunt. Sed & illa prouincia propinqua Pomeranis Paluki, inde nomen traxisse putatur. Sic altiora promontoria ex quibus speculari solent aduentum hostium, Russi hactenus Curhani vocant, quæ appellatio prorsus conuenit cum cognomine montis illius Curuanka, qui Noricum ab Illyride disterminare à Geographis veterib⁹ perhibetur. Sic Miedza vrbs, Strymon Ouidio dicta significat nostris metam, qua fundorum dominia disterminantur. Nam sicuti vrbs illa Metis à meta est dicta, quod Germaniam à Galliis dirimere dicitur, ita regio Strymonis cum suis illis altissimis montibus, Hæmo inquam & Rhodopen, has vniuersas Slauonicas gentes ab vniuersa Græcia dirimebat: vt quicquid Istrum versus vergeret Slauonum esset, & quæ ad Aegeum mare & Propontidem spectarent, ad Græcos pertinerent. Sic Besi populi antiquissimi ad eundem Strymona, ab eodem poëta toties celebrati, Polonicam quoque appellationem prorsus olent. Et nescio an montes Biesczady nuncupati, qui confinio Transyluaniæ sunt, aliqua cognatione cum illis non participent. Adde istis montes Krepak, qui ab ipso Ptolomæo Carpatus vocatur. Et multa alia iis consimilia adduci possent, sicuti inferius vbi Traiani tempora persequemur, adducentur. Ac tandem, vt meam sententiam breuius iterum declarem, mihi sanè incredibile prorsus videtur, in tam amplas & vastas regiones, quę forsan maiorem partem Europæ complexæ sunt, & ab Adriatico ad Glaciale mare extenduntur, fortuitò, aut bellorum iniuriis, vt aliqui volunt, linguam Slauicam, vt peregrinam & ascititiam à sexingentis & octingentis annis dispersam ac disseminatam esse. Cuius rei etiam paulò superius rationes à me adductæ sunt. Sed quid opus est istis hîc cornutis argumentis à signis, ab antecedentibus, à consequentibus, à rei adiunctis, ab vnitate linguæ, cum autoritas Procopii historici ad dissoluendas istas omnes contentiosas concertationes sit ita aperta vt nihil apertius in ea causa dici potuerit. Eius verò hæc sunt verba: Gotthicæ gentes multæ quidem & aliæ prius fuere

Peuca insula.

Miedza vrbs.

us fuere quàm nunc, omnium maximè ac potiſsimum Gotthi & Vandali & Viſogotthi & Gepidæ, iamdudum Sarmatæ & Melanchlæni appellati. Non igitur amplius mirabitur lector, quòd Sarmaticam hiſtoriam texentes, perſequendo tempora Darii, Alexãdri, Gepidicorum & Oſtrogotthicorum, ad conſtituendum integrum corpus hiſtoriæ mentionem ſæpè fecimus, cùm omnes iſtas gentes apertè in nomen & titulum Sarmaticum coartarit Procopius, his enim poſtea ſubiungit: Sunt & qui Geticas has gentes vocent, quæ omnes nominib. quidem inter ſe differunt, cætera conueniunt. Nam & albi ſunt omnes corpore, flaui, proceri quoq; & aſpectu probo, legibus item eiſdem vtuntur. Similiter omnes Arrianæ fidei, lingua vna Gotthica appellata vtentes, & vt mihi ſanè videtur ex vna omnes gente procreati, nomina poſtea ab eorum ducibus varia ſortiti. Ii autem populi, loca ſupra Iſtrum iampridem incoluere (nota habitationem Sarmatarum ad Iſtrum iampridem.) Deinde Gepides loca circa Singidum & Syrmium tenuerunt. Hactenus Procopius. Non diuerſum Plinius lib. 4. cap. 12. de iis tradit. Has omnes gentes inquit aliàs Sarmatas, aliàs Getas, aliàs Scythas, aliàs Dacos, aliàs Amaxobios vocatos, variè littori, Iſtri ſcilicet, appoſita tenuere. Hinc eſt quod Ouidius ſicut & Plinius in ſuis Poëmatis variè has gentes nominat, iam Getas, iam Sarmatas &c. Eò quòd ſicuti ad Viſtulam ita ad oſtia Iſtri mixtim & indifferenter habitabant. Quod autem Strabonis autoritatem quidam prætendere volunt, certè non contemnendum teſtimonium attuliſſent, ſi locum vbi hæc ſcripſerit Strabo citaſſent. Sed nihil tale apud Strabonem reperio, niſi quod expreſsè dicit: ὁμόγλοττοι δ' εἰσὶ οἱ Γέται τοῖς Δάκοις: vnilingues autem vel eadem lingua vtuntur Getę cum Dacis. Cùm autem Ouidius teſtetur ſe didiciſſe Geticè Sarmaticèq; loqui, nõ duas ſanè linguas didicit, preſertim iam ſenio confectus. Nec duarum linguarum tanquam diuerſarum mentionem facit. Nullum ergò dubium eſt, Getarum & Sarmatarum vnam fuiſſe linguam, vt ex Procopio apertè probatum eſt. Non eſt autem paruifacienda autoritas vtriuſque iſtorum tam Ouidii quàm Procopii. Nam etſi Procopius in iſtis regionibus non manſit, vt Ouidius, tamen in exercitu Belliſarii cum Gotthis & Vandalis conuerſando, de omnibus rebus iſtis certior reddi potuit, ita vt præ omnibus aliis ſcriptoribus, qui narrata ab aliis narrant, iſti duo in ea cauſa merito ſibi primum locum vendicare poſſint. Nemo igitur deinceps obſtrepat, nec cõtendat Gotthos, Germanos fuiſſe, nec Germaniam veterem ibi ſtatuat, vbi antiquitus erant ſedes gentis Sarmaticæ.

Getæ ſeu Gotthi, Vandali, Gepidæ, Oſtrogotthi Sarmatiarum nomine continentur

Plinij autoritas.

Vnilingues.

Ouidius, Procopius, cunctis alijs autoribus ſunt anteponẽdi.

Palynodia

Palynodia in qua Ouidius retractat, quod acerbius interdum has gentes traduxerit.

Apologia pro Sarmatica gente.

Talia ſuccenſent propter mihi verba Poëtæ
Iraque carminibus publica mota meis.
In loca non homines veriſima crimina dixi,
Culpatis veſtrum vos quoque ſæpè ſolum.

Occurrunt quędam in lectione huius Poëtæ, quæ perperam & affectatè dicta eſſe putantur. Sed non difficilè erit ea dignoſcere. Nam vbi petit reuocari ab exilio, calamitates ſuas ſupra modum amplificando regionis intemperiem accuſare ſolet, ac interdum etiam gentis mores traducit, vt ita Auguſtum citius ad miſericordiam flectat. Adhæc quia perſpectos habebat mores gentis ſuæ, quod perlibenter audiebant criminari & in odiũ adduci illas gentes, quæ potentiæ & dominationi eorum reſiſtere poterant, itaq; criminationibus calumniatoriis indulget aliquando. Omnibus enim propemodum Monarchis, qui virtute militari vnquam excelluerunt, quaſi ingenitum eſſe videtur, aduerſarios ſuos non modò regnis & opibus exuere, ſed quod maius eſt, exiſtimationi eorum inſidiari, famaque bona & autoritate expoliare. Cuius rei ratio in promptu eſt. Milites enim eorum in eos maximè feritate & rabie militari ferebantur, qui populariter contumeliis & probris ſupra alios apud eos traducebantur. Proinde Ouidius in omnes partes oculos circumferens, & quid quaque parte geratur, vnde cauſam ſuam fauorabilem redderet, ſollicitè circumſpiciens, nomini Sarmatico Geticoq; non parcit, & criminando mores, accuſando cœlum, vituperando terram, amplificandis ſuis calamitatibus, nimis multus eſt. Ex eo genere & illud eſt, quòd eò amentiæ interdum prouehitur, vt conuicium barbariei interdum eis impingat, & quæ ipſe retractauit reuocauitque, eis non veritus eſt obiicere. Principes ergo, ſi nomini ſuo apud poſteros optimè conſultum volunt, vel hoc exemplo moniti literatos viros maiore in pretio habeant, ne dum eos minus dignè tractant, vitreoli ineluibilibus maculis ab eis aſpergantur. Vnus homo Ouidi⁹ quantum nocuit gentibus noſtris, eorumq; opinionem quantum læſit, exemplo eſſe poteſt. Sed receptui canamus. Redeundum eſt, vnde digreſſi ſumus. Si autoritatibus certandum eſt, maioris autoritatis apud quoſq; Darii Magni regis Perſarum eſſe debent teſtimonia de gentibus noſtris, quàm Ouidii, qui cum hæc effutiret, rem priuatam agebat. Retulimus autem paulò ſuperius Darium hoc teſtimonio gentes noſtras ornaſſe, ἀνδρειοτάτους καὶ δικαιοτάτους τῶν θρᾳκῶν vocando. Similiter & Homerus ex ſententia Iouis eoſdem vocauit, Gala

Duæ cauſæ cur apologiæ ſuæ Poëta mendacia admiſcet.

Homeri teſtimonium de Ge

uit, Galactophagos Abiosque his non est iustior vlla gens hominum. Hoc testimonium de maioribus nostris nulla vnquam malignitas hominum abolere poterit: atque hoc quidem præconium Ouidio obiicim⁹, qui impatiens exilii, homo Italus lactuca & aliis condimentis palato seruientibus orbatus furiosè indignatur & subinde diis deabusque suis, in crimen vocando cunctos, non parcit. Quanquam postea furore poëtico mitescente ad se redit, & ea quæ petulantius exciderunt recantat, affirmatque se loci & regionis inclementiam potius accusasse, quàm homines ipsos, vt manifestè ex carmine à nobis citato liquet. In loca, inquit, non homines verissima crimina dixi. Et abuntur quidem non pauci versibus istis Ouidii, siniſtri nescio quid de istis gentibus sentiendo. Sed si hac in re vnius alicuius testimonio niti volunt, Germanos certè Plini⁹ inter Scythas etiam reponit. Et Ouidium etiã ipsum quamuis latinè loquentem, Getę barbarum vocabant, vt ipse de se testatur. Sed & Cato Græcis indignatur. Etiam, inquit, & nos vocant Græci barbaros & spurios. Sed quid? Dum de huiusmodi popularibus conuitiis disceptatur, eo ferè res deuenit, vt Anacharsis apud Athenienses Scytha fiat, & vice versa Athenienses apud Anacharsen. Ac barbaros quidem Romani vocabant, quicunque eis imperia præstare nolebant. Tandem vocabulum adaptatum est omnib⁹ qui vitam suam feritate, asperitate & inciuilitate morum infuscarent, teste Cicerone de claro Oratore. Tandem posterius seculum barbaros cœpit vocare omnes illos populos, qui Christiani non essent. At cum gentes nostræ multis attestantibus, humanitatis virtute permultos alios populos superent, certè barbari non nisi à barbaro & immani homine vocari possunt, vt interim non confugiamus ad legum præsidium, quæ determinant, neminem hominum, qui Christianæ professionis sit, deinceps vocari posse barbarum.

tis nostris ex sententia Iouis

Quis sit barbarus?

Humanitas Polonorum.

De Ouidij exilio.

Causam exilii Ouidii referunt editionem libelli illius de amorib⁹. Nam Romani etiamsi gentiles fuerint, tamen honestatem matrimonii coluerunt. Dicunt autem insidiatum esse thoro Augusti, sed cum exulans, fuerit propemodum sexagenarius, non puto ob ætatem, obnoxium fuisse vsque adeo illicitis amoribus, præsertim cum ei coniuux fuerit. Viuus Epithaphium sibi scripserat: & vir quidam ex Russia spectatæ nobilitatis, dixit se reperisse lapidem quendam in planicie quadam ad oppidum Asau, cui hoc carmen inciſum fuit, quod venam Ouidii refert.

Epitaphium Ouidij.

Hic situs est vates, quem diri Cæsaris ira
Augusti, patria cedere iussit humo.
Sæpe miser voluit patrijs occumbere terris,
Sed frustra, hunc illi fata dedere locum.

LIBER TERTIVS

In quo ea quæ acta sunt in ijs terris, ab Augusto vsque ad Constantinum Magnum, comprehenduntur.

PROOEMIVM.

QVOD librorum nostrorum distinctionem Imperatoribus ijs tribuimus qui non sine præfatione honoris, Magni vocantur, causa est quòd regnantibus ipsis maximæ mutationes in mundo fiebant, quæ cursum huius historicæ narrationis abrumpunt. Ideo hinc iure auspicabimur librum tertium, cùm Pompeius Magnus statim præcesserit hęc tempora. Maior tamen Pompeio fuit Iulius, qui ab eo fuit superatus: sed vtrisque Maximus est Saluator noster, quòd ille fuerit domitor cœli & terræ. Ideo ei ab angelo nomen Magni inditum fuit. Et tunc mutationem longè maximam mundus expertus est.

De temporibus Augusti Cæsaris.

Anno ab orbe condito 3963.
Anno Christi saluatoris, qui propter nos & propter nostram salutem descendit de cœlis, 1.

IAM peruenimus ad annum 3963, nobilem aduentu Christi saluatoris nostri. Multæ & maximæ mutationes acciderunt istis temporib. hoc est, ante & post annum natalis Christi. Nam orbis terrarum concussus bellis Iulii Cæsaris & aliorum Romanorum ducum, vnam post aliam cateruam malorum secum trahebat, & quod in annua cœli conuersione sub tempora mesis, sole ad summum apicem ascendẽte fieri solet, vt mota sidera tum maximè tonent & post illa tonitrua ac tempestates serenitas vt plurimum consequi solet, sic in humani generis conuersione mundus tum intremuit bellis & rumoribus bellorum, denuntians nobis serenitatem futurorum bonorum. Nam Deus miseratus vicem generis humani mundo plus satis tot & tantis malis defatigato, donauit saluatorem, qui sua morte pacificare debuit omnia quæ in cœlis & quæ in terra. Donauit & principem

Aduẽtum Christi quæ mala præcesserunt.

& principem clementia & bonitate spectabilem Augustum Cæsarem, sub quo rursus recreatus aliquo modo mundꝰ à bellorum tumultibus requieuit. Neque hæc statim acciderunt postquam adiisset imperium. Nam vt taceam alia bella, quę ab eo in diuersis mũdi partibus gesta sunt, de iis tantùm necesse est nos loqui, sine quorum cõmemoratione enarratio historiæ nostrarum gentium consistere nullo modo potest. Tria igitur præcipua bella numerantur quæ gessit Augustus cum Vltramontanis, vt vocant, regionibus, & omnia propemodum ad Danubium. In Rhetia quidem & Vindelicis ad caput fluminis ipsius per Drusum Germanicum. In medio hoc est, Pannonia, per se & Tiberium. In inflexione verò, vbi iam Ister vocari cœpit, & ad ostia properat, quo sese exoneret in Pontum, hoc est in Mysia inferiore, per M. Crassum. Et Germanici quidem belli initia Germanis fuere lætiora. Nam tribus legionibus quas duxit Varo profligatis, & Druso ex lęsione cruris mortuo, Romani admodum consternati fuere, nisi Tiberius rursus eorum res erexisset. Cùm enim Pannonios & Noricos edomuisset, promouit castra in Germaniæ interiora, laturus suis auxilia. Et aperto quidem Marte nihil tentãdum sibi duxit. Nam Harminii maximi tum Germanorum ducis fortunam reformidabat. Consilio ergo addit dolum, cõductis enim & concitatis Harminii cognatis, domi eum interfici curauit. Interim ipsemet Imperator Augustus, vbi fuerit & quid gesserit, sic Suetonius in vita eius describit: Reliqua, inquit, bella per legatos administrauit, vt tamen quibusdam Pannonicis atq; Germanis aut interfuerit aut non longè abfuerit. Erga Sarmatas autem Augustus mitiorem se præbuit. Nam cum Oratores Sarmatarum ei occurrissent, & de pace mentio fieret, facilè hanc eis annuit, & superiorum cladium acerbitatem obliuioni tradidit, adiecta tamen conditione, ne deinceps limites Istri transirent, Mysiaq; abstinerent, vnde liquet quòd initium Geticorum bellorum cum Augusto & Romanis, fuit de finibus concertatio. Cùm enim Romani in hoc semper incumberent, vt quàm latissimè & longissime proferrent suos fines, itaq; Getas Istri ripas transire prohibebant. Et vt durabili præsidio eorum conatus infringere possent, semper more suo præsidiarios in finibus illis Mysiæ tenebant. Meminit Poëta Ouidius Flacci cuiusdam prefecti copiarum illarum, quę apud Romanos tum merebant stipendia. Habentur hæc lib. 4. elegia 9.

Transactum Augusti cum Sarmatis.

Causa bellicum Romanis defensio finium.

Flaccus dux copiarum.

Præfuit his Grecinis locis modò Flaccus & illo
Ripa ferox Isti sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos terruit ense Getas.

Narrat etiam de eodem Flacco, quòd vrbem Troëzen à Getis captam recuperauit, quę tamen longius ab Istro Greciam versus distabat. Existimo autem Flaccum fuisse hunc, ad quem Valachi nostri originem suam referunt. Sed quæ narrant Valachorum historiæ, pugnare videntur cum serie vniuersalis historiæ: nondum enim tum Romani ripas Istri transcendere cogitabant, nedum vt legiones trãsmittere, vbi nunc est Valachia, possent. Quod ex hac transactione Getarum cum Augusto, cuius modo mentionem fecimus, sole clarius cerni potest. Sed de Valachis inferius luculentiùs, vbi tempora Traiani Imperatoris persequemur.

Ex sacris literis.

Quæ adferenda erant ex Poëtis & historiis, iam attulimus, veniamus iam ad sacros scriptores. Paulus dicit ad Romanos cap. decimo quinto, se prædicasse Euangelium nostris hominibus, quodque incipiens ab Ierusalem & circumiacentibus regionibus vsq; ad Illyricum impleuerit Euangelii Christi munus. Constat autem & Dalmatas Illyriorum appellatione non rarò comprehendi. Ad Titum autem capite tertio, testatur se in vrbe Nicopoli ad Danubium sita hybernaturum, eòque ad se Tichicum discipulum properare iubet, vnde etiam epistolam illam ad Titum scribit. Ostensum est autem Gotthos tum habitasse ad vtramque ripam Istri, & Sarmatas & Gepidas ad Syrmium, vt ex Ouidio probatum est, hoc est in Mysia vbi hactenꝰ Rascii & Bulgari lingua nostra vtuntur. Vbi & Philopolensium mœnia, de quibus in Alexandro Magno retulimus. Inde fit, quod Russi hactenus gloriantur, & passim iactant quod Paulus ipsis prædicauerit Euangelium, eosque illo sacro edulii genere pauerit, quod Cuthiam illi vocant. Petrus etiam Apostolus priorem suam epistolam, ante alios dirigit ad ecclesias Pontum inhabitantes, vbi primariæ Sarmatarum sedes erant. Sed & de Apostolo Andrea Græcorum historię & Russi multa prædicant, & quod sedis Constantinopolitanæ conditor fuerit, sicuti Petrus Romanorum, affirmant. De eius etiam indefesso studio in promouenda Euangelii prædicatione mira narrant, affirmantque eum zelo prædicationis ita prouectum, vt etiam Sarmatiam totamque Russiam & intima Moschouiæ penetrauerit Diuus Andreas, inuectusque ostia Borysthenis, Albam Russiam, ac tandem totum septemtrionem peragrarit, peruaseritque ad caput vsque sinus Venedici, vt etiam in picturis Geographorum passim eius imago annotatur: inde mare Botnicum, Suedicum, Liuonicum, Balticum, sinum Godanum ac denique Oceanũ ipsum Germanicum

Nicopolis est Bulgariæ metropolis.

Paulus Russis an prædicauerit?

Eusebius lib. 3. cap. 1.

Andreas sedis Constantinopolitanæ fundator

manicum sulcasse, ac demum emenso illo circulo, quà Oceanus lambit Germaniam, ostia & portum Herculei freti intrasse, sicque nauigando vsque Eporum in Græciam rediisse, isticq; crucis morte crudeliter à rege illius oræ affectum esse, in quam sublatus tridui spatio ad extremum vsque halitum non desiit viam salutis annunciare cunctis astantibus. Hæc si vera sunt, Paulo qui gloriatur se supra alios Apostolos laborasse, videtur non fuisse inferior, exantlatis tot laboribus, vigiliis, & forsan etiam naufragiis.

Collatio laborum in ecclesia Dei, Andreæ cũ Apostolo Paulo.

Anacephaleosis rerum quæ acciderunt inter Sarmatas & Romanos, ante & post aduentum Christi, vbi quæritur quidnam populus Romanus in regiones, quæ ex hac parte Danubij sunt, iuris habuerit.

Cogitans hac de re, & causam totam diligentius expendens, nihil amplius inuestigare potui, nisi quod Romani affirmant deuicto Mithridate Rege Ponti, iure belli omnia quorum dominus erat Mithridates ad se deuoluit. At ostẽdi potest, quod ne ipse quidem Mithridates legitimo iure aliquid hîc possederit, excepta Tauricis parte aliqua, itaque neque Romani aliquid hîc sibi vendicare poterant. Nam cum attriuisset Roxolanos, & circumueniisset Reges Tauricæ, Palaco, Scyturumque eius filium, insinuare se aliquo modo in possessionem huius ripæ citerioris cœpit. Itaque Romani tribus ingentibus bellis superato Mithridate, felicitate Sillæ, virtute Luculli, & magnitudine Pompeii, totam Põticam regionem credebant iam esse sui iuris. Hinc est quod Pompeius Pontum in prouincias redegit, & postea regibus Bosphori omnia attribuere voluit. Sed nihil tum nisi verbis actum est, ad rem ne deueniret negotium, totius Aquilonis conspiratione refragatum est & nostrorum viribus, ita vt tonante & fulminante septemtrione omnes nubeculæ illæ Romanorum discussæ esse videantur. Sed ex sequente cõsignatione temporũ tota hæc controuersia clarior reddetur.

Consignatio temporum sub Augusto.

3846. Lucius Cecili⁹ bellum cum Thracib. gessit. Flor⁹ autor.

3852. Porti⁹ Cato malè cõtra Thraces pugnauit & Scordiscos.

3854. M. Liuius Drusus aduersus Scordiscos gentes à Gallis oriundas in Thuria feliciter pugnauit, magnumque honorem tulit. Florus.

2892. Scribonius Procos vicit Dardanos, & ad Danubium vsque primus Romanorum penetrauit, triumphumque meruit.

2890. Hinc excitatæ gentes ſeptemtrionales, coadunato ex omnibus gentib. exercitu, ac ſicut Romani ad Danubium, ita illi ad Adriaticum mare vſque progreſsi ſunt. Diſcedentib. illis Romani illos inſecuti ſunt. Tunc Lucullus ad terminum gentium Tanaim delatus eſt, Appi⁹ in Sarmatas, Curio verſus Daciam venit, ſed tenebras ſaltuum expauit, vt ſuperius dictum eſt. De his Florus libro 3. cap. 4.

Ita exaſperatis vtrinq; animis exarſit Mythridaticum bellum. Nam Mithridates rex Ponti non amplius differendum negocium ratus, attrectari terminos ſuos à Nicomede vt cauſam belli prætendit. Spem ac fiduciam dabant ei Romanorum vitia, quod tunc ciuilia & ſocialia bella inter eos exarſerant.

3881. Primus Sylla cum Mithridate concurrit, poſt ciuilibus bellis auocatus negocium Lucullo committit. Plutarch⁹ in Luc.

3894. Lucullus ſecundus dux, fugato Mithridate Armeniam populatur, Tigranem in regnum redire cogit. Lachèrem in amicitiam recepit. Fuit is filius Mithridatis rex Boſphori. Hoc bello immenſos theſauros ad illas delitias quibus poſt ſe dedidit, comparauit, Apollinemq; Capitolinum ex Boſphoro ſecum Romam aſportauit. Potuiſſet autem Lucullus Mithridatem ſuperare, ſed eum militum ſeditio retinuit.

Tertius dux Pompeius, in Mithridatem, noctu commilitante luna & lumen præbente irruit. Poſt vltimam victoriam in prouinciam Pontũ redegit, tandem Romę triumphum ſplendidiſsimum duxit. Plinius ſeptimo.

Conquieueruut poſtea hæc bella pontica, per triginta & aliquot annos vſque ad Auguſti tempora, quando in Hiſpanias poſt Acciacam victoriam ſeſe contulerat. Tunc etiam Craſſus Thraciam in officium reduxit. Iam enim antea domiti deſciuerant. Interim Sarmatæ exercitum conſcribunt, iamq; ad Danubii ripas peruenerant, ſed Auguſtus ad Lentulum ſcribit, vt ad ripam Iſtri tranſitum eis impediret.

Et quia fatale Dei decretum ad pacem ſanciendam cunctas gentes orientales occidentaleſque vrgebat, vt aduentus Meſsiæ pacis beneficio clarior redderetur, etiam ipſi Sarmatæ miſsis legatis ad Auguſtum Cæſarem amicitiam abſq; numeribus, quod nemini antea contigit, facilè impetrant. Hæc pax durauit per annos 30. vſque ad tempora Tiberii, quando Myſiam prouinciam iiſdem Romanis vi eripuerunt Sarmatæ.

Florus lib. 4. cap. 12.

Conſignatio

Consignatio locorum quæ ad intelligendam historiam rerum nostrarum temporibus Augusti multum facit.

Quidam vir doctus historicus nostri seculi pulcherrimè de Augusto ad eum modum: Deus hunc iuuenem, qui non erat præliator, mirabiliter texit,& adiuuit,& per eum imperio restituit pacem.

De limitibus ad occidentem.

Suetonius in vita Augusti, Germanos,inquit,ad Albim fluuium, summouit, ex quib. Sueuos & Sicambros dedentes se traduxit in Gallias &c.

Sabellicus in verba Suetonii sic. Albis fluuius est qui in duo spacia Germaniam disterminat,& autor est in primo lib. Strabo, qui in septimo quoque libro tradit, Romanos non transcendisse fluuium Albim. Et Lucanus in secundo *Albis Romanorum limes.*

Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos,
Albis & indomitum Rheni caput. Hæc de occidentali limite Germanorum. De orientali verò quod Danubii ripa diuidebat Sarmatas à Romanis, testatur Augusti scriptum ad Lentulum, cui præcipiebat,vt ripam tantùm defendat Danubii. Florus lib. 4. Et Ouidius de Flacco.Hoc,duce,inquit,ripa tuta fuit.De Scythis verò Suetonius: Scythas auditu modo cognitos Augustus pellexit ad amiticiam populi Romani vltro per legatos petendam. Sed Strabo non sine sale risit Scytharum potentiam, de qua tamen gloriatur:Gens Scytharum,inquit,aduersus exteros inuicti sunt,atq; inexpugnabiles, quod nihil, inquit, habeant, cuius causa seruitutem sustinere velint. Hæc ille lib. 7.

De Sarmatarum viribus,temporibus Augusti sic inquit Strabo. Berebistes natione Geta,cum imperium in suam gentem suscepisset,eam crebris afflictam bellis refecit, tantumque exercitatione,sobrietate ac diligentia profecit, vt intra paucos annos magnum constitueret regnum,finitimasque pleraſque gentes, Getarum imperio subiecerit,quin & Romanis iam cœpit terrorem afferre,Istrum audacter transiens,Thraciamq; ad Macedoniam vsq; & Illyricum populans,idem Celtas Thracibus & Illyriis permixtos vastauit, Boios qui sub Critasiro erant prorsus deleuit, itemque Thauriscos,vt suæ genti tanto maiores essent facultates.

De Cotisone Rege Gotthorum tempore Augusti.

Cotisonem tanti fecerat Augustus,vt eum affinem sibi fecerit.De Cotisone Horatius lib. 2. Carminum.

Occidit Daci Cotisonis agmen,

Medius infestus sibi, luctuosis,
Dissidet armis.

Si quis autem luculentius nosse velit historiam horũ temporum & scire quid actum sit Iesu Christi temporibus in istis terris, legat de Arminio Duce Germanorum, bellicosissimo, qui solus tum opponebat se potentiæ Romanorum. Passim hæc occurrunt. Legat etiam de Marobudo rege Morauorum qui fuit gente Sarmata de stirpe Quadorum. Habentur hæc apud Cornelium Tacitum, Suetonium, Strabonem lib. 7. & Velegium Paterculum. Tẽpori tum seruiebat Marobudus hic: videbat enim fatis quibusdam Romanorum potentiam in immensum crescere. Itaque consilio magis quàm armis Augusti vires auertebat. Coluit quidem pacem cum Romanis, sed ita, vt ostenderit sæpius, si lacessitus fuisset ab eis, & voluntatem & potestatem resistendi sibi non defuisse. Ideo Romani considerata hominis prudentia & dexteritate in rebus agendis, blandè cum eo egerunt. Quin potius eum contra Arminium acerrimum ipsorum hostem cõcitabant, vt ita inferendo ei arma, Germanorum vires à tergo reuellerẽtur. Quod vt magis strenuè ageret, auxilia etiam ei mittebant, non militum quidem, nam id ob loci distantiam vix præstare potuissent, sed magna vi pecuniæ ei missa: consiliisque suppeditatis per internuncios res gerebatur. Itaque ad Albim vsque tum fines dominii sui Marobudus extenderat. Sed in senectute eum dissidia domestica exceperunt, ita vt patria relicta in Italiam abire cogeretur, vnde postea, astutia Romanorum detentus redire non potuit. Batus Rex Dalmatarum synchronus etiam Marobudi fuit. De quo vide in Descriptione nostra Poloniæ.

Post tempora Augusti, regnante Tiberio.

Anno ab orbe condito 3979.
Anno Christi 17.

AVgusto regnãte Sarmatogetæ seruientes tempori aliquo modo conquieuerant, sed deinde succedente Tiberio ad ingenium redierunt, armisq; veteres sedes repetere cœperunt, & Mysiam quæ Pannoniæ iungitur, ad Pontumque vsque cum Danubio decurrit, infestis armis ingressi occupabant, Imperatore siue arma tam bellicosæ gentis reformidante, siue negligentiæ vitio laborante & conniuente. De qua re Suetonius ita scribit: Armeniam à Partis occupari, Mysiam à Rege, Dacis, Sarmatisque, Gallias à

Gallias à Germanis vastari neglexit &c. Hæc Suetonius. Quod autem nomen regis inculco, facio ideo vt series regum antiquissimorum, qui istis gentibus imperitabant aliquo modo instaurari & recolligi ex historicis possit. Si autem addatur hic rex illis duobus, quorum mentionem feci, persequens Alexãdri Magni tempora, habebimus iam tres reges Geticos: Syrmum primum, à quo Syrmium vrbs, celebris propter concilium illud isthic agitatum, extructa fuit, & Dromichetem, qui postea Lisimachum, ducem Alexandri Magni cœperat, & tertium hunc Varsestum, qui Augusti & Tiberii tempora attigerat, & Cotisonem de quo Horatius. Mirari autem quis posset, cur & Poëta Ouidi⁹, & hic Suetonius quoties Getarum meminit subinde & Sarmatas eis admiscet, & indifferenter hoc vel illo nomine vtrosque appellat. Si autem Sarmatarum regnum procul fuit à Getarum prouinciis, nec Getæ includuntur Sarmatis, quanam de causa Sarmatæ non necessaria sibi pericula attrahebant, & belligerando contra Romanos non necessario se implicabant bello? Vnde quæso interces sit eis cum Getis tam arcta necessitudo, vt se non dubitarint multoties pro eis eorumque iniuriis in manifesta pericula coniicere, si Geticę prouincię ad Sarmaticam Rempub. non pertinebant? Et cur Ouidius inter Getas manendo optat sibi & precatur ne sepeliatur in terra Sarmatica, si fortè isthic ei contingat mori? Est & Valachia dirionis Polonorum, arma prouinciæ eorum vel insignia sunt caput Bubalinum quod in corona insignium, quę propria sunt regni insculpitur. Adhæc semper iusiurandum conceptis verbis ex formula ad id prępparata præstant Voievodæ eorum Polonis, promittuntque solenniter coram Rege vel Oratoribus eius, se in fide & clientela Sarmatici nominis permansuros, licet subinde hoc nomine cogantur experiri arma Turcicæ tyrannidis. Sed illo tempore Getas arctius obnoxios fuisse Sarmatis credibile est. Nam siue œconomiam respicias, agricolas Getarum Sarmatas vocat Ouidius, siue mercaturæ cõmercia, negociationes eorum tanquam inter conciues communes eis fuisse cum nostris apparet. Quid militiam commemorem? tanta alacritate tantoque ardore animorum rem gestam à Sarmatis in causa Getarum apparet, vt vnam Rempub. vnos fines, vnamque causam eis fuisse pro qua pugnare solebant, non sit difficile iudicare. Quod ex illis versibus Ouidii apparet:

Reges Getarũ veteres.

Varsestus rex.

Argumẽtum 1.

Argumẽtum 2.

Sarmaticæ maior Geticæque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias:

Appendix in qua sparsim partes quædam historiæ eorundem temporum apertiùs illustrantur.

Irruptiones Sarmatarum Suetonius Tiberii temporibus, istis verbis describit: Armeniam inquit à Parthis occupari, Mysiam à Dacis Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexit: Tiberium intelligit. Eutropius verò addit, & Pannoniam à Sarmatis tum vastatam: Resolutis inquit, artibus militiæ, Armenia per Parthos, Mysia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ sunt. Notandum & illud quòd Helias Spartianus Getas dici Gotthos affirmat. Vnde Diasyrticus, hoc est dubius iocus emersit in Antonium Caracallam, qui cùm Getas deuicisset, & fratrem nomine Getam trucidasset, à Pertinace fuit festiuiter traductus. Etenim mordaciter Getici nomen inter alia cognomenta Antonio ascribendum esse censuit, vtrunq; innuens: & quòd Getas vicerit, & quòd fratrem Getam crudeliter necarit. Sed & Plinius lib. 4. expressè ostium tertium Istri formosissimum omnium, Calostomos nuncupatum dicit, & insulam ibidem Sarmatis tribuit, & Sarmaticam insulam eam appellare non dubitat. Enumerat Reges Gotthorum Iornandes qui intermedii sunt inter Tiberium & Domitianum. Temporibus Augusti ante Tiberium fuit Cotison. De quo Horatius lib. 2. Carminum. Secundus Diceneus qui & philosophiam Ethicam & Logicam & Mathematicas artes eos docuit & Theologiam. Hæc omnia non barbarorum sunt instituta. Etiam instituit ordines sacerdotum, quorum alios pileatos, alios capillatos vocauit. Post Diceneum enumerat Comosicum, nõ imparem solertia Diceneo. Tertium Corillum, qui per 40. annos Daciam, inquit, rexit, forsan vsq; ad Ducebalum, qui cum Domitiano & Traiano diuturnum bellum gesit, & ne error in Daciæ nomine versetur, describit fines Daciæ qui erant illo tempore: Hanc inquit ab oriente Roxolani (nota temporibus Tiberii & Christi Roxolanos non procul à Danubio mansisse) ab occasu Tamazithes, à septemtrione Sarmatæ & Bastarnæ (prorsus Podgorios Bastarnas nominat, vt supra quoq; aliquoties dictum est,) à meridie amnis Danubii fluenta terminant &c. Dicitque eam corona montium cingi, & duos accessus habere tantùm: vnum per Bontas, alium per Thebas. Ex qua descriptione apparet, Daciam tunc fuisse, eam quam nos vocamus Transyluaniam. Et Iornandes suo tempore, hoc est cum Gotthi vastabant Europam, Gepidas ibi sedes suas habuisse, Gepidamque illam regionem vocatam fuisse testatur.

Pannonia à Sarmatis peti ta illo tempore

Plinij locus de Sarmatia ad Istrum.

Series regum Gotthorum.

Roxolani illo tempore non remotè à Danubio habitarunt.

Bastarnæ.

Dacia vbi nunc Transyluania.

Temporibus Claudii fratris Drusi.

Anno ab orbe

Anno ab orbe condito 4015.
Anno Christi 50.

QVod attinet ad politica nihil tale habemus de Sarmaticis populis, sed quantum ad religionem, refert Eusebius, quòd eo tempore ad eas regiones annunciatio Euangelii Iesu Christi perlata fuit. Nam post illud concilium Apostolicum, in quo abrogata fuit circumcisio, Apostoli ex mãdato Christi, & concilii illius iussu, veluti datis dextris inuicem per vniuersum orbem terrarum dispersi sunt. Et ex eis Diuus Andreas per ostia Borysthenis ingressus Arctoas regiones, ad illam cœnam domini magnam vocat prędicatione Euangelii Roxolanicas gẽtes. Et post quinquaginta sex annos Apostolus Paulus gentilibus nostris Dalmatis, Illyriis, & Nicopolensibus ad Danubium (regia Bulgariæ illa vrbs fuit) iubileum remissionis peccatorum, gratiam & pacem, sonora tuba apostolica prædicauit vnà cum Timotheo & Tichico discipulis suis. De qua re ipsemet testatur ad Romanos 15. 2. Timoth. 4. ad Titum cap. 3. Tum temporis etiam diuus Petrus Galatis, Capadocibus, Thomas Parthis vel Brachmanis, Bartholomæus Indianis, & sic alii aliis prædicarunt. Hac de re Eusebius loco supra citato, & Sabellicus. Ab illo tempore ferunt Christianismum durare apud Piecziborios Scythas, quos forsan Penticapeos Strabo vocat.

Galba dominante.

Anno ab orbe condito 4035.
Anno Christi circiter 73.

REgnantibus aut potius de sceptro imperii inter se digladiantibus Imperatorib⁹, trium aut quatuor gentium Sarmaticarum fit mentio, Sarmatarum inquam Alanorum, Roxolanorum & Iazigum. De Sarmatis Iosephus libro sexto capite vndecimo, consultò recitat historiam, quomodo transeuntes Danubium, in Mysiam impetum fecerint, & illatis magnis damnis præsidia cum eorum duce Fõteio Agrippa interfecerint, prædamque opimam secũ agentes abduxerint, quos postea Rubrion Gallus missus à Vespasiano dissipauit, & dispositis fortioribus præsidiis ripam Danubii aduersus eorũ incursiones tutatus est. Et hinc apparet, fines Romanis, Danubii alteram ripam fuisse, alteram verò à Sarmatis defensam. Alanorum verò Sarmaticarum gentium idem Iosephꝰ libro septimo capite decimo nono gesta recitat, sed eos ibi vulgato errore Scythas vocat. Expeditionẽ isti fecerunt in

Fonteius interfectus.

Sarmatæ Mysiam inuadunt tempore Galbæ Alani.

Pacorum regem Medorum cuius ditionem vsque ad fines Armeniæ deuastauerunt, vxoresque eius abduxerunt. Sed primùm Hircanorum regem attriuerunt armis, eò quòd eis transitum negauit in Mediam per illas angustias montium, vbi, inquit, Alexander Magnus portam ferream excitauerat ad arcendas gentes Arctoas & vectibus ferreis eam obdiderat. Huius loci cum rex Hircanorũ tum dominus fuit, eos illac transmittere noluit. Sic & Teridates Rex Armeniæ non minus periculum adiit eodem tempore, & parum abfuit, quin viuus in eorum manus deueniſſet.

De Iazigibus.

De Sarmatis Iazigiis qui ſuppetias laturi Vannio regi Sueuorum iuerant, cum à Ligiis ſeu Sylleſiis, vt aliqui volunt oppugnaretur, lege Cornelium Tacitũ libro duodecimo, vbi recitat quo pacto Claudius à Domitio fuit adoptatus. Meminit eorum & lib. 19. Et apparet magnæ tum reputationis eoſdem Iazigas fuiſſe. Nã inter ſe armis diſceptantibus Vithelio & Veſpaſiano vtrique prenſant gratiam Iazigum, vt eos in commilitium adſciſcant, & alter aduerſus alterum eorum cohortibus ſe muniat. Plurimum enim vim equitum eorum reformidabant, qua, inquit, etiam illa ætate plurimum valebant.

Sarmatica gens Roxolani vocantur.

Roxolanorum verò prælia libro 10. idem Tacitus commemorat, Othonis acta perſequens. Eò audentius, inquit, Roxolani Sarmatica gens priore hyeme cæſis duabus cohortibus, magna ſpe ad Myſiam irruperant: Nouem millia equitum, ex ferocia & ſucceſſu prædæ magis, quàm pugnæ intenta. Poſt hanc victoriam etiam & cladis eorum meminit quæ poſtea ſecuta eſt & cauſam cur ab eis malè pugnatum ſit, non in ipſos ſed in aëris temperiem aduerſam refert. Sarmatæ, inquit, diſperſi, aut cupidine prædæ graues onere ſarcinarum, & lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, veluti vincti cædebantur. Nam mirum dictu, vt ſit omnis Sarmatarum virtus veluti extra ipſos. Nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignauum: vbi per turmas aduenere, vix vlla acies obſtiterit eis. Sed tum humido die & ſoluto gelu, neque contis, neque gladiis, quos prælongos vtraque manu regunt (horum gladiorum, & noſtra adhuc ætate vſus fuit) vti potuerunt, lapſantibus equis ex cataphractorum põdere, ſimul altitudine & mollitie niuis impediẽte.

Sarmatarum robur in qua inſtructione exercitus conſiſtit.

Gladij Poloni & veteres.

Domitiano regnante.

Anno ab orbe condito 4045.
Anno Chriſti 83.

Veriſimum

VEriſsimum eſt vetus dictum: Bellum incipere in cuiuſuis poteſtate eſt, ſed finem ei imponere, non niſi eorum eſt, qui à Deo adiuuantur. Ita Romanorum bellum cum Sarmatis Gotthisque ſeu Getis ſeſe habet. Sub Auguſto quidem incœptum, ſub Tiberio inflammatum, ſub Domitiano verò ardere cœpit, & tandem Gotthis Italiam inuadentibus in flammas inextinguibiles vel potius cineres verſum eſt. Huius belli apud multos hiſtoricos & poëtas deſcriptionem habemus. Et Suetonius quidem in vita Domitiani ſic: Violatis deinde paulò poſt Romanis bella intulerunt. Eam iniuriam Romani duo duces Opius Sabinus & Cornelius Fuſcus vltum miſsi, ambo vnus poſt alium cum exercitu & legionibus cæſi ſunt. Claruit tunc inter eas gentes princeps ferè omni laude ſuperior, & in rebus bellicis Romanorum ducibus præcipuis comparandus Ducebalus, quem Oroſius Diurpaneum Panorum Polonorum, id eſt, dominorum appellationem præ ſe ferentem vocat. Hoc duce potiſsimum hæ gentes vſæ ſunt in eo bello. Alter ſcriptor Dion huius belli mentionem faciens in laudes eius regis tali digreſsiuncula prorumpit: Is erat inquit, in cognoſcendis rebus bellicis perſpicax, in agendo ſolers, promptiſsimusque ad inuadendum & ad regrediendum, ſi res ita poſtulabat. Nouerat enim optimè inſidias facere, prælium committere, optimè vti victoria, & acceptam cladem ferre moderatè. Sed Suetonii verba ipſa de hoc bello & de Domitiano adſcribere placet: Expeditiones, inquit, partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſariò: ſponte in Cattos: neceſſariò autem vnam in Sarmatas, legione cum legato ſimul cæſa. In Dacos duas: primam Oſpio Sabino conſulari oppreſſo. Secundam Cornelio Fuſco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat. Laborat hîc Iuſtus Decius ſcriptor rerum Polonicarum volens probare Getas fuiſſe Sarmatas. Sed hæc res labore tanto non indigebat, cum res per ſe ſit plana. Cuius negocii euidentiſsima documenta à me adducta ſunt, & adhuc inferius adducentur. Ex Paulo Oroſio: conſimilia de eodem bello. Bellum aduerſus Germanos & Dacos per legatos iuſsit adminiſtrari pari Reip. pernicie. Nam quanta fuerint Duirpanei Dacorum regis cum Fuſco duce prælia, quantæq; Romanorum clades longo textu euoluerem, niſi Cornelius Tacitus de reticendo interfectorum numero & Saluſtium Criſpum & alios autores quamplurimos ſanxiſſe, dixiſſet. Domitianus tamen prauiſsima elatus iactantia ſub nomine ſuperatorum hoſtium de extinctis legionibus triumphauit &c.

Ex Suetonio.

Oroſius lib. 7. cap. 10.

Eutropius verò de iiſdem expeditionibus Domitiani ad eundem modum ſic ſcribit: Expeditiones quatuor habuit: vnam ad-

Ex Eutropio.

uersus Sarmatas,alteram aduersus Cattos.De Dacis Cattisque duplicem triumphum egit, de Sarmatis solam lauream vsurpauit. Multas quidem calamitates iisdem bellis passus est. Nam in Sarmatis legio eius cum Duce interfecta est, & à Dacis Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætorii, cum magnis copiis occisi sunt. Meminit & Statius eiusdem cladis.

Rhenus & attoniti vidit domus ardua Daci,
Et coniuratos deiectos vertice Dacos.

Ex Iornande. Quia hic Statius meminit coniurationis Gotthorum contrá Romanos,exponit hæc Iornandes,commemorans fœdus quoddam, quod cum aliis principibus pepigerant Gotthi: Huius confœderationis mentionem facio, ad illustrandum consilium Slauorum, qui simile fœdus aut idem contra eorundem Romanorũ potentiam fecerunt.Et tunc Slauorum nomen sibi imposuerant:de qua re Iornandem iam audiamus: Domitiano inquit,regnante,eius auaritiam metuentes, fœdus quod dudum cum aliis principibus pepigerant Gotthi soluentes, ripam Danubii iam lõgè possessam ab imperio Romano, deiectis militibus cum eorum ducibus, vastarunt,cui prouinciæ tunc post Agrippam præerat Pompëius Sabinus (de Agrippa hoc à Sarmatis occiso, supra ex Iosepho memini) : & mox: Apud Gotthos autem Dorpaneus principatum agebat, quando bello commisso Gotthi Romanis deuictis Pompeii Sabini capite abciso multa castella & ciuitates inuadentes de parte Imperatoris,publicè deprędarunt,qua necessitate suorum Domitianus adductus cum omni virtute sua in Illyrium properauit, & totius penè Reipub. militibus ductore suo prælato cum electissimis viris amnem Danubium confertis nauibus ad instar pontis transmeare coëgit super exercitum Dorpanei. Tum Gotthi haud segnes reperti,arma capessunt, primoque armati cõflictu mox Romanos deuincunt,Fuscoque duce extincto diuitias de castris militum despoliant, magnaq; potiti victoria, iam proceres suos quasi qui fortuna vincebant,non puros homines sed Anses vocauere.

Pompeius Sabinus deuictus

Fusc⁹ deuictus

De pseudotriumphis Domitiani.

Vera autem Dionem de eo scripsisse apparet, cò quòd constat inter omnes Domitiano Cæsari ita formidabilem fuisse Diurpaneum,vt ne aspicere eum,nedum accedere aut cõserere manus cum eo ausus fuerit. Ideo Sabinum & Fuscum magni tum nominis duces,ei opposuit. Sed & ii fusi fugatique cum exercitibus toties victoribus, deleti trucidatique sunt. Veritus igitur Domitius infamiam apud suos,simulque ne adiret periculum capitis, vana & futili iactantia & pseudotriumphis negocium corrigendum sibi statuit:poëtis

tuit: poëtis dat negocium celebrandi ſua bella, trophæa paſsim collocat victoriarum, triumphosq; de trucidatis legionibus pera git. Interim verò ne Diurpaneus victoriam proſequatur, pacem redimit, falſamque gloriam aucupatur, non modò de Getis & Da cis, ſed etiam de Sarmatis. Fatetur tamen, ne in toto mendax appareat, minus ſe interfeciſſe de Sarmatis, proinde hac de cauſa lau ream tantùm Ioui Capitolino donat, vt Suetonius tradit.

De regno Dacorum, noſtra memoria excitato.

Ac eius quidem regni memores etiamnum Valachi noſtra memo ria ante quindecim annos, extimulati fama veteri rerum geſtarū, cogitabant hoc ipſum regnum ſitu iam & puluere obſitum inſtaurare, ac quendam Deſpota de ſtirpe veterum Deſpotarum, vt ille ferebat, volebant regio diademate inſignire: ſed tota illa res breui in inuidiam verſa, tandem ipſimet Deſpotę interitum accelerauit. Paulò poſt enim à Thomſa quodam Satrapa, palatii ſui magiſtro obtruncatus fuit, quo nomine de eodem interfectore ab Auguſto Rege Poloniæ tanquam ſupremo Daciæ domino ſupplicium ſumtum fuit. Leopoli enim metropoli Ruſiæ in foro cunctis ſpectantibus præciſum ei fuit caput. Noueram ego hunc Deſpotam, & familiariter eo vſus ſum non exiguo tempore. Et videbatur ho mo eſſe religioſus & bonus. Sed vt poſtea ferebatur, ſucceſſu fortunæ deprauatus ſuperbire cœperat, amicitiamq; cum Baronibus Poloniæ reſcindere, quam ſi diutius coluiſſet, & ipſe incolumis hactenus regnare potuiſſet. Sed verè dicitur: Luxuriant animi rebus plerunque ſecundis: Et, aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum. Verius autem ad Tranſyluaniam gloria regni Dorpanei iure ſucceſsionis pertineret, quàm ad Valachum, cum ſedes Daco rum & Dorpanei præcipuę fuerint, vbi nunc eſt Tranſyluania, cuius rei à me mentio ſuperius eſt facta. Oroſius, vtpotè latinus, regem hunc Dacicum, Diurpaneum vocat, at Græci Decebalum, ſicut apud Dionem videre eſt.

Deſpota Valachiæ.

Cauſa interitus Deſpotæ.

Appendix.

Poſt deuictos Romanos, tanta gratulatio oborta fuit Dacibus, vt etiam ſuos belli duces, Anſes, id eſt, ſemideos, quos Ruſsi Bohatiras, latini Heroas, Germani halbe gotter, vocare inciperent. Ex his Heroibus originem ducit Iornandes, & familia clariſsima Amaleshutorum, de qua paulò poſt dicemus. Poſt illa bella exiſtimo monetam Romanam cum imaginibus & inſcriptione Traiani in Poloniam inuectam, quæ à ruſticis etiamnum arantibus agros reperitur

Anſes vel Bohatiri.

Occaſio monetæ Romanæ in Poloniam inuectæ.

gros reperitur effoditurq;. Hæc vero est, alia bigata, alia quadrigata. Nam olim ab Imperatoribus pecunia cum talibus imaginibus in triumphis spargebatur.

De temporibus Traiani Imperatoris.

Anno ab orbe condito 4065
Anno Christi 105

QVia durabili præsidio Romanorum bella administrabātur, ideo quantumuis robur exterarum gentium sese eis pro tempore obiiciebat, omnes tamen aut vi aut mora, extrahendo tempus conflictus, debiliores reddebant. Sic bellum Diurpaneicum, cum sedecim annis durasset, ad extremū tandem Rege extincto debilitari cœpit,& paulò post ab Imperatore Traiano finitum est. Occasio renouati belli, erat memoria recens interfectorum Ducum cum exercitibus sub Domitio,& quod recens Iazigas Metanastas Diurpaneus vi & ferro,vt desertores cōmunis belli & cōmunis periculi hostiliter persequebatur. Manebant Iazyges in vicinia Dacum,Tibiscum versus. Itaque Romani vsitato eis prętextu defendendi vicinos,(pręsertim qui oppressi esse videbātur)aduersus vim potentioris regis,expediunt arma. Potitus victoria Traianus, ob perennem memoriam rei bene gestæ, triginta columnas, vt essent veluti termini & gades imperii, in Istrum iniecit. Expulit & magna ex parte veteres colonos ex Dacia, illectusque soli fertilitate veteranis suis eam attribuit,hoc nimirum consilio,vt essent velut antemurale & propugnaculum cōtra vlteriores Sarmatas. Vtq; celerius & magis expeditè à legionibus,quæ ad tutandos fines Mysiæ erant iuuarentur,& ipsi vicissim re ita exigente legiones illas iuuare possent, pontem admirādo opere & impensis magnis per Istri vastam amplitudinem excitat,non procul à Nicopoli,vbi quondam Paulꝰ Apostolatu fungebatur,vbi etiam postea copiæ Christianorum quas contra Turcam Sigismundꝰ Cæsar ante centum annos eduxerat, à Turcis oppressæ sunt. Per eam occasionem proditum est memoriæ ab historicis, quòd Valachi initium sui dominatus in illis oris iecerunt. Sed quia Valachorum obiter mentionem feci,non absre fuerit si luculentius de eorum origine,quid sentiendum sit, ex monumentis veterum retulerimus.

De Dacorum et Valachorum vera origine.

Narrat

Narrat Eutropius, quòd profligatis Dacorum copiis Traianus Imperator illam regionem in formam prouinciæ redegerit, Romanoque Imperio adiecerit, siue vbertate soli illectus, siue eo proposito, vt haberet vnde militibus stipendia merita compensaret. Quod autem ipsi Valachi iactant se ortos à Flacco quodam Romanorum principe, non omnino hallucinantur, habentque quendam eius rei prætextum. Poëta enim Ouidius in suo carmine facit mentionem eius rei, vt supra quoque commemoratum est. Sed Flaccus hic Augusti temporibus adhuc in Mysia inferiore in vlteriore ripa Istri militabat, nec sese Romani adhuc ineam regionem citeriorem insinuare poterant. Vera ergo sunt hæc, quæ ex Eutropio adferuntur. Sed consilium Imperatoris, occupandi alteram ripæ partem, poterat ad acquirendam laudem ipsimet prodesse, sed Romanis valde triste & exitiale fuit. Traiecto enim Istro, illa finium turbatio & pontis extructio seminarium fuit postea illorum diuturnorum bellorum Gotthicorum. Nam ob illam temerariam & imperiosam Romanorum audaciam omnes hæ gentes ita exasperatæ sunt, vt totus tunc contra eos septemtrio tonare videretur. Facta enim conspiratione & confœderatione inter sese, toto animo contra eos ferebantur. Huius coniurationis Poëta etiam meminit: Et coniuratos deiecit vertice Dacos &c. Sed narrata occasione rei, ad propositum redeamus. A gente Getica Valachos primam originem ducere, præter documenta alia illud argumento est, quod vigorem animi ad eam vsque diem, eundem retinent, & bellis apprimè delectantur, ita vt eodem epitheto Marticolas cum poëta eos merito vocare possimus: aspectum trucem præ se ferunt, & in fronte hyrcum militarem gerunt. Lingua eis cum Getis quondam communis fuit. Nam Strabo testatur suo tempore vtrosque & Getas & Dacos vnius linguę fuisse. Quod autem vestigia linguę Italicæ inter eos sparsa sunt, existimatur ab illis legionibus Italicis factum esse. Sed tamen Sarmaticæ linguæ vsus apud eos quoque hactenus ita perfamiliaris fuit, vt etiam regulum suum Vaiuodam lingua nostra vocare non desierint. Quin & ipsum nomen quo gens vocatur, à nostris hominib. est eis impositũ. Nam cum nostrę linguę homines eos Valachos, hoc est à Valachis vel Italis oriundos cœperũt appellare, mox vicinę quoq; gẽtes nostro exemplo, id est Germani, Lithvvani, ac demum & ipsi Itali similiter assueuerunt eosdem cognominare. Sed & in Græcis historiis Blachos, W litera in B mutata eosdem vocari reperimus. Hi Multani etiam subinde vocantur, vocabulo ad illos saltem detorto, qui superiorem Daciam inhabitant. Sunt tamen alii quibus infe-

Eutrop. lib. 8.

Blachi.

Multani vnde dicti.

riorem prouinciam potius ita appellare placet. Puto autem Multanos à multitudine gentium quæ eò confluxerant, temporibus Romanorum, & varietate confusioneq; linguarum sic appellari. Ostẽsum enim est præter antiquos Getas & Dacos etiam Grẹcos & Italos & Slauos isthic habitasse. Et Ptolomæus Cistobocas & alias pleraſq; prouincias Daciæ à Sarmatis vlterioribus inhabitatas fuisse affirmat. Quin & ad Tyram populi Sarmatogetæ ab eodem ponuntur. Temporibus autem Honorii & Arcadii Gotthos iam post illam expeditionem Italicam hanc regionem recuperasse, autor est Iornandes & Procopius. Ab hac igitur multitudine gentium Multanos vocatos esse, sicuti Sylleſiam, eandem ob causam nomen suum sortitam res ipsa indicat. Mores gentis sunt magna ex parte ad astutiam inclinati. Ideo principes finitimi, etiamsi deierauerint millies, non admodum eorum pactis fidunt. Sed & Cornelius Tacitus aliquid simile vetustatem de eis sensisse prædicat: Nota, inquit, Dacorum gens, nunquam fida, tunc sine metu abducto ex Mysia exercitu &c. In historia Latina prima eorum fit mentio ab anno 1330. In Græca autem à temporibus Isaaci Angeli. Fuit Wnalia dux belli strenuus ex hac gente tempore Honorii. Fuit & Actius ille popularis Valachorum, non dispar huic, q̃ medius steterat cum suis copiis in illa grauissima pugna triduana, Vãdalorum inquam, Hunnorum & Gotthorum ad Tolosam.

Tyragitæ Sarmatæ.

Appendix.

Forma ponti in Danubio.

Formam pontis illius admirandi à Traiano in Danubio extructi Dion describit in Traiano ad eum modum: Eius pontis pilæ sunt 20. ex lapide quadrato, singulæ absque fundamentis, altitudine pedum 150. latitudine 60. Distant inter se interuallo 180. pedum, suntq; cum fornicibus coniunctę, cuius operis sumptus licet sit incredibilis, tamen plus admirationis habet, quod hęc in fluuio gurgitibus pleno, limosoque alueo facta sunt, quodq; fluxus eius fluminis alio auerti non potuit. Neque verò latitudo ipsius idcirco à me dicta est, quòd permagna sit: nonnunquam enim duplo triploq; magis inundat, sed quod tanta sit in eo loco angustissimo, quo tamen nullus erat ad pontes faciendos accommodatior. Quo in loco, quanto magis flumen ex lato in angustum fluit, rursumque ex angusto fit latius, tanto rapidius fertur, altiusque est, vt id pontis faciendi difficultatem augeat maximè. Ex quo Traiani magnitudo animi intelligi facilè potest.

De Burijs Sarmatis qui tunc commilitabant. Dion ibidem.

Postquam

Postquam Traianus in Dacos exercitum duxit, nec longè abfuit ab iisdem locis in quib. Burii hostes castra posuerunt, fungus ingens ad eum allatus, in quo scriptum erat latinis literis: Burros sociosque omnes à Traiano petere, vt pace facta domum reuerteretur. Sed Traianus nihilominus conflixit &c. De Buriis supra dixi. Erant ii populi ad ripam Istulæ, ferè eo locorum, vbi nunc Varka aut Varsauia. Vide Ptolomæum. Circa eadem tempora Gotthi nostri seu Visogotthi Germanorum fines attrectant: sed à Ducib⁹ Germanis Richimero Francorum & Ermanaricho Turnigiorum reprimuntur. Germania enim toties à Gotthis vastata, vi confœderationis illius excîta, intenta erat ad infringendos conatus Gothorum. In decursu etiam eorundem temporum referunt historici Sauromatas à Traiano Imperatore fuisse in fidē acceptos, quod de Asiaticis Sarmatis intelligendum puto. Nam hæc sub tempus expeditionis illius acta prædicantur, quando Traianus in orientem profect⁹ erat cum exercitu, quo tempore magnum discrimen vitæ adierat. Tempestate enim illius terræ motus, qui Antiochiæ acciderat, parum aberat quin obrueretur, ni se confestim inde proripuisset. Iam quod Danos à Dacibus istis siue Valachis quidam deducunt, non videtur vero consentaneum esse. Plinius enim iam suo tempore insulam illā, vbi nunc est regnum Daniæ vocat Dumos. Ideo proprie Poloni eos non Dacas sed Dunos vel Dunczi ki vocant. In qua sententia est etiam Melius Ptolomæi interpres, qui magis propriè vocandos censet Danos quàm Dacas. Hos alii Multanos vocant, quod ex multis generibus hominum conflati erant, quò etiam Mysiorum nomen od zmieszánia iezyká respicere videtur. Illa enim confusio gentium constare videtur ex aduenis & indigenis, hoc est, potissimum ex Roxolanis Romanisque sicut & Sylleſiorum voce quasi conuenarum globum quendam instar Euripi tumultuantium vocatum putant, licet alii Sylleſiorum nomen Slauonum nomen respicere, cum eoque cohærere putent.

Sociale bellum

Burij qui.

Gotthi Germaniam vastant.

Terræ motus Antiochiæ.

Multanorum, Mysiorum, & Sylleſiorum nomen.

Post tempora Traiani, regnante Adriano Imperatore.

Anno ab orbe condito 4080.
Anno Christi 118.

ADrianus Traiano succesit, qui quanquum optimè consultum nomini sui consobrini & patroni voluit, cuius ope ad decus imperii peruenerat, tamen cum animaduerteret eius consiliis non respondere effectum, quin potius contrarium accidere

rium accidere, itaque pontis illius per Danubium machinam superbè & multo sumptu extructam deiicit. Nam cum hæc eo fine excitata & excogitata esset, vt magis expeditè harum gentium incursiones à Mysia arceri possent, contrarium accidit. Instrato enim ponte & via patefacta, quoties libuit, silenti agmine & aperta vi infundebãt se & adoriebantur ditiones Romanorum prædasq; liberius agebant, oblata & transcendendi flumen & redeundi tam commoda occasione. Ita non rarò accidit mortalibus, vt quæ putant ipsis prodesse sæpe obesse soleant. Pontem igitur illum primus Traianus extrui curauit, hunc post eum Adrianus diruit & deiecit. Rursus eundem Iustinianus nouis ad hoc institutum causis eum impellentibus instaurari curauit. Et hoc anno quo Serenissimus rex Poloniæ in Moschouia abfuit, fama fuit sparsa, Turcam velle omnino exemplo superiorum Imperatorum denuo eundem excitare.

Traianus pontem erigit, Adrianus pontẽ diruit. Iustinianus restaurat eundem.

Occasionem pontis illius à Traiano fabrefacti describit Dion historicus inquiens, quòd Traianus pontem hunc fecerat, metuens ne Danubio cõglaciato frigoribus, Romanis qui trans flumẽ essent bellum inferrent, quòd si eueniret, vt posset per eum copias facilè traducere. Adrianus contra metuens, ne Sarmatæ oppressis custodibus pontis in Mysiam facilè trãsirent, superiores partes eius disturbare iussit, ita vt pilæ eius tantùm ostentationis causa supra vndas eminerent, constaretq́ue nihil tale reperiri, quod humano ingenio & insano sumptu effici non possit. Meminit Orosius belli Sarmatici cum Imperatore Adriano lib. 7. cap. 13. ante Traianum etiam pontem extructum fuisse legimus à Domitiano, sed ille fuit ligneus, nauibus contextis innitens, vt supra etiam meminimus. Ante Domitium Darius etiam in eodem Istro ad Zeugma Ieron pontem erexerat. Strabo lib. 7. Cazimirus Magnus rex Poloniæ longè post, ibidem Seuerinum oppidum locauit, vt esset arx belli. Cromerus lib. 13. Vbi Iouius quoque hunc pontis locum fuisse affirmat.

Ante Traianũ idem pons erat ligneus.

De finibus vetustis et limitibus Sarmatiæ Europæ tractatio iucunda et vtilis.

Quia hîc sæpius incidit sermo de limitibus, quibus Sarmatiæ à regionibus Imperii Romani distinguebantur: Præterea quia Ptolomæus Mathematicus iisdem temporibus floruit, qui præ aliis, luculentius de Sarmatiis earumq́ue situ & finibus memoriæ prodidit, non potui sicco pede transire hanc rem, præsertim cum ea tractatio non modo seruiat delectationi, sed etiam vtilis sit, & digna

auribus

auribus Principis & cuiuſuis nobilis Poloni. Eſt præterea res iucunda homini liberaliter educato, noſſe in qua regione patria ſit ipſius ſita, in qua enutritus & educatus ad ſocietatem humanam, cui etiam hoc nomine vitam & fortunas ſuas debeat Audiuimus autem iam aliquoties quo modo Moſes diuinus, cum eſſet eruditus in omni genere ſciẽtiarum Aegyptiacarum, trium filiorũ Noë legiones exactè ac propemodum Geographicè diſtinxerit ac diſlimitauerit, vt putares eum regundorum finium perfectiſsimum magiſtrum fuiſſe. Nam & conſuetudinem mathematicorũ & phraſes ipſas ſequitur. Sicut enim Ptolomæo eſt conſuetudo, latera regionum primum deſcribere, ita & Prophetæ, ductorem ſuum Moſen ſecuti, laterum aquilonis, in quibus Moſoch regnauit & aliiſeptemtrionales principes, ſæpius meminere. Exiſtimo igitur principia artis Geographicæ ab illis ſanctis patribus profecta fuiſſe ex quibus artem poſtea integram coagmentarunt inſignes artifices. Babylonica ergo hiſtoria, deſcribendo fines Sarmatiæ Europææ, affirmat hos populos illo tempore vetuſtiſsimo regnaſſe à Tanai vſque ad ipſum Rhenum. Nec mirum videri debet, quòd Beroſus tam latè diduxerit fines Sarmatiæ. Credibile eſt enim etiam illo tẽpore vſitatum fuiſſe Sarmatarum nomine vocari omnes gentes, quæcunque lingua Slauonica vtebantur, puta: Polonos, Roxolanos, Getas, Vandalos, & Moſchos, & alios populos apud quos hactenus in vſu eſt lingua Slauonica, qui illa loca inhabitarunt. Sicut autem Babyloniorum regum temporibus, ita quoque & Alexandro Magno regnante tam longè & latè Sarmatas regnaſſe, tenuiſſeque vtramq; ripam Iſtri probari poteſt. Quod ex tranſactione Alexandri cum Getis, & diplomate conceſſo, cuius non ita pridem libro ſecundo mentionem fecimus, cuiuis probatum eſſe poteſt. Prẽterea locus ad Tanaim, vbi olim fuiſſe aras Alexandri ſcriptores tradunt, indicat fines Sarmatiarum eoſdem fuiſſe temporibus Græcorum Monarchiæ, ita vt videatur iſta res non modò ſcriptorum nudis verbis celebrata, ſed etiam ſignis incurrentibus in oculos veluti gadibus quos ſcopulos vocant confirmata, id quod facere ſolent ii, quibus facultas regendi fines inter vicinos à ſuprema poteſtate concreditur. Hæc acta ſunt ante bis mille annos. Sic poſt Alexandrum Lyſimachus princeps & ſucceſſor Alexandri, id quod ſummus Monarcha in orbe ſemel ſtatuerat, ratum fecit & confirmauit. Quod ex ſecunda eius trãſactione liquet, quam cum Dromichete rege Getico peregerat. De qua re lib. 2. abundè à nobis commemoratum eſt, cum tempora eiuſdem Lyſimachi perſequeremur. Sic Darius rex Perſarum, poſt Cyrum ſecundæ Monar-

Principia geographica à patribus accepta

Beroſus lib. 4. & 5.

Temporibus Alexandri Magni diſtimitatio Sarmatiæ.

Lyſimacho regnante.

Darius.

chiæ conditor, non legitur fines Sarmatici regni aliquando rescidisse. Habuit autem eius rei occasionem admodum oportunam in reditu ex Septemtrione, illo nimirum tempore cum ad Amintam regem Macedoniæ cum duriore nuncio misisset. Ecce iam ostendimus consensum, qui fuit trium monarchiarum tēporibus, ostendemus quoq; Romanorum, qui eadem quæ superiores de finibus Sarmatiarum sanxerant rata habuerunt, suoq; calculo comprobarunt. Scribunt enim historici Augustum cum in Hispania illis periculosis temporibus degeret, cum legatis Sarmatarum Getarumque pacem sanxisse, fœdusque percussisse iis conditionibus, ne ri pas Istri transcenderent. Ideo ad Lucullum scribit, vt aduersus Sarmatas ripam tantùm Istri tueretur. Et de Flacco OVIDIVS inquit. Hoc duce, ripa tuta fuit Istri. Et ostensum est ex eodem Poëta Ouidio, quòd suo tempore mare illud, qua se Ister Ponto miscet, mare Sarmaticum vocabatur, ex quo irrefragabiliter concluditur, fines Sarmaticos eatenus extendi, quatenus mare Sarmaticum diffunditur. Imò & Plinius expressè fatetur Calostomum, id est tertium ostium Istri Sarmatas inhabitasse. Hæc dicta sint de limitibus Sarmaticis orientem versus. Quod verò attinet ad occidentales limites, de iis scribit Suetonius sic: Germanos vltra Albim summouit, ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes se, in Gallias traduxit, atque proximis Rheno agris collocauit. Quæ verba Suetonii Beroaldus & Antonius Sabellicus exponens, inquit: Albis fluuius est, qui in duo spacia Germaniam disterminat, vt autor est primo Geographię Strabo, qui in septimo tradit Romanos non transcendisse fluuium Albim &c. Quod autem narrat eum Sueuos transtulisse in Gallias & ad Rheni fluenta, forsan ideo fecit, quòd eos malè tutos fore à nostris gentibus præuidebat, qui fines suos ad ripam Albis fluminis extendebāt. Itaque Sueuos tanquam alieni fundi dominos inde transtulit, ne deinceps materiam belli Sarmatis aliquam relinqueret. Sic Traiani columnarum aut pilarum in profluentem Istri iniectio, pontisque erectio quid aliud sibi vult obsecro, nisi quod huiusmodi signis Imperatores eosdem fines in omne æuum sancire voluerunt. Et quamuis postea laceſitus prætergressus sit hos limites, colonias in Daciam transmittendo, tamen Gotthici populi breui sua recuperarunt. At Adrianus successor Traiani illum ipsum pontem tanquam materiam omnium malorum deiecit, reipsa innuens se velle veteribus finibus Istri contentum esse. Iam ordo & series temporum nos monet, vt Ptolomæi quoque testimonio ea quæ diximus probemus. Scribit verò is Sarmatiam Europæam à septemtrione Oceano terminari, ab

Quarte monarchiæ assensus.

Suetonius in vita Augusti.

Florus lib. 4. cap. 12.

Occidentalis limes.

Romani Albim non transierūt

Traiani tempo

Ptolo. lib. 3.

nari, ab occasu parte Germaniæ, à meridie Iazigibus Metanastis. Ac quemadmodum Ouidius Ponti Euxini illam oram, qua sese Istula & Borysthenes exonerant, Sarmaticum mare vocat, ita Ptolomęus Oceanum qua Istula & Albis mari miscetur eodem cognomine, id est, Sarmaticum appellauit. Quod si istis lateribus duobus veluti parietibus addideris Carpati montes, quos etiam multoties Sarmaticos montes idem scriptor ex autoritate & consensu antiquitatis vocat, non erit difficile quę Sarmatia antiquis erat, eiusq; fines cõcipere. Quicquid enim gentium reperitur intra duo maria ista Sarmatica, id est, Põtum Euxinum ab oriente, & Oceanum ad Istulã ab occidẽte, mõteśq; Sarmaticos circum à meridie, id totum Sarmatiã appellari nemini dubium esse debet. Ptolomęus ergo si iuxta Ioachimi Vadiani sententiam exponatur, pro nobis facit. Verba Ptolomæi sunt: Ab occasu verò terminatur Vistula fluuio & parte, quæ est inter caput ipsius & Sarmaticorum montium, linea & montibus ipsis quorum situs dictus est. Quæ verba Vadianus scribens in Pomponium Melam sic exponit: Ideo Ptolomæus addit, non Istula tantùm, sed & montibus qui in Iazyges imminent, & Germaniæ parte terminatur. Sed de Ptolomæo eiusque sententia quid sentiendum sit mox accuratiùs dicemus.

Temelior geographicum.

Ex Solino.

Solinus & Mela Pomponius Sarmatarum fines non denotat, sed tamen dum Germaniæ veteris limites describit facilè patet qui Sarmatiæ fines tum fuerint. Porro de Germania sic tradit: Germania extenditur inter Hercynium saltum, & rupes Sarmatarum, vbi incipit, Danubio, vbi desinit, Rheno, perfunditur. Ergo iuxta Solinum initium veteris Germaniæ à capite Danubii incipit, & extenditur, quà Rhenus lambit mediterranea totius Germaniæ. Vbi ergo alas suas nunc Germani extenderunt, ab illa parte Gallia erat, ab hac verò Boëmia, versus Sarmatiam.

Ex Iornande

Ad Ptolomæi descriptionem & Solini, addatur etiam illa Iornandis qui Iustiniani temporib. statim sub Lechi tempora vixit. Nam & is non dissimilia de finibus Vandaliæ memoriæ prodidit: Vandali, inquit, ab oriente Gotthos, ab occidente Marcomanos, à septemtrione Hermoduros, à meridie Istrum habent. In quibus verbis tria debent obseruari: Primò quòd Gotthos, Burios, Quados, & Ossos in Vandalis reponit. Nam si cum Marcomanis vsque ab occidente fines habuerũt Sarmatici Vandali, Gotthini autem, Ossi, Burii,

si, Burii, terga Marcomanorum iuxta Cornelium Tacitum claudunt Istulam versus, tunc necessariò in Vandalorum partem non Germanorum trãseunt. Secundò, notandum quod hic à possessione ripæ Istri Vandalos non remouet suo æuo. Tertiò quod confines eis Hermunduros facit. Et notum est etiam attestante autore supplementi Carionis, Hermunduros habitasse in aditu montium Sudeti, quos Vandalicos montes Dion vocat. Ergo apparet vtrũque, Dionem inquam & Iornandem consentire in eo quod Vindæ seu Vandali iam illo tempore ad Albim sedes suas habuerunt, à quibus certè Sorabi non possunt disiungi, vt etiam mox ex Caroli Magni historia eadem res clarius illustrabitur. Affirmant autem nostri historici, Dlugossus, inquam, Miechouiensis, M. Cromerus, & luculenter declarant, Caroli Magni temporib⁹, quo etiam Lescus tertius apud Polonos regnauit, fines nostrarum gentium vsque ad Albim & vltra Albim prolatos fuisse. Quorum narrationem etiam autor ipse supplementi Carionis, homo alioquin Germanus, & historica professione nemini secundus, suo calculo cõprobat: Cuius verba hęc sunt: Terminarunt ergo Germaniam, versus ortum & gentem Henetam Caroli Magni temporibus, Albis fluuius & montes Boëmici. Sic & autor supplementi eiusdem Carionis Marcomanos dictos esse affirmat, quòd Germaniam à Sarmatia olim diiterminabant. Mark enim fines significari dicit lingua Germanica. Et Buguntas quos ad Albim ponit Ptolomæus, indicat esse colonias Burgundiorum, quos inter Sarmatas collocat, sicuti & nunc incolæ illorum locorum sunt stirpis Polonicę. Sed versus occasum non reperio &c. Sed & ipsius Theodosii temporibus (quòd iam multò ante fuit) fatetur Saxonicos & Turingicos exercitus collocatos fuisse in illis partibus ad tuendos limites contra Sarmaticos &c. Hæc temporanea defensio finium in ordinariam abiit. Nam postea temporib⁹ Carolorum, Otthonum constituti sunt Marchionatus, hoc nimirum consilio & ad eum finem, vt essent semper parati ad tutandos & defendos illos limites, non expectato illo comitiorum publico senatus consulto, quod & expositio ipsa nominis eorum indicat: Marchiones enim quasi limitanei custodes dicuntur. Nam sicut Marchionis Antuerpiensis officium erat fines aduersus Gallos, ita Tyrolẽsis aduersus Slauos, Austriaci aduersus Pannonas, Duringici aduersus Danos, Saxonici verò & Mysnici aduersus Sarmatas defendere. Vel igitur ex hac sola Marchionatuum ordinatione, officioque eorum qui hunc magistratum gerunt, ac ex ipsa vi nominis liquet, qui fines olim fuerint Germaniæ, & qui Polonorum. Nam si Germania vlterius ad septem-

Consensus Iornandis & Dionis Historici et neotericorum.

lib. 4. à principio.

Buguntæ Burgundiones sunt

A distinctione Marchionatuum argumentum.

ad ſeptemtrionem protenderetur, vtique iſti marchionatꝰ nequaquam ad Albim & Salam, ſed ad Viadrum & Viſtulam conſtituti fuiſſent, ſicuti poſtea fatiſcentibus viribus Polonorum ob direptum & diuiſum regnum per principes Regię ſobolis, Brandeburgẽſis inſtituta eſt vltimò noua Marchia. Quod ſi autem aliquibus adhuc iſta quæ attulimus non ſatis faciunt, ſaltem cõſiderent ſcripta eorum, qui etiam tempora conſignarunt, quando & à quibus illæ Slauonicæ prouinciæ Poloniæ detractæ ſunt. De Luſacia enim vtraque chronicon Germanicum ſic annotat: Sub Henricho inquit, Boëmia Luſaciæ acceſsione vtriusque aucta in fidem & clientelam contulit ſe Cæſaris. Et mox: Hæc res cauſam dedit, vt principes Sylleſię orti à Ladiſlao, vt dixi, dolore repulſæ & cõtemptus ſui, à Polonis diſcederent. Et poſtea: Mox ſeſe duces Sylleſiorum ex certa & tuta libertate in ſeruitutem coniecerunt, priore duriori conditione infeliciter mutata. Inuitati enim & conuerſi his diſsidiorum domeſticorum occaſionibꝰ, ad concupitam iamdudum & tentatam ſæpe Sylleſiam Boëmici reges, Ioannes patre Henrico 7. Imperatore natus, vir aſtutus, & Carolus filius, auctis inter diſsidentes principes odiis, non magno negocio perfecerunt, vt aliqui ſponte, aliqui expugnati minis vel pretio, plurimi blandis capti pollicitationibus, liberè colla obuio iugo ſubdiderint. Hoc inteſtinarum diſcordiarum motu redacta ſub iugum Sylleſia, paruit deinceps regibus Boëmiæ. Et paulò poſt: Hoc nuptiarum fœdꝰ, hoc eſt Iagellonis & Heduigis reginæ Polonorum, inter vtramque gentem Polonicam & Lithvvanicam bella diremit, & Polonia adaucta acceſsione Lithvvanię ac finitimę Ruſsię, iacturam auulſæ Sylleſiæ compenſauit. Eadem ſcripſit Dlugoſſus Polonus, & Martinus Cromerus de occaſione ademptæ Sylleſiæ, Luſatiæ, Pomeraniæ & aliarum prouinciarum Albim verſus, à regno Poloniæ. Sed malui non meę gentis hominis teſtimonium adducere, ne de re per ſe manifeſta poſtea quiſquam ambigat. Ad eandem rem facit teſtimonium illud cuiuſdam hiſtorici recentis: Huius rei, inquit ille, non modò ſcripta hiſtoricorum, ſed etiam vrbium populorumque nomina & cognomina nobis argumento eſſe poſſunt. Sunt ibi populi qui adhuc noſtra lingua vtuntur, Luſacii, Vindæ, Sorabi, cum quibus contigit mihi lingua noſtra ſæpius loqui. Et cum aſsiderem menſæ, hoſpita dixit ad puellam: Golyca náhulay bánku pyvvá, id eſt, famula adfer amphoram cereuiſiæ. Sic & vrbes ſuis nominibus teſtantur, cuius nunc ſunt & cuius ditionis antea fuere, Zgorzelecia, Miedzibozum, Wiſmaria à Lecho ipſo condita, Luna & ipſa Lubeka, quæ adhuc ab incolis illius re-

Luſacia & Sylleſia quando a uulſa à Polonia et per quos ante 200 annos

Vltimi & poſtremi Suidnicienſes à Polonis auelluntur, Cromerus autor.

gionis,qui ſunt noſtrę linguæ Bukouecia dicta.Ampliſsimum em porium illud eſt quod nobilitate famæ & opibus cum Gedanenſium portu certare videtur. Has diuiſerat Leſcus ſecundꝰ inter filios ſuos,& quid cuiq; filiorum ceſſerat,non eſt mei inſtituti nunc commemorare,cùm autores nominati toties ante me id fecerint, & ex profeſſo hoc argumentum tractarint. Cõmemoratur etiam hîc de contributione Lebuſenſis epiſcopatus, quam vocant numum ſancti Petri. Hic numus hactenus in ærarium cleri Poloniæ confertur, vt inde veteri more ante defectionem illarum prouinciarum nomine huius regni Põtifici Romam mitteretur.Quo argumento M.Cromerus epiſcopus Varmirgenſis probat illas prouincias fuiſſe ditionis Polonorum. Nam eundem epiſcopatum à Boleſlao fundatum poſtea Cazimirꝰ Vratiſlauiã tranſtulerat.Quę demum acta ſunt temporib. Caroli Magni & paulò poſt in negocio finium quib.Germania & Sarmatia diſtinguntur expoſuimus. Sed & temporibus Chobri regis Polonię,quo Otho tertius Germanię imperio præfuit,vt hæc ipſa altercatio de finibus ſemel tolleretur,& inter reges inuicem amãtiſsimos,Othonem,inquam & Boleſlaum eius nominis Chobri, amicitiæ fœdus Gneſnæ in illo celebri regum conuentu ictum,floreret & magis ac magis augeretur,eoſdem fines,qui ſępius materiam diſsidiorum prębebant,renouare decreuit Boleſlaꝰ & perfecit. Namq; ſicut antea orientem verſus columnas ferreas, & tubos perpetuo ſub aquis reſonantes, vt Ruſsi tradunt, in cõfluentem Boryſthenis & Zulæ iniecerat, vt dirimerent Sarmatiam à barbarorum prouinciis, ſic etiam in ripa Salæ poſt celebrem victoriam, vt diſterminarent eandem Sarmatiam à Germania ſimili conſilio immiſerat alias tres ſtatuas. Sed & inter populos ſeptemtrionales & fines Polonię,vt extaret monimentum limitum perpetuorum idem præſtare nequaquam neglexit.Similiter enim magno prælio profligatis Pruſsis iniecerat alias ferreas columnas in Oſſam flumen mille paſſus ab oppidoRogoſno, qui locus ab accolis illius territorii hactenus monſtratur. Quod attinet ad meridiem nihil tale factum legimus. Nam Carpatus mons Sarmaticus ſua altitudine arduus & conſpicuus à longè fulget,& vix non ad prætereuntes clamando fatetur ſe eſſe terminum,qui cuſtodiat & perpetuo tueatur territoria & limites Sarmatiarum.Hoc ergo Boleſlai iſtius memorabile factum,ſi quis cõferat cum aris illis Alexandri magni & Iulii Cæſaris, & conſilium veterum illorum Heroum perpendat, qua ratione illi ſuas prouincias à Sarmatarum regionib. diſlimitare voluerint, omnino perpuſillam differentiam inter illos antiquiores limites & iſtos poſteriores reperiet.

Contributio quæ vocatur numus ſancti Petri.

Chobri regis temporibus.

Limites & columnæ Boleſlai temporibus.

riores reperiet. Acciſos tamen Sarmaticos aliquomodo & ab oriente,res ipſa fatetur. Vt vt tamen ſe res habet,hoc fundamentum vniuerſæ rei nemo conuellere poteſt, Sarmatiam Europæam eſſe & vocari debere quicquid ad Sarmaticos montes eſt & duo Sarmatica maria,nimirum Pontum Euxinum, & Oceanum Sarmaticum,quem contiguum eſſe Oceano Germanico nemini dubium eſt. Vbi ſunt ergo nunc illi maritimarum vrbium incolæ, qui ſubinde muſitare ſolent & inter gregales ſuos ſpargere,regem Polonorum non habere dominium maris, niſi quoad equus adaquandus mergi non poteſt. Sed iam receptui canamus: Hos ergo fines & pacem inter vicina regna, Germaniæ inquam, & Poloniæ, vt Deus Opt. Max. ſempiternis temporibus magis ac magis conſeruet precandum eſt. Nam quanta commoda prodeant generi humano ex concordia & pace iſtorum duorum regnorum, nemo eſt qui non videt.

Chorographia Ptolomaica.

Quatuor latera primò ſeu limites Sarmatiæ Ptolomaicæ, explicantur ab hoc autore, deinde inſigniorum locorum mediterraneorum cognomina recitantur: gentes videlicet quarum triplicem gradum facit, maiores nimirum, minores, & mediocres:ſic poſtea & montes, ſyluas,ſolitudines,flumina deſcribit. LATERIS quidem ſeptemtrionalis loca ſic conſignat Ptolomæus: Oceanus Sarmaticus, ſinus Venedicus, Chronos fluuius, vbi nunc Regius mons, Rubon flumen, id eſt, Duina, vbi eſt Riga &c. Et Iſtula. Sic igitur Oceanum Sarmaticum primo collocat, quo multa particularia maria comprehenduntur, videlicet: Venedicum, Cimbricum. Vnde colligitur quòd Sarmaticꝰ Oceanus vltra Pomeraniam & Cimbricam Cherſoneſum vſq; ad Viſmariam & ad oſtia Albis extenditur, vt eum quoq; D. Cromerꝰ ex ſententia antiquitatis terminat. LATERIS autem MERIDIONALIS angulum videtur incipere Ptolomęus ab oſtiis Tyrę fluminis,tandem flexionem facit ad ipſam aciem & angulum montium Sarmaticorum per Dacicos montes,quos à Thraciæ montibus Tatros nominatos puto, donec emergit ad montem Carpati,à quo lineam mathematicam ducit vſq; ad mare Sarmaticum. Quam lineam D. Cromerus ducendam putat à capite Iſtulæ, quam ex Sarmaticis ditionibus oriri nemo negare poteſt,vbi nunc eſt Strumenum oppidum,à ſcaturigine ex qua Iſtula proſilit, dictum. Nam lingua Polonica ſcaturigines riuorum ſtrumen vocare ſolemus. Hanc ergo Ptolomaicam lineam D. Cromerus incipiens à montibus Sarmaticis ducit

Triplices gentes.

Tatri montes.

Strumen oppidum.

per ſummitates fluminum Iſtulæ, Vartæ, Viadri vſque ad conterminiũ Oceani Sarmatici & Germanici. Alii verò non cõtemnendi autores dirigunt hanc lineam ab extremitate mõtium Sarmaticorum per ditiones antiquorum Gòtthorum, Oſſorũ, Buriorum, qui iuxta Cornelium Tacitum, Marcomanorum Quadorumque terga claudunt, ſeptemtrionem Iſtulam verſus tendendo, & applicant ad iugum Boëmicorum montium hiulcum deſcendens, quos Dion Seueri Imperatoris temporibus viuens Vandalicos vocat. Dicit enim expreſsè Albim oriri ex Vandalicis montibus, alii eam poſſeſsionem Hermunduris tribuunt. At Iulius Capitolinus non modò Marcomanos ſed etiam Hermunduros vocat, quos Dion Vandalos vocare videtur. De Quadorum ſedib. lege Amianum Marcellinum, non pœnitenda ibi reperies. Vt igitur hanc rem in pauca conferam: Hanc lineam Ptolomaicã eruditi ducunt à iugo Boëmicorum montium hiulco, deſcendente per loca metallica vſq; ad Sarmaticos montes. Et nominant loca & oppida, vbi hodie metalliferæ vrbes ſunt. Cremnicium, Semnicium, Sala vetus & noua. Ptolomęo loca illa vicina σιδηροφυχεῖας vocat, quod ferrum nobile territoria illa tum ſuppeditabant: ſed nunc non modo ferraria, ſed etiam auraria, argentaria, æraria & plumbaria iſthic inueniuntur. Et exiſtimo temporibus illius belli funeſti Romanorum, quod in iis locis cum Sarmatis & Quadis, Marcomanisque duxerunt, Duce Antonio Pio, cauſam præcipuam fuiſſe theſauros metallicos, quorum vena admodum diues illo tempore iſthic reperiebatur. Neque enim in tam remotas regiones legiones Romanorum ex ſtationib. ſuis progreſſæ eſſent, ſi de lana caprina actum fuiſset. Sed quia de auro & argento res agebatur, quorum inexplebili cupiditate ardebant Romani, ideo tam remotum tamque periculoſum bellum ſuſcipere eos non piguit. Sed ad propoſitum reuertamur. Monuimus iam cautè hic Ptolomæum legendum, nec per omnia eius topographica probanda. Nam vt Daciam recenter ablatam Romanis ſuis vendicet, adiungit eam & confundit cum Myſia, recedẽdo à tranſactione illa Auguſti Imperatoris, videturque eam ad Tyram detrudere. At notum eſt ex Ouidio, quòd Tomos vrbem & alias regiones illas Sarmatarum maior pars tenebat. Et Plinius oſtium Iſtri Caloſtomon dictum expreſsè dicit Sarmatas poſſediſſe. Quin & ipſi & Getæ & Daces Sarmaticæ gentes erant. De Iazygib. nullum eſt dubium. Nam & ii cum Iazygib. Sarmatis iidem erant, niſi quòd montes Sarmaticos tranſcenderant & Danubii ripam citeriorem Tibiſcum fluuium verſus poſſederant. Ideo Metanaſtæ à Ptolomæo vocantur.

Linea Ptolomana.

Cauſa belli ab Antonio ſuſcepti contra Sarmatas ad montes Carnutanos.

Quę in Ptolomæo cautè legenda ſunt.

Metanaſtæ Iazyges vnde dicti.

Niſi igitur

Nisi igitur Ptolomæus Traiano, Adriano suis principibus complacere voluisset, propriè & legitimè limitem meridionalem cum Iornande ducere debuisset ad ripam Istri, & tandem montes Sarmaticos & Marcomanos & Quados versus. Cornelius Tacitus, etsi etiam Romanis suis adblandiebatur, tamen non ausus fuit dicere, quòd Istula Germaniam à Sarmatia dissimitet, sed satis ei dixisse fuit, Germaniam à Dacia & Sarmatia separari montibus Sarmaticis & mutuo metu. Ex quibus verbis liquet tum maximos & incredibiles motus fuisse excitatos inter istas gentes ob violatos limites, ad id extimulãtibus Germanos Romanis, qui posteaquam ademissent Germanis nobilissimas regiones, detrudebant eos ad ditiones Sarmatarum qui ibidem habitabant, ad Istulam nempe vbi & nunc habitant. Rectè igitur Monsterus hæc verba Cornelii exponit: Illo, inquit, tempore non lingua Germanos à à Sarmatis diuisit vt nunc, sed mutuus metus, nam ac si in horas vẽ turi essent, ita omnes timor occupabat. Et certè si septemtrionalem ripam Sarmatę tenuissent, Germanos non ita metus distinuisset. Nam antequam fluenta Istulæ transirent, fama velox eos præmonuisset. Sed de istis rebus per occasionem necesse erit reiterare sermonem.

Magis probanda fides Cornelij Taciti quàm Ptolomæi.

Latvs occidentale. Etiam hîc Ptolomæus cautè legendus. Nam sicuti describendo latus meridionale Daciam Sarmatis detraxit, ita hîc sedem ferè recentioris Sarmatię carpit. Nam quia illis temporibus in iis potissimum duobus locis maxima bella gesserunt Romani cum gentibus nostris, in angustum eas redigendo, vt mox apparebit ex descriptione belli Quadorum, Vandalorum cum Antonio, ideo fines Romanorum proferre nititur, spatia illa maxima Istulam versus, Germaniam vocando. Magna ex parte enim tum Romani Germaniam inferiorem accisam reddiderant. Itaque quantum eis ad Rhenum ademerant, tantùm Istulam versus ablata compensando damnum præstare voluerunt. Facile enim est, vt ille dicebat, ex alieno largiri. Verùm si quis termi nos Sarmaticorum montium & Oceani Sarmatici inter sese comparet, & à margine vnius ad marginem alterius lineam ducat, faci le apparebit quàm magna spacia regionum Sarmatiæ obuenient Viadrum versus & nouam Marchiam. Non igitur probandi sunt illi, qui sub prætextu Ptolomæi descriptionis, alteram ripam Istu la tenus, vbi est Cracouia, Germaniæ vendicant, ac de ripa identidem occinendo vltra Istulam Sarmaticas gentes deturbant, Ger manis verò Maiorem Poloniam imo & vmbilicum ipsum totius Poloniæ vbi est Petricouia attribuunt. Hoc prætextu Ptolomaicarum pi-

carum picturam etiam noſtri hiſtorici, (dico de recentioribꝰ quibuſdam) lapſi ſunt, affirmantes Germanos in Polonia habitaſſe ante tẽpora Conſtantini Magni. Ac poſſet ſane concedi, eos hîc manſiſſe vt inquilinos iure precario, non autem iure hæreditario. Notum eſt enim per ſe, quanto tempore, & quàm immania bella geſſerint Romani cum Germanis, itaque veteribus ſedibus exuentes eos neceſſe erat magnam vim hominum retrocedere, & opem hoſpitiumq; à vicinis Sarmatis petere. Ita magis credibile apparet Germanos in Sarmatarum ſedes tum ſucceſsiſſe, quàm Sarmatas & Slauos in Germanorum, prout quidam noſtratium non veriti ſunt talia aſſerere. Alter error eſt tabularum Ptolomaicarum, quòd gentes Sarmaticas collocat ad ripam ſeptemtrionalem Iſtulæ, quod nullo modo rerum natura patitur. Sunt illa loca vt plurimum inhabitabilia, ſterilia, inculta, arenoſa, ſyluoſa, & lapidibus ita referta vt mirentur prætercuntes vnam ariſtam ſolum illud producere poſſe, vt credibile non ſit tot & tantas gentes illud territorium alere potuiſſe. Veriſimilius eſt ergo eos habitaſſe & coluiſſe alteram partem ripæ meridionalem. Nam & nomina gentium minorum, quæ iſthic hactenus manent valde reſpondent, & ſunt conformia nomenclaturis Ptolomaicis. Nam Carodunum reſpondet Cracouiæ, vt quidam volunt, ita Auarini, vbi eſt Varka, Burii vbi eſt Varſauia, B litera in V more vſitato verſa. Sic Sobocii vbi eſt Sobota, Geitones Gedanenſes, vt doctis noſtri ſeculi placet.

Tertius error Ptolomaicarum typographiarum eſt, quòd Germaniam deſcribendo Iſtulam non è montibus Carpati deriuat, vt res ipſa teſtatur, ſed ex Gabreta ſylua vel Sudeti montibus aut neſcio quibus locis qui Danubium magis reſpiciunt. Itaque non eſt mirum, quòd populos Germanicos, qui illa campeſtria inhabitabant, incolas Iſtulæ facit. Nam vno dato inconuenienti alia inconuenientia ſubſequi neceſſe eſt. Sed ſi à iugo vltimo Carpati montis Sarmatici ad terminum maris Sarmatici lineam duxiſſet, omnino ex Sarmatia non effeciſſet Germaniam. Etenim ꝓ principio Geographico tenendum eſt ſemper, quicquid eſt intra vtraque maria Sarmatica, & montes Sarmaticos, tanquam legitimos & veluſtos terminos, id totum autoritate ſcriptorum, qui floruerunt ante controuerſiam excitatam inter Romanos de finibus Germaniæ & Sarmatas, ad Sarmatiam pertinere. Cur autem Ptolomæus & ſecum ipſe & cum aliis diſſideat, eiuſq; picturę Germaniç cum picturis Sarmatiæ pugnent, inuenio duas cauſas, alteram quod ipſe narrata narrauit, & prout ei ex Romanorum caſtris topographia miſſa

Diſconuenientia tabularum Ptolomæi.

phia missa fuit,ita eam œcumenicæ descriptioni accommodauit. Alteram quod hac in re à suis dominis Romanis dissentire tum difficile tum periculosum ei fuit. Nam Imperatores quòd Sarmatis tam remotis à se populis, nihilque vnquam malè de se meritis bella mouebant,hoc prętextu excusabant,quòd se dominos totius Germaniæ iure belli profitebantur. Itaq; cum penes illos summa rerum esset, non erat eis difficile ex non Germania Germaniam facere, vt quantum eis detraxerint à Rheno,tantum adderent à septemtrione.

LATERIS ad PONTVM descriptio sic se habet:Borysthenis ostia,HYPANIS fluuii ostia,(nõ Bozek,quia ab illa parte Asiam versus ponitur.) NEMº DIANĘ,quod Sagori,id est,sanctº mons dicitur, gora enim montem Polonis significat. Nam prisci Sarmatæ Dianam præcipuè coluerunt,quam Dzienoniam vocabant. In cuius honorem templum hoc erectum fuit, & nemus quoddam consecrarant,& promontorium ei dedicarant. Existimo id factum ab eis ad imitationem templi illius Asiatici,quod olim Magnę Dianę dicatum fuit. Mysaris promontorium fuit Mysiam versùs. Carciniti ostia,credo Kazibemiũ portum esse.Ostia Bycen Buges à Plinio. Agarum Sagarum vocat. Quod autem Ouidii lacum Vidoue iezioro quidam esse volunt,fieri potest,at non propterea,quòd ibi locus exilii eius fuerit,sed quod aliquo fortuito casu eò delatus fuerit.

Lateris ad Põtum.

Hypanis non est Bozek fluuius iuxta Ptolomæum.

Sagarum,id est świeta gorá.

Appendix
De ijs quæ cautè legenda sunt in Ptolomæo breuius.

In vocabulis & nominibus locorum prima difficultas est. Nam quædam nomina de industria Romani in suam linguam conuerterunt,vetera abolentes.Putabant enim in omne æuum suam monarchiam duraturam.Quędam verò ipsi autores corruperunt,vide & expende tecum solùm nomen Vistulę quomodo in eo autores varient? Mela Vistulam vocat,Plinius Vistillum,alii Iustulam alii Vandalum fluuium. Sic Boëmiæ regnum, Velegius Boiohemum,Strabo Bubienium,Tacitus Boiemum. Præcipue verò Ptolomæus homo Græcus elegantiæ sermonis studẽdo remotissimè omnium discedit à veteribus nominibus & prænominibus. Retinuit tamen quædam veterum Sarmatarum vocabula,vt Carodumum,vbi est Cracouia,Sidones vbi nunc Szidlovviec,Szidlovv, Burii vbi nunc Varká, Varszauia, Sobociũ Sobota,Geitones,Gedanenses,Calissium Calisz,Carpatus Krepak,Calusium flumen Albim versus,à cáluza,quod cœnosum puteum & lutulentum significat. Hæc

Ptolomæº longius præ aliis discedit à natiuis nominibus locorum.

ficat. Hæc reperiuntur in Ptolomæo, quæ adhuc veluti ſcintillæ micant inter rudera abolitorum nominum Sarmaticorũ & nouorum introductionem. Tertiò numeri altitudinum & latitudinum, magna ex parte corrupti in eo ſunt, non ſine maximo damno ſtudioſorum, quod experientia per inſtrumenta aſtronomica comprobauit. Quartò inſtituens Germaniæ tabulam intra ſuos fines deſcribere, pergit & euagatur vſq; ad regiones ſeptemtrionaliſſimas, forſan vſque ad Elicen vrſam & ipſum polum. Exiſtimo autem hoc conſilio eum feciſſe, vt vna expeditione vel occaſione & Germanici Oceani ripam, & Sarmatici Balticiq́ue maris ſpacia trãſulcaret. Hinc eſt quod illam phraſim repetit: Extenſio prima, extenſio ſecunda, ſicut in deſcriptione quoque Danubii fecit, flexiones & diuertigia illa Danubii enumerans, quæ cum ſimplicio res legunt, putant Germaniam eouſque extendi debere, & ad orientem prouchẽdo credunt eum impinxiſſe eius fines in Pontum, & vnà cum Danubii profluente in ipſius Euxini Ponti ripas immergi. Sunt alia in quibus attentus lector cauere debet ne aberret, quę ęgrè defendi poſſunt. Verbi gratia: Montes altiſsimos Venedicos ponit, vbi nunc eſt Lithvvania vel Samogetia, qui nunc non viſuntur, forſan terræ motu dehiſcuerunt. Alios quoq; montes ſtatuit, ex quib. Boryſthenes oriri deberet, quos Peucinos vocat, & iſti quoq; euanuerunt. Nam conſtat ex illorum teſtimonio, qui habitarunt in illis locis, Boryſthenem ex ſtagnis iiſdem oriri, ex quibus & alia maxima flumina, Duna, Narua, & aliquomodo Volha Latinè Rzda dicta. Sed quid miramur veteres, cùm Cornelius Tacitus tradat quendam celebrem locum in ſeptemtrione reperiri, ex quo orientis ſolis ſtrepit⁹ & fragor veluti rotarum inter ſeſe colluctantium exaudiatur. Hunc locum Sueciam quidam putant eſſe. Taceo reliqua miracula ſeptemtrionalia quæ Latinos quoſdam ſcriptores poſteritati tradere non piguit. Sed illud eſt nocentiſsimum quod Ptolomæ⁹ tradens Germaniam Iſtulatenus finiri, mox tamen vltra Iſtulam progreſſus, Scandias, Dacias, Norduegias, Chedinas, Phænonas reponit, quæ an à paraphraſtis Ptolomæi, an verò ab ipſo aurore aſperſa chartis ſint, non ita liquet, ſed magnam partem exiſtimo adſutam eſſe à Neotericis. Cautè enim Ptolomæus dicit, nec vocat iſtas inſulas Germaniam, ſed Germaniæ inquit adiacent inſulę, iuxta Albis fluui oſtia &c. quas tandem enumerat. Sed quantaſcunque autoritates autorum quis obtendat, ego in eo argumento certius puto, eſse plus tribuere experientiæ & rationibus quàm teſtimoniis ſcriptorum. Verè enim & ſobriè dixiſse videtur Anius Witerbienſis ſcriptor eruditus & vetu-

Ptolomæus latera Germanię deſcribens prouehitur vſque ad extraneas gentes, vt euitet reiterationes.

Error Ptolomæi de ortu Boryſthenis.

tus & vetuſtatis indagator non contemnendus: Autores, inquit, quandoque fallunt & falluntur, non autem nomen impoſitum. Ideo argumentum à nominibus vetuſtis gentium & locorum eſt validius quocunque autore. Et mox exemplo id comprobat. Ideo, inquit, Liuius in quinto ab vrbe condita, quanquam multos haberet autores aſſerentes Thuſcos imperaſſe toti Italiæ, ſolo tamen nomine Turreno impoſito toti circa Italiam mari, pro validiore quàm autoribus argumento vſus eſt dicens: Mari ſupero & & infero quibus Italia inſulæ modo cingitur, terra mariq́ue Thuſci quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Thuſcum vocabulo gentis, alterum Adriaticum vocauere Italicæ gentes. Exiſtimo ex ſupra dictis attentum lectorem optimè intelligere poſſe, quid ei hac in re ſequendum ſit. Obtendant alii prætextus quoſdam autoritatum, apud me illud principium Geographicum toties à me repetitum plus põderis habet. Quod quic quid eſt terrarum inter duo maria Sarmatica, Euxinum, inquam Pontum & Oceanũ Sarmaticum, & montes Sarmaticos id totum nomine Sarmatiæ cenſeri oportere. Huc addãtur nomina linguæ Slauonicę, quibus vſus eſt Ptolomęus in deſcribendis regionibus ſitis ad Viſtulæ ripam meridionalem, quæ paulò ante à me recitata ſunt. Non repudio interim & teſtimonia ſcriptorũ, ſed eorum potiſsimum, qui res ſibi probè cõpertas tradiderunt, nec linguam venalem habuerunt. Audiuimus iam ex Procopio & Iornande, & adhuc audiemus, Vandalos Gotthos fuiſſe gentes ſtirpis Sarmaticæ, & ad Iſtulam habitaſſe, noſtraq́ue lingua Polonica vſos fuiſſe. Hi verò vbi nunc eſt Cracouia, Maior & Minor Polonia, habitabãt. Quid ergo noſtra refert, quòd Romanorum ducum ſcriptores interdum loquuntur ea quæ intelligunt ipſis profutura ad extendendam famam maiorum ſuorum. Falluntur certè qui exiſtimant Romanos ſolo ferro armiſq́ue & non etiam ſcriptorum fauore eruditorum profeciſſe, peruenisſeq́ue ad ſummum culmen & faſtigium opinionis in mundo. Habebant illi multos ſtrenuos milites, ſed certè non laborabant inopia virorum eloquentiſsimorum, quorum opera & famam & imperii ſui fines pariter volebant immortalitati conſecrare. Ita vtroque ſtylo, ferro nimirum & penna tantùm valuerunt, vt ad eam diem res eorum immarceſsibiles eſſe videantur. Quare cum agitur de fama & de finibus, non admodum noſtri ſcriptores Ptolomæis & Corneliis fidant, aliàs à ſcopo aberrabũt. Hiſtoria Babylonica Rheni Sarmatas ad Rhenum vſq; prouehit, & noſtri ſcriptores vltra Iſtulam & forſan ad Roxolanos eos detrudunt, ex patria ſua Germaniam faciendo.

Qui ſcriptores eſſe debent ſpecti in talib. cauſis.

Romani armis & ope ſcriptorum eloquentiſsimorum emerſerunt è tenebris.

Sed nihil facilius est, quàm ex alieno liberalem esse. Liquet autem ex scriptoribus, Bructeros seu Brunsuingos & Zenones fuisse quõ dam accolas Rheni, sed bellorum iniuria à Germanico Duce Romano fuisse reiectos ad interiora Germaniæ. Necessitas igitur adegit eos, vt quantùm eis isthic adimeretur, tantùm hinc eis acce deret. Præterea, quòd Romani gloriabantur de Germaniæ possessione, id tam apud suos quàm apud extraneos profuit eis, vt ex Germania Europam ferè facerent, & vt deuicta ad tempus Germania pro dominis totiº septemtrionis sese vẽditarẽt. Noti sunt Domitiani Imperatoris Romani de Sarmatis & Dacibus pseudo triumphi, qui cum deuictus esset, & turpiter se dedisset, tamen victorem se palam non est veritus gloriari. Sic & Commodus Imperator de Germanis nondum victis triumphum egit. Hoc sanc & aliis forsan vsu venerat, sed res sæpius malè gesta scriptorum bonorum eloquentia corrigebatur. Quod si maiores nostri tales & tam facundos adepti fuissent aduocatos, hauddubiè res suas illustres multò illustriores clarioresque reddidissent.

De temporibus Antonini Pii.

Anno ab orbe condito 4102.
Anno Christi 140.

ANte mille & quadringentos annos Antoninº successit Adriano qui princeps multis laudibus à scriptoribus celebratur. Hic etiam Dacorum & Alanorum armis lacessitus fuit, nullum tamen memorabile prælium tum factum fuisse memoratur. Satis enim fuit ei si quoquo modo à limitibus Romanis eos amoueret & propulsaret. Nam irritare animos bellicosæ gentis nequaquam è re & vtilitate Reip. iudicauit. Dicere enim hic solebat, malle se vnum ciuẽ seruare, quàm mille hostes interficere

De temporibus Aurelii Antonini.

Anno ab orbe condito 4125.
Anno Christi 163.

DIxi paulò superius, & meminerunt etiam mediocriter versati in historiis, in eo limite, Minorem Poloniam versus, quà itur Vienna Cracouiã, bella difficilia Romanos gessisse cum populis Sarmaticis, quod vel ex bello Marci Antonii, quod biennium durauit, contra Sauromatas & Germanos finitimos manife-

mos manifestum esse potest. Malo autem rem gestam ipsorum historicorum verbis exprimere, cum ea de re non modò scriptores historiarum, sed etiam ecclesiastici Tertullianus,& Eusebius memoriæ prodiderint. Marcus Antonius,inquit,cum in Germanos & Sarmatas expeditionem mouisset, & exercitus siti afflictaretur, in rerum desperatione fertur fuisse. Milites verò legionis quam Melitinam vocabant, genua in ipsa acie contra hostes ad terram vsque curuasse, sicut & nobis orandi consuetudo est, & ad supplicandum Deo esse conuersos. Cum autem hostibus spectaculum hoc insolens appareret,ferunt aliud quiddam insolentius subsecutum,fulmen videlicet,quod hostes in fugam impulerit,& imbrem ad refocillandum exercitum, qui iam totus siti afflictaretur: Addit Apollinarius, quòd legio illa cuius precibus factum fuerat hoc miraculum, ex eo tempore peculiarem appellationem ab Imperatore obtinuerit,vt Romana lingua fulminea Græcè κεραυνοβόλος vocaretur.Hoc exemplo probatur vtrumque,& quod militia sit concessa à Deo Christianis,& quòd infidelibus propter religiosos & Deum timentes supremus moderator rerum opituletur, qui est exercituum dux,& vltimum refugium mortalium.Notum est autem Melitenses fuisse ex insula vicina Sicilię pro cuius possessione cum Turcis etiam nostra ætate Christiani atrocia bella mari & terra gesserunt.Isti erant Christiani apud quos Paulꝰ Apostolus dum nauigaret Romam, dicturus causam coram Cæsare,prædicabat Euangelium, eiusque opera ad fidem Christianam fuisse conuersos non sine graui coniectura multi credunt.Cuiꝰ rei quoque superius mentio facta est. In eadem historia fit quoque mentio Squadorum & Marcomanorum,qui etiam Romanis cum Sarmatis sese opposuerant.Qui autem fuerint Squadi & vbi locorum tunc habitarint,variè de hac re doctiores sentiunt,nec tamen multum interse differunt. Sunt in Maiore Polonia quæ Quidzinum & Squidzinum vocantur,cognomine admodũ proximè ad Squadorum appellationem accedente. Est etiam in Prussia Quidzinum oppidum ad flumen Ossam, non procul à Rogozno. Iam Quadi, Osi, Gotthi contermini sibi erant olim.Forsan igitur reliquiæ eorum illic confederant.Alii ex eleuatione altitudinum & latitudinum Geographicarum deprehendunt locum eorum incidere eò vbi nunc est Petricouia. Sed non cohærent ista cum Taciti descriptione, qui dicit Ossos,Burios claudere terga Marcomanorum & Quadorum. Citius ergo crediderim Ossos ibi mansisse. Expressè autem Eusebius dicit gestum hoc bellum fuisse cum Germanis & Sarmatis: at Sarmatis sane nihil negocii cum Romanis

Melitenses qui fuerint.

Squadorum locus & sedes.

fuisset, si vltra Istulam, Rusiam versus habitassent, vt picturæ Ptolomæi indicant. Sed quia hoc prelium ad fines Boëmię fuisse scribitur, ad syluam Gabretam & montes Sudeti, fines igitur Sarmatiarum contiguitatem quandam isthic habuisse credibile est. Nam & appellatio mõtium Sudeti omnino dialectum Ruthenicãm sonat, sicut & sylua Gabreta, qui inquam montes non multò post Vandalici sunt appellati Dione autore. Ponuntur etiam populi Sudini in Sarmatia à Ptolomæo, in illa ora vbi est Prussia. Verùm illustrãdi huiꝰ negocii causa adhuc Orosium de eodem bello ad eum modum scribentem audiamus: Nam cum insurrexissent gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est Marcomani, Qualii, (secundùm alios Quadi,) Vandali, Sarmatæ, Sueui, & omnis penè Germania, & in Qualos vsq; progressus exercitus, circumuentusque ab hostibus esset, & propter aquarum penuriam potius sitis quam hostium periculum sustineret, ad inuocationem nominis Christi, magna fidei constantia quidam milites conuersi sunt, subitòq; tanta vis pluuiæ effusa est, vt Romanos quidem largissime ac sine iniuria refecerit, barbaros autem crebris fulminum ictibus perterreret, complures eorum occideret, in fugamq; cogeret, quorum terga Romani vsque ad internecionem cædentes glorioſissimam victoriam, & omnibus fere antiquorum titulis prę ferendam, rudi paruoq; militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt. Hactenus Orosius. Eutropius locum pugnæ nominat: Ingenti ergo, inquit, labore & moderatione cum apud Carnutum iugi triennium perseuerasset, bellum Marcomanicum confecit.

Mõtes Sudeti.

Ex Orosio.

Pugna Carnutana & causa eius.

Nominat hic Orosius locum pugnæ in finibus Squadorum, quorum domicilia erant hîc alicubi inter Cracouiam & Wratislauiam, vt doctiores tradunt, regio tamen & fines eorum protendebantur Morauiam & Boëmiam versus. Et quia Sarmatis Vandalos coniungit, venio in eam sententiam, vt putem Ptolomæi temporibus partem Vandalorum ibidem prope Sudeti montes habitasse. Nam Dion historicus, qui statim est Ptolomæum subsecutus, Sudeti montes Vandalicos vocat. Si autem Vandali, etiam & Sorabi eis coniungendi erunt. Quod si Sorabi, ergo & Sarmatæ. Fatentur enim Germanici scriptores Sorabos gentem esse Sarmaticam, nomenq; Soraborũ & Sarmatarum non lõgè syllabis etiam à se differre scribũt. Mores autem, studia similima & lingua etiam testantur Vindas illos & Sorabos ex vna stirpe proficiscì, & pariter iunctos in illis oris ad Albis ripam consedisse. Hæc de Antonii temporibus, qui post eam pugnam in Pannoniam castra promouerat,

Sorabi & Sarmatæ ijdem crãt autore supplementi Cariõnis.

mouerat,ibiq́ue vitam cum morte commutàuit.Sæpius autem in illis limitib⁹ bella fuiſſe agitata, vel illud documento eſſe poteſt, quòd Romani iſthic coacti ſunt tres legiones continuò aſſeruare,quarum ſtationes & territoria annotat Ptolomæus.Legio Germanica decima ad Paſſauiam. Legio Germanica 14. ad flumen Rab. Legio prima auxiliaria ad Salam flumen Aenipontis.

Stationes legionum Romanarum.

De Squadis populis appendix clarior.

Quia hoc bellum fuit ſtupẽdum & miraculo inſigni cœlitus confirmatum,ideo ab omnibus ſcriptoribus,præſertim verò Chriſtianis celebratur. Præterea duo Imperatores Romani illud adminiſtrabant,cum Antonio Aurelius Commodus.Ideo terror tantus vicinos reges ob Romanorum apparatum formidabilem inceſſerat, vt cum ad Aquileiam exercitum promouiſſent, plerique reges pœnitentia moti belli ducti,tumultus autoribus cæſis veniam deprecarentur. In hoc bello quia Quadorum mentio fit crebra,ideo operæ pretium eſt nos aliquid de eis dicere, vt ſtirpe & loco habitationis eorum cognito,circumſtantię hiſtorię clariores reddantur.Deſignat patriæ locum Quadorum Ptolomæus lib. 3.cap. 11. Sub ſylua, inquit, Hercynia ſub Orcino nemore Quadi. Sub quibus ferri minera & lunæ ſyluæ. Syluam autem Hercyniam denotat. Inprimis nominat montes Sudeti Bambergenſis,nunc ſub montibus Sudeti ponit ſyluam Gabretam,prorſus è regione montium Sarmaticorum vltimi iugi. Inter ergo prædictam ſyluam & Sarmaticos montes ſyluam ponit Hercyniam, id eſt, reſinæ abundantem,piceam. Sub ſylua hac ſtatim Quados ponit, Sidirorichias ibidem,id eſt,ferri mineras.Si nunc altitudinum & latitudinum numerum inuicem conferas,locus non remotè capitis Oderę aut paulò ſuperius veluti digito deſignatur. Nam Cornelius Tacitus affirmat Gotthinos populos claudere terga Marcomanorum & Quadorum Iſtulam verſus. Quæ deſcriptio prorſus reſpicit Bregam vel Wratiſlauiam. Nam ibi Gotthorum ſedes fuiſſe apparet. Ideo Oderam Gutalum Plinius vocat, à Gotthis puto dictum, ſicuti à Varta Varinos vel Burios à Vandalo flumine vel Viſtula, Vandalos,Sueuos à Sueuo flumine, quæ nunc Sprea dicitur, & in Odram non remotè à Stetino incidit. Et expreſsè Strabo dicit: Gotthorum fines cum finibus Sueuiæ coire: Getarum, inquit, fines à finibus Sueuiæ porriguntur. Sed diligentiſsimè obſeruandum & notandum, quod dicit Cornelius Tacitus: Gotthini, inquit,tributa patiuntur,partem tributorum Sarmatę,partem Quadi vt alienigenis imponunt. Ex quibus verbis liquet, illam totam

Bellum Carnutanum quàm celebre fuerit & formidabile.

Locus pugnæ inueſtigatur.

Fines Getarũ iuxta Strabonem.

Cornelij ſententia verior.

regionem Sarmatiã fuiſse,& ditionis Sarmatarum. Cur enim Gothos alienigenas vocat,ſi indigenæ iſthic Sarmatę non eſsent. Cur imponunt tributum & exigunt Sarmatæ à Gotthinis,Oſsis,& Buriis,ſi domini & hæredes non ſunt illorum locorum, vbi Gotthi metalla effodiebant? Dicit enim Tacitus: Gotthini quo magis pudeat ferrum effodiunt. Cur denique prȩcipuè molem belli iſtius contra Antonium Marcomani & Sarmatæ & Quadi ſuſtinent, ſi non pro patria pugnabant? Atque hîc iam clauſos manibus tenemus Ptolomæum & Ptolomaiſtas q̃ vltra Iſtulam Sarmatas ex patria ipſorum expellunt,qui Germaniam ex Polonia faciunt,qui deniq; cum Ptolomæo Germaniam Iſtula tenus terminari fingũt, & inde vbi eſt & fuit ſedes & vmbilicus Maioris & Minoris Poloniæ,Polonos vt exules in exilium eiiciunt. Cur enim alienigenas Gotthos faceret Tacitus ſi indigenæ non eſſent Sarmatæ? Cur tributum imponunt Oſsis, Gotthis, vt inquilinis? Cur Vandalos Sarmatas ab occidente cum Marcomanis limites habuiſſe Iornandes narrat? Cur tam difficilimi belli aleã ſuſtinent? Cur idem Iornandes dicit Gotthos in Vandaliam quondã ſe inſinuaſſe cùm venirent aliunde? Cur Iulius Capitolinus Hermunduros, qui ad caput Albis habitabant & Marcomanos Sarmatis adnumerat? Cur Dion dicit Albim ex Vandalicis montibus oriri,ſub quibus hoc bellum geſtum prædicatur? Nam Vandali tum propriè Sarmatæ vocabantur,quos Ptolomęus maximas gentes vocat Sarmatiam incolentes. Ante ergo bella Vandalica & Gotthica illas regiones occuparunt Boëmi,Vandali ad Albim,vbi nunc Vendę & Sorabi manent. Sed de Vandalorum & Gotthorum origine paulò inferius dicturi ſumus, ideo ad illum locum reliqua reiicimus. Anius ſcriptor refert Quados primò ad confluentem Danubii & Narrabonis,qui Rab hodie dicitur manſiſse. Et ex Eutropio lib. 6. apparet eoſdem etiam in Heluetia aliquando habitaſse, aut ſaltem eis commilitaſse. Strabo etiam libro 7. dicit: In illo tractu ad Danubium Boëmorum regem Marobudum regiam ſuam habuiſſe, illucque Marcomanos ὁμοεθνεῖς, id eſt gentiles & conterraneos ſuos trãſtuliſse. Iam quia Marcomanos Sarmatis iungunt ſcriptores plerique, non eſt difficile coniectare Boëmos illos veteres ſicut & Quados cognatos ſibi inuicem fuiſſe.

Ptolomæi ſententia.

Fortiſsimum argumentum.

Quãdo proceſſerint Boëmi & Vandali ad Albim.

De temporibus Pertinacis & *Seueri Gordiani Philippi & Arabis Imperatorum.*

Anno ab orbe condito 4034.
Anno Chriſti 225. & 247.

Pertinax

PErtinax nihil memorabile cum iis gentibus gesit, nisi quod mediocri cum laude Mysiam & Daciam rexit. Vsu autem iam receptum fuit eo tempore Romanis, lectissimos viros ac ferè ab Imperatoribus secundo loco habitos Sarmaticis gentibus opponere. Itaque aut per seipsos aut per viros opinione sibi pares incepta bella cõtinuare cogebãtur. SEVERVM Imperatorem, quod post Pertinacem posuimus causa est: Reminisci enim debemus eorum quæ ex Dione de Vandalis & Vandalicis montibus supra retulimus. Nam Dion hic qui ista memoriæ prodidit vixit imperante Seuero. Gordiani verò tẽporib. iterum bella hæc Gotthica recrudescere cœperunt, inualescere tamen non poterant, quod vtrinque leuioribus præliis periculo virium facto, ad pacificationem deuentum fuit. Philippi Arabis temporibus, qui post Gordianum imperabat, primusq; religionem Christianam cum magna animi humilitate amplexus erat, iterum ad ingenium reditum erat. Nam Gotthorum sollicitationib⁹ tota Sarmatia excita vnà cum Dacibus & aliis ferocibus populis petiuit Romanos bello, ac exercitu trecentorum millium conflato & cõquisito Mysiam Traciamq; multis seueritatis exemplis editis, nulli sexui parcendo clade maxima affecit. Interim Decius cum exercitu, maximi tunc nominis Dux promouit castra, & paulò post cũ imperii honores adiisset, ab Imperatore Philippo eis oppositus fuit. Sed aliquot præliis superatus & victus, infecto bello, nulloque operę pretio facto reuersus est. Administrabat is tunc prouinciam in Illyrico, ac interfecto tandem Philippo machinationibus Decii, illi bellorum tumultus excitati deferuescere cœperunt. Habemus iam Sarmaticæ historiæ seriem deductam post aduentum Christi ad annum 250.

Philippus Imperator Christianus.

Decii Imperatoris temporib.

Anno ab orbe condito 4215.
Anno Christi 282.

IOrnandes eius temporis sic texit historiam: Cuius, inquit, secessum Decius Imperator cognoscens, & ipse vrbi subsidium ferre gestiens, iugo montis transacto ad Beroam venit. Ibique dum equos, exercitumque lassum refoueret, illico Cuina dux cum Gotthis in modum fulminis ruit, vastatoque Romano exercitu Imperatorem cum paucis, qui fugere quiuerant ad Thusciam rursus trans Alpes in Mœsiam proturbauit, vbi tunc Gallus dux limitis cum plurima manu bellantium morabatur. Collecto

Cuina dux Gothorum.

tur. Collectoque tam ex inde, quàm de hoste exercitu, futuri belli reparat aciem. Cuina verò diu obsessam inuadit Philopolim, prædaq; potitus, Priscum ducem qui ibi erat, confœderauit, quasi cum Decio pugnaturum, venientesq; ad conflictum, illico Decii filium sagitta saucium crudeli vulnere confodiunt. Quod pater animaduertens, licet ad confortandos militum animos dixisse fertur: Nemo tristetur, perditio vnius militis, non est Reipub. diminutio: tamen paternum affectum non ferens, hostes inuadit, aut mortem aut vltionem filii exposcens, sed circumseptus à Gotthis & ipse interficitur, imperii finem vitæque terminum faciens.

Imperator Decius cum filio perit.

Sub Valeriano Gallieno & *Claudio Imperatoribus.*

Anno ab orbe condito	4217.
Anno à Christo	256.
Ante annos	1400.

COpiis Decii in Illyrico per Sarmatas attritis, Romanorũ ille ardor & libido mouendorum bellorum mitescere & fatiscere cœpit. Et conquieuerunt illi aliquantisper, & fœd⁹ cum Gotthis eodem tempore renouarunt. Sed Sarmatæ fortunam sequuti Pannoniam populabundi vastant, ac tãdem exercitu transportato in Asiam, Nicomediam propemodũ deleuerunt, Bithiniam vastarunt, Macedoniam & Thraciam longe lateque populati sunt. Non parum autem conatus eorum adiuuit calamitas Valeriani Imperatoris. Is enim tum anno imperii sui quarto in orientem contra Persas expeditionem susceperat, tandem victus captusq; à rege Persarum Sapore in extrema senecta à ceruice ad pedes excoriatus est. Multa etiam alia crudelitatis in eum exempla edidit. Nam ad maiorem Romani nominis contumeliam, quoties equum conscendit, pedem ceruici Valeriani imponebat, ac pro scabello eo vsus est. Tanta est humanarum rerum vicissitudo, vt ille qui in culmine rerum sedebat, humi repere & conculcari se, caputque subiicere cogatur, & rursus alternante fortuna, qui fortunæ successu exultare videbatur, ad extremam miseriam redigatur. Interim Gallienus Valerii filius voluptatibus deditus Bacchanalia viuebat. Adde quòd triginta illi Duces, qui à suis exercitibus creati, pro Imperatoribus se gerebant, partim inter se dimicando, partim ab aliis extraneis petiti, imperii vires non mediocriter tum labefactarunt. Hæ tres causæ Sarmatarum Getarumque successus in vastandis illis regionibus non mediocriter adiuuerunt. Verùm

Asiam Sarmatæ vastant.

Imperatoris Valeriani calamitas.

Triginta tyranni.

runt. Verùm cum aliquantiſper eis fortuna indulſiſſet, liberiusq; ſoluta diſciplina militari per Achaiam agendo prędas vagarentur, à Machario quodam diſsipati oppreſsiq́ue ſunt. Altera verò pars exercitus eorum Aſiatici, qui vt dictum eſt, Bythiniam & Nicomediam occuparat, promouit caſtra Epheſum vſque, illicq́ue templum celeberrimum, quod totius Aſiæ ſumptib. extructum, & longo temporũ æuo locupletatum fuerat, vno momento ab eis igni abſumptum eſt, forſan æmulatione quadam ad hoc inducti, qualis animos religioſorum pari ſtudiorum propenſione inter ſe certantium, ſuaui quodam delirio non raro affllare ſolet: vel potius ita perſuaſum habebant, ſuæ Deæ Tauricæ templum non poſſe ad eam celebritatem & famam emergere niſi Diana Aſiatica æmula eius ab ipſis è medio tolleretur. At Deus qui ſacrilegis eſt fuitq́ue ſemper infenſus, ampliùs illam eorum inſolentiam coniunctam cum auaritia non tulit Claudium namq́ue vt cum copiis eis obuiam iret concitauit, qui cum numeroſiorem exercitũ haberet (trecentis enim ferè millibus conſtabat) eos conſequutus partim cædit, partim capit, claſſesq́ue eorum diſsipat, & nauium ad duo millia alias mergit, alias ad deditionem cogit. Fuit hoc prælium ad flumen Tyram, quem Neſtrum vocamus, ferè in conſpectu Dianæ ipſorum & templi Taurici, quod forſan ſpoliis ditare cogitarant. Quanto in metu & trepidatione tum fuerint Romani, detexit eorum gaudium incredibile in quod eruperunt, cum de Claudii ſucceſſu & victoria reportata audiſſent. Viuentem enim adhuc præconio admodum fauorabili ad eum modum ornarunt: CLAVDI AVGVSTE, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus ſenator, tu princeps. Mortuo verò aliquantò poſt, clypeum aureum, in quo imaginem eius exſculpſerant in Capitolio collocant. Acciderunt hæc ante millle & quadringentos circiter annos.

Templum Dianæ Epheſinæ combuſtum.

Locus pugnæ Claudij ad Tyram.

Aureliano Imperatore regnante.

Anno ab orbe condito 4235.

POſt illam dimicationem quieuerunt aliquantiſper Getę & Sarmatæ, ita tamen vt ſemper de vlciſcendis iniuriis & vindicandis finibus, pellẽdisq́ue ex Dacia legionibus cogitarent. Tandem ſub hoc Imperatore, duce Canabo regeq́ue ſuo Romanis bella intulerunt, ſed re male geſta, Rege amiſſo fortunæ ceſſerunt, ſeruantes ſe melioribus temporibus. Deſiderati ſunt multi

Canabus dux Sarmatarum.

sunt multi ex eis, ita vt Danubium cum quinq; tantum millibus traiiciendo domum dilapsi sint. Habuit Aurelian⁹ Imperator summam peritiam bellorum Sarmaticorum Geticorumque, quam sibi comparauerat tempore Claudii, à quo præcipuus dux belli & magister equitum contra Gotthos designatus fuerat. Cum igitur multo vsu habitum sibi acquisiuisset, nil eum latebat, quicquid etiam machinarentur hostes, & in promptu occurrebant ei artificia, norat quid sequendum, quidue vitãdum ducenti bellum cum gente bellicosa. Narrat Iostus vir clarissimus qui compendium quoddam historiæ Polonicæ paulò ante nostram ætatem conscripsit, quòd in ea pugna quædam fœminæ bellicosæ interceptæ à Romanis & in triumpho ostentatæ fuerint, quas ex numero Amazonum antiquarum fuisse creditum sit. Videtur autem ad Zenobiam illam Palmirorum reginã alludere. Sed hæc fuit ex veteri stirpe Ptolomæorum oriunda, non ex Sarmatico sanguine. Hæc inquam cum aliquoties fœliciter signa cum exercitu Romano contulisset, tandem ab Aureliano capta fuit, dum inter crepitus gladiorum ad securiorem locum se recipere pararet. Perducta demum Romam in quodam admirando ornatu, stupentibus cunctis in illa pompa præ admiratione maiestatis, in fœmina lectissima. Hęc vnà cum filiis & filiabus ante triumphalem currum Imperatoris ostentata fuit. Felicior certè Cleopatra Antonii tum reputabatur, quę pręuidens hunc euentum, serpentibus vberibus admotis perire maluit, quàm se asseruare ad triumphorum & triumphã tium ludibrium spectaculorumque se prębere materiam. Hîc iterum vicissitudo rerum cogitetur. Quæ fuit victrix regis Saporis & triumphatrix clarissima, ipsa demum ludibrium fortunæ experta est, dum Romanæ plebis etiam vilissimis quibusque spectanda ꝓponitur. Creditum est à multis alteram Semiramem fuisse, dum in se oculos cunctorum conuerteret. Nouitas hæc Imperatorio triumpho magnam & raram accessionem fecit. Fuit & aliud bellum Aureliano ab altera parte occidentem versus cum gentibus stirpis Sarmaticæ, Boëmis inquam & Marcomanis, qui nunc Moraui vocantur. Hi ingressi Italiam, similem Cimbrico, vrbi Romanæ terrorem incusserunt, multiq; vtrinque trucidati sunt. Sed tamen fortuna à partibus Imperatoris stetit. Scio doctorum sententiam de gente antiquorum Boëmorum, qui Ptolomæo Boii dicuntur. Sed sicuti Germanis parum detrahitur, eò quòd ii qui nunc Germani nominantur, olim Celtæ vocabantur, ita Boëmi licet Czechorum accessione, aliqua ex parte renouati sunt, tamen ideo, id quod antea fuerunt esse non desierunt. Adiecta autem illa obseruatione

Mulieres Amazones.

De hac re lege Lucium Florũ.

Boëmorum origini à Boijs veteribus nihil detrahitur, etiãsi postea Czechi eis admixti sint.

obseruatione de Vandalis & Vandalicis montibus, quod iam ante Aureliani tempora, illa spacia, vbi est Boëmia occuparint, omnino nullum absurdum restabit, si Boëmos illos & Morauos qui Italiam inuaserant, & contra Aurelianum in acie steterant, progenitores horum Boëmorum, qui gētiles nostri sunt, vocauerimus.

Imperante Probo Augusto.

Anno ab orbe condito 4240.
Anno Christi 281.

SVb hoc Imperatore Romani denuo exercitus duxerunt in regiones transalpinas, & Germaniam Galliasque vastando hominum ad 40. millia trucidasse feruntur, de qua re Orosius legatur. Et quia Sarmatis minimè formidabilia erant arma Romanorum, iam enim multo vsu eis assueti erant, ideo nō expectando dum ad fines eorum pertingerent, illos auerterunt, transmissisq; exercitibus intima Illyriæ petiuerunt, legiones Romanas ad arma prouocantes: pugnatum est vario Marte, tandem repressi cesserunt. Irritati Romani à Sarmatis, furorē suum in Getas populares Sarmatarum effuderunt, ad detionem eos cogentes. Vnum est quod notandum venit. Illis temporibus inter alias pœnas, quibus victores victos multabāt, illa non postrema fuisse memoratur, quod Pannoniis interdictum fuit, vt à vinearum cultu prorsus abstinerent. Et videtur quidem in speciem res ista minoris momenti, sed tamen beneficiis Dei quæ exhilarandis mortalium animis seruiunt, frustrare humanum genus, & pariter ægrotos cum sanis, bellatores cum imbellib. incommodo tanto indiscriminatim afficere, videtur iniquum. Liquet igitur edictum hoc ab impotentia animi profectum fuisse. Fertur etiam nunc, Turcam Christianis quibusdam regionibus, quæ quondam generosissima vina producebant, vinearum cultum interdixisse, sed alio respectu, nimirum, quod id ex præscripto superstitiosæ religionis facere se prætendit. Sed Probus Imperator nequaquam improbè fecit, quod edictum illud relaxans, iterum militibus in Sirmio vites plantare permisit. Vnde vini origo est, quod nostri Seremskie vino vocant. Hæc Eutropius.

Vinearum cultus interdictus Pannonijs.

Sirmiensia vina.

Sub Carolo Narbonensi Imperatore.

Anno ab orbe condito 4248.
Anno à Christo 286.

QVoad Probus vixit, virtutis eius & dignitatis habuerunt rationem gentes nominatæ, at illo in Asia fato horribili præter opinionem, cum se iam accingeret bello Getico, sublato, Sarmatæ rursus Pannoniam repetierunt, Thraciamque irrumpentes inuaserunt. Hos Caius repressit multis captis aliisque trucidatis, quorum 20. millia fuisse creduntur. Mirandum est, tot funesta & atrocia bella has gētes cum Romanis reintegratis viribus gessisse, multoties vtrinque exercitibus concisis, & tamen recollectis viribus, & resumpto animo denuo noua & continua bel la ciere potuisse. Miramur Veientum, Samnitum bella Liuium le gentes, toties repetita & toties sopita, cumque infinitæ myriades ex ea gente à Romanis iugulatæ tradantur, quomodo vel vna anima post illas clades ex illa stirpe superstes manserit. Sed si res Samnitum sunt admirationi, conferantur cum eis prælia Sarmatica Geticaque vsque ad vastatam captamq; ab eis & Vandalis vrbem Romam, & inuenientur tot trucidata cadauera, vt eorum molem & numerum vix ipse orbis terrarum supportare posse videatur. Incipiendo enim ab Augusti temporibus vsque ad vastatam Italiam per annos 400. hæc laniena durabat. Et vocatur quidem Thybris flumen fatalis Romani Imperii limes, quod ibi Crassus, Carus & alii complures clarissimi duces Romanorum ceciderunt.

Collatio bellorum Samnitum cum bellis Sarmaticis & Gotthicis.

Compendium Chronologicum rerum Sarmaticarum per hos sexaginta annos gestarum ad Constantinum vsque Magnum.

Anno 240. Maximus patre Gottho Mecca, matre Alana, quæ Ababa dicebatur natus. Is cum esset stupendæ & ferè plusquā Herculeæ fortitudinis, in Imperatorem Romanum fuit electus. Scribit de eo Iornandes, quòd solus sedecim milites superauit. Imperatorem in equo variè flexus rotantem & procurrentem cursu adæquauit, ita vt equus fatigaretur, ipse interim ita infatigatus remanserit, vt statim in gratiā Cęsaris septem lectissimos recentes & valentissimos milites certando, luctando superaret. Multa etiam alia de eius fortitudine vide ibidem.

Maximi Imperatoris stupenda fortitudo.

Anno 252. Decius Imperator vnà cum filio à nostris profligatus, filius sagitta traiectus, pater mortem filii vlcisci volens in Abricio flumine Thraciæ submersus, Iornandes de rebus Geticis, Cassiodorus, Orosius, Eutropius. Iornandes ad Philopolim locum pugnæ illius fuisse scribit.

Decius.

Anno 254. Gallus Hostilianus cum nostris gentibus fœdus içit, non sine Romani nominis ignominia tributum eis pendens,

Romani tributi.

sicuti olim

ſicuti olim quoque hoc idem tributum pendebant, vſque ad Tra- *tarij Gotthis.*
iani tempora. Pomponius & Blondus.

Anno 257 Gotthi in Aſiam irruperunt, omnia longe lateque igne ferroque vaſtantes. Et Epheſinæ Dianæ templum incendunt. Iornandes.

Anno 261. Regilianus à Mœſis Imperator factus: is cum Sarmatas viciſſet tandem à Roxolanis Sarmatis occiditur.

Anno 262. Græciam, Macedoniam, Pontum, Aſiam, & alias prouincias noſtræ Gentes deuaſtant, hæc Caſsianus, Blondus, Trebelius, Iornandes.

Anno 266. Sarmatę & Quadi Pannonias occuparunt, Euſebi⁹. Et reuocandæ hîc in memoriam expeditiones Sarmatarũ pro obtinenda Pannonia. Prima ſub Tiberio. Secunda ſub Antonio Philoſopho, tempore belli illius famoſiſsimi ad montem Carnutũ. Tertia hæc ſub Gallieno, tandem ſub Conſtantino & Valentiniano de quibus poſtea. Hîc videant illi qui dicunt Germanos habitaſſe, vbi nunc eſt Polonia, ante tempora Conſtantini Magni, cum Sarmatæ tunc non modo vbi eſt Polonia, ſed etiam vltra Danubium regnum ſuum extenderint, vt liquet ex iſtis tribus eorum expeditionibus in Pannonias. Trita autem eis via fuit, quod Poloni Slak vocãt, Pannoniam verſus, per vallem ad flumen Sola, Vag, Rab, quem Ptolomæus Narbonem vocat. Illac traiectus eis fuit trans Danubium. Ergo regio illa ex ea parte Danubii, vbi eſt Caſſouia & Peſtum, pro Pannonia non reputabatur à veteribus, ſed fuit regnum Marobudi regis Marcomanorum, de quo ſupra ex Strabone & Cornelio Tacito.

Sarmatarum expeditiones in Pannonias quot fuerint et quanto tempore.

Traiectus Sarmatarum & via trita in Pannoniam.

Marobudi regia Buda.

Anno 271. A Claudio Gotthi victi cum Illyricum vaſtarent.

Anno 273. Sarmatæ & Sueui à Valeriano victi in Pannonia, & Canabus dux Gotthorum trans Danubium interemptus. Quaſi enim ex compoſito inter iſtas gentes res gerebatur, Oſtrogotthi Illyricum, Viſogotthi Pannonias vaſtabant, Marcomani verò Mediolanum, quo etiam tempore 15. millia Germanorum ad lacum Benacum cæſa eſſe prædicantur, lege Vopiſcum, Trithemium.

De tranſitibus Oſtrogotthorum Viſogotthorum et Romanorum.

OStrogotthi ſeu Gotthi per Myſiam ad pontem Traiani tranſmittere exercitus ſolebant: Viſogotthi ſeu Sarmatæ ad confluentem Danubii & Narbonis, quem Rab hodie dicimus per prouincias Marobudi regis Marcomanorum: Romanis veteribus trita via fuit per mare Adriaticum, flumen Benacũ,

ſtagnum Scutari dictum, & tandem per Sauum & Drauum. Aut ex Thracia rectà in Myſiam inferiorem penetrabant.

LIBER QVARTVS

In quo ea quæ acta ſunt à temporibus Conſtantini Magni ad tempora Caroli Magni comprehenduntur.

PROOEMIVM

HOC tempore commigrante Conſtantino Conſtantinopolim, à Romanis ad Græcos imperium tranſlatum fuit. Vnde eo tempore maxima mutatio ſecuta eſt. Ergo hinc librum quartum auſpicabimur. Quidque ſecum hæc commigratio attulerit mox apparebit.

De Conſtantini Magni temporibus.

Anno ab orbe condito	4270.
Anno Saluatoris	310.
Ab hinc anno	1275.

CONſtantinus Magnus ad tantum faſtigium honorum euectus, inuenit imperium non modò turbatum, ſed etiam Sarmaticis Geticisque bellis ita languefactum, vt etiam Imperatores Romani Scythis pẽdere tributa, pacemque ab eis redimere cogerentur. Ideo Conſtantinus Magnus coactus fuit Roma Conſtantinopolim ſedem imperii transferre, vt ibi arcem belli erigens contra Sarmaticas gentes (nominatim enim hi exprimuntur) propiore oportunioreq; loco eorum inſultus commodiùs reprimere poſſet. Nam toties in Græciam ire, Romam redire & rurſum reuerti, quoties buccina ex ſpecula ſignum hoſtilis aduentus daretur, ſecumq; tentoria, machinas & alia impedimẽta bellica trahere, minimè ex re & vtilitate Reipub. Romanæ iudicabat. Sed res comprobauit conſiliũ illud fuiſſe minus ſalutare, & medicinam illam morbo fuiſſe deteriorem. Nam cùm cernerent Vandali & Gotthi aliæq; gentes Sarmaticæ exhauſtam Italiam ducibus belli & milite ſtrenuo propter illam Imperii tranſlationem, quam præcipuus flos nobilitatis Romanæ ſecutus erat, nacti hanc occaſionẽ, vniuerſam belli molem exemplo Hannibalis in Italiam tranſtulerunt, vt ita hoſtem ſuum tanquam beluam in

Romani tributarij.

luam in sua arena & latibulis citius conficere possent. De quibus rebus inferiùs locupletiùs dicetur. Narrant & aliam causam eius instituti Constantino fuisse, nimirum vt ex vna fidelia vtrumque parietem dealbaret, hoc est, vt ipsemet vtroque Imperio tam orientali quam occidentali potiretur. Nam quantas difficultates & pericula illi facesseret illa distractio Imperii, abundè testatur exẽplum socialis belli cum Licinio, cum quo aliquoties admodum periculose dimicauit. Quænam autem aliæ causæ occultiores Imperatorem mouerint impulerintq; ad eam commigrationem, cùm omnis mutatio sit periculosa, curiosè non disputo. Satis tamen cõstat, quòd locus ille Bosphori instar portæ fuit septemtrionalibus & orientalibus gentibus, quo superato intima imperii penetrare, prædas agere, & singula excutere quoties libuit semper poterant. Ideo in illis angustiis durabile præsidium collocare ad perpetuandam firmandamq; maiestatem Romani Imperii plurimum referre intelligebat, & hac specie consilii oblata ad perficiendum institutum animum adiecit. Sede autem translata Constantinopolim, non statim Constantinus ab initio, sicuti nouus hospes, volebat vicinos asperioribus bellis aggredi aut fatigare, ne videlicet concitatis in se animis omnium, omnium etiam simul arma experiri cogeretur, itaque prius consiliis quàm armis rem conficere tentat, & Scythas quidem primo legationibus mansuefacit, deinde vbi iam satis deuinctos sibi intelligebat, cum Sauromatis eos inuicem committit, vt scilicet inter se digladiando mutuis vulneribꝰ labefactati citius conciderent. Tale consilium olim Romanis & nunc Turcis non inusitatum in difficilibus arduisque rebus fuit. Euzebii verba sunt. Cum Scythæ contra Sauromatas insurgerent, Sauromatæ domini seruos ad vlciscendum hostes suos Scythas armarunt, qui cum victores euasissent, inflati successu, scuta sua contra dominos leuarunt, ac cunctos à suis sedibus pepulerunt, ita vt expulsi & deserti in fidem & clientelam Imperatoris Constantini confugere cogerentur. Scribit deinde Eusebius quod Imperator eodem tempore magnam partem Sarmatarum in milites delegerit, aliis verò agros ad colendum diuiserit. Hoc consilium prudentissimi inquit, principis benè eis cessisse & ipsi fatebantur. Nã postea siue beneficentia illa Imperatoris mansuefacti, siue metu perculsi, præsidia armata contra se Constantinopolim adducta cerui-cibus suis semper parata cernentes, intra fines suos se continuerunt, fœdusque cum Imperio renouatum annis ferè septuaginta vsque ad tempora Valentiniani inuiolata fide tenuerunt & custodierunt. Subiiciam & hypotiposim, in qua describit habitum, vestitum &

Artes regiæ in Constantino Magno.

ſtitum & ordinem quo ante Imperatorem ſtare ſolebant, vt ex ornatu etiam externo progenitores noſtros cognoſcere queam⁹: Ex ordine, inquit, ſtantes coram Imperatore videres, quibus ſtola erat peregrina, ac varię habituum ſpecies, & coma cùm capitis tum barbæ admodum prolixa, ac aſpectus facierum rigidus &c. Corporum etiam ſtatura excellenter magna, & alii vultu erant rubricundi, alii niue candidiores, alii colore temperato.

Habitus Sarmaticus.

Appendix hiſtoriæ Sarmaticæ ſub Conſtantino Magno.

Anno Chriſti 336. Romani Gotthos in Sarmatarum regno vicerunt. Hæc tradit Hieronymus, Pomponius, Eutropius, & Eccleſiaſtica hiſtoria. Sed ex Oroſio huius belli deſcriptionem adſcribam: Mox, inquit, Gotthorum fortiſsimas & copioſiſsimas gentes in ipſo barbarici ſoli ſinu, hoc eſt Sarmatarum regione deleuit Conſtantinus &c. Ex quibus verbis liquet, quod aliquoties iam monſtratum eſt, Gotthos in Sarmatia manſiſſe, iamque in eorum ſtirpem tranſiſſe. Nam de Viſogotthis hoc intelligendū puto, qui hîc ad Cracouiam & Gedanum habitabant. Nam quidam eorum metallicas mineras ad Sarmaticos montes effodiebant, vt ex Cornelio probatum eſt, quidam verò electrum ex mari Baltico colligentes inter Germanos diſtrahebant, vt ex Plinio quoq; mōſtrauimus. Quo nomine Tacitus eos Sarmatis & Quadis tributarios fuiſſe apertè teſtatur. Sed tempore Conſtantini iam eos in tantum excuſsiſſe iugum Sarmatarum liquet, vt etiam ferro cum eis decernere non dubitarent. Forſan inflati fiducia theſaurorū, quos ex metallicis rebus apud ſuos benefactores ſibi compararant, de viribus ſuis tantùm præſumpſerant. Huius victoriæ de Vandalis ſeu Sarmatis partæ hiſtoriam Iornandes latè proſequitur libro de rebus Geticis. Deſcribit primò Geberichum regem, ex patre Ouida prognatum, id eſt, ex linea hæredibusque aurei velleris. Deſcribit & Viſimirum regem Vandalorum, quem ex ſtirpe quoque non minus clara Aſdingorum proceſsiſſe affirmat. Fuit etiam poſtea rex Polonorum Lechi filius Viſimir, quo nomine apparet delectatum eſſe Lechum, quòd id meminerat in vſu fuiſſe apud maiores ſuos Vandalos etiam bellicoſiſsimos. Deſcribit & locum illius pugnæ, in ſedibus ſcilicet Gepidarum ad flumen Mariſsiam non procul à Viſcla, exiſtimo vbi nunc Scepuſium. Subiungit tandem diu duraſſe illud prælium inter Gotthos & Vandalos, ad extremum tandem à partibus Gotthorum ſtetiſſe fortunam, quo caſu attriti Vandali reliquię eorum in Pannoniā cōmigrarunt, quam à Conſtantino Imperatore tunc impetrarant. In cuius etiam poſſeſ

Lib. 7. cap. 28.

Rebellio Gotthorum contra Sarmatas.

Viſimirus Vandalorum rex.

Mariſsia flumen nunc forſan Maruſsa dicitur, non remotè ab eo loco vbi oritur Viſcla.

ſione po-

sione postea fuerunt, vsq; ad tempora Honorii & Arcadii, per annos nimirum centum triginta, & ex illa prouincia tãdem euocati à magistro militiæ in Galllias & Hispanias abierunt. Annotat etiam Iornandes inter alias causas translatæ sedis ex Italia Constantinopolim, hanc non postremam fuisse, nimirum, quòd mirè delectabatur Constantinus habitatione loci talis, qui nondum vlla gentili Idololatria prophanat⁹ esset, sicut fuit noua Constantinopolis.

De Valentiniani temporibus.

Anno à condito orbe 4330.
Anno à Christo 368.
Ab hinc anno 1300.

POst hos 70. annos Sarmatæ beneficiis & prudentia Constantini deuincti, sanctæ fœdera pacis retinuerunt vsque ad Valentiniani tempora. Quanquam autem Constantium Imperatorem filium Constantini cum Sarmatis quoque dimicasse commemorant, sunt tamen illla prælia quasi obiter facta nec digna, vt cum sequentibus bellis cõparentur, quæ partim ad Constãtinopolim, partim ad vrbem Romanam, vtriusq; scilicet imperii sedes occidentalis & orientalis, gesta sunt. Sarmatæ enim eum quibus sopita & non extincta erant semina belli, ruptis Romanis finibus Pannoniam iam antea aliquoties tentatam, & à Constantino Magno donatam inuadunt, quam iniuriam Valentinianus vindicaturus, raptim negotiis in Gallia compositis cum exercitu occurrit, & ad Brigionem oppidum consedit. Sarmatę audito Imperatoris aduentu, & quod magna contentione apparatuque ingenti administrandũ hoc bellum decreuisset, vt eius primos impetus quoquomodo eluderent, Satrapas suos viros animi magnitudine & corporis proceritate cõspicuos mittunt, qui eum hortentur vt depositis armis meliora de ipsis speret, & ad pacis studium eum inclinent, quos ille ad se ingredi iubet. Cumque præter opinionem spectatæ grauitatis vultu oculos ei⁹ perstrinxissent, Imperator ipsorum augusto aspectu motus interrogat, an cuncti Sauromatę tales essent: Illi mirati procacius interrogatum, quod tempori & Imperatoriæ Maiestati minus conueniens apparebat, ad eius interrogata directè respondẽdum non censuerunt, sed tantùm dignitatem suam tuentes, & Imperatoris leuiusculam percõtationem perstringentes, quadam suffulti animi præsentia grauius respondent, Optimates Sarmatarũ ad ipsum venire, nec amplius. Quibus quatuor verbis ita animum eius pupugerunt, vt præ iracundia Imperator in furorem propemodum versus vociferando seipsum lacerarit, &

Legatio Sarmatarum ad Valentinianum

rarit, & venam ruperit, & paulò post exagitatus intemperie affectuum, ebulliente sanguine, vitam cum morte commutarît. Oratores verò illi cùm se ita despicabiles & contemtos cernerent, ea quæ viderunt & audierunt, ad suos renunciant. Ita vtrinq; animorum exacerbatio illa propemodum fortuita, occasio fuit illorum fatalium bellorum, quæ Gotthica vocantur, eaque tam orientem quàm occidentem versus. Cõmonefaciendum hîc lectorem putaui de Sauromatis tum temporis Pãnoniam vexãtibus, quos nonnulli dissimulato eorum nomine Quados vocant, speciem pro genere ponentes. Sed qui sint populi Squadi, quæ regio & fines eorum, & quòd Sarmatis omnino adnumerandi sint, libro 3. cùm sententiam Ptolomæi de finibus Sarmatiarum & Germaniæ explicaremus, puto me abundè docuisse. Si autem alicui adhuc ea in re minus satisfactum videtur, fruatur opinione sua. Interim eius opinioni tres sacræ historiæ scriptores opponimus, Rufinum, inquam, Socratem, & Sozomenum, qui bellum hoc describentes, legatos hos Sarmatas fuisse, & bellum illud à Valentiniano tum directè contra Sarmatas institutum fuisse demõstrant. Vnde irrefragabiliter id quod supra quoque ostensum est, sequitur Squados, illos, qui de finibus cum Antonio bellum gessere, Sarmatas fuisse. Hæc acta sunt ante mille & 300. annos.

De Valentis Imperatoris temporibus.

Anno ab orbe condito 4344.
Anno à Christo 282.

INterim dum hîc ab occidente futuri belli semina iaciuntur, ab oriente aliud emergit, quod præsens exitium Romanis copiis attulit. Et si res humanas æstimare licet, nihil est esseque potest in Rebuspub. mortalium tam elaboratum, & tam sublime tamq; firmum, vt fatis viam sibi inuenientibus vltrices pœnæ ingenii humani consilia non superent. Getæ seu Gotthi Sarmatici populi, dum in Thracia & Pannonia militiæ vacant, ab Hunnis gente septemtrionali sedib. antiquis sunt pulsi. Res apud multos admirattioni erat, quòd genti bellicosæ & præpotenti ea acciderent, quæ imbellibus tantùm metuenda sunt, cumque veluti ludibrio fortunæ expositi aliquantulum secum quid esset agendum in eo casu, quodue consilij genus arripiendum deliberarent, vicit plurium sententia, qui suadebant, potiùs Imperatores Christianos placãdos, quàm cum hostibus gente bellicosa, iam ad prelium parata, & dimicationem exposcente, Marte iudice, ferro decernendum

Gotthi ab Hunnis patria pulsi.

Tempus primi aduentus Hunnorum ad eas regiones.

cernendum & de possessione littoris Pontici, in vnius diei fortunam summam rei conferendam. Nec malè consilium illud eis cessit. Nam præter expectationem, id quod optabant, Valens Imperator eis concessit, & votis eorum annuit, habitareque eos siue in Mysia vellent, siue in Thracia permisit. Illi gratitudinis ergò religionem Imperatoris nempe Arrianam se amplexuros recipiunt & reipsa amplectuntur, qua re Valentem ita sibi deuinctum reddiderunt, vt eorum virtutem in bellicis rebus, Romanis suis præferret. Iamque complures milites Romani quasi despici se cernentes vacationem militiæ ab eo petebant, & abiectis gladiis, manus buri & vomeri applicabant, agriculturæq; se totos tradebant. Interim verò Getæ strenuam operam in arcendis hostibus defendendisque finibus ei liberaliter & prolixè promittunt. Imperator eis ita fidit, vt neq; fœdus cum eis sanciret, neque adimeret arma, vt in tali casu antea moris fuerat: quicquid verò liberet & placeret eis magno suo & imperii totius malo permitteret. Militabant tum inter eos duo duces, quorum alteri Athalarichus, alteri Phritigires nomen fuit. Ferunt & Turingicos quosdam ex Germanis tum inter Gotthos militasse. Et vt ego existimo, tunc temporis primùm, per illam conuersationem, Getarum vetus cognomen in Gotthorum transformatum & germanisatum, hoc est, iuxta dialectum Germanicam deprauatum fuit, vt postea pro Getis Gotthi passim appellari cœperint. Omitto hîc quæ de ecclesiis Gotthicis & earum Episcopis, deq; Gotthicarum literarum inuentione scriptores tradiderunt. Apud scriptores ecclesiasticos talia legendo lector desiderium suum implere poterit. Redeo igitur ad bella eorum. Gotthi tunc duorum maximorum ducum ciuilib. bellis implicati erant. Sed Athanarichus, maiorem potentiam acquisiturus auxilia Imperatoris implorabat, itaque adiutus eius copiis Phritigerum superat, solusque regno potitur. Fuerunt tandem aliquantisper eorum res in pace. Sed cum non longè post Romanorum Ducum auaritiam cernerent, subindeque improperiis eorum & contumeliis irritarentur, pax eorum quo magis diuturnas ferias habuit, eò maiorem in flammam semel violata amicitia erupit. Nam aliquoties increpati, cum imperia eorum ferre nō possent, præsidia eorum adoriuntur ac Lupicinum simul & Maximum duces eorum obtruncant. Nec contenti hoc facto, maiora aggrediuntur: Mysiam & Thraciam armis sibi subiiciunt, subactisque tributum imperant: ad extremum cunctis Romanis qui tunc istic erant formidolosi esse cœperunt. Susceperat tum expeditionem Valens contra Persas, quibus repressis contendebat Antiochiam,

Valens Gotthis concedit in Thracia sedes.

Valentis securitas & credulitas malè cessit.

tiochiam, sed sæpius querulis Thracum & Græcorum vocibus euocatus ac propemodum extimulatus, relicta Antiochia in Europam duxit. Gotthi aucti Sarmatarum copiis, quas in Pannonia tẽpore Valentiniani militasse superius diximus, aduentanti occurrunt, nec pugnam detrectant, tandemque signis collatis equites Romanos proturbant, & loco dimouent: ita legiones nudatæ prę sidiis nullo negocio soluuntur, & in fugam præcipites vertuntur, quib. sese Imperator ipsè fugiens immiscet, mutatoq; vestitu cùm sese euoluere conaretur in potestatem hostium deuenit. Nã cùm inclusus turri aut domunculæ cuidam, euentum negocii sollicitè expectaret, à prętereuntibus qui equis vehebantur, agnitus obiter fuit, cumque prodire nollet, igne circumiecto combustus. Hic fuit finis bellorum magno ardore animi susceptorum, Romanis fines imperii sui proferre satagentibus, & Sarmatis Getisque patrios fines propugnare annitentibus. Accidit hæc clades ante annos mille triginta. Quæ autem in occidentali imperio acta sunt interea temporis, postea dicetur.

Gotthi cum Sarmatis.

Valentis Imperatoris tragicus casus & tristis euentus

De temporibus Theodosii

Primi Imperatoris.

Anno ab orbe condito	4345.
Anno à nato Christo	383.
Anno ab hinc	1181

IEmporibus etiam Theodosii motæ erant lites non paruæ de finibus inter nostros populos & Germanos. Proinde Saxonici exercitus & Turingici collocati erant inter Albim & Viadrum ad defendendos limites & arcendas gentes Sarmaticas. Rursus cum Gotthis, qui iam relictis prioribus sedibus Mysiam & Thraciam inhabitabant, acerbiores erant controuersiæ. Nam licet obnoxii iam cœperant esse orientalibus Imperatoribus ob beneficium recens acceptum, tamen cum regem & regimen proprium haberent, viresque eorum indies assurgere viderentur, tam propinquum semper impendere ceruicibus eorum hostem molestè Romani ferebant, præsertim cum mors Valentis recordatioque præteritorum bellorum cruciaret Imperatores. Gothos autem ad cauendum sibi in posterum ob recens patratum facinus, conscientia exacuebat, itaque vtrisq; venenum alentibus conflatum fuit denuo bellum. Cumque ad arma conclamatum esset, & Gotthi non per omnia paratos se animaduerterent, præeunte Athalaricho rege ad pacis se studium confestim conferunt. Ad quam rem

Præsidia ad Albim.

Controuersia de finibus cum Saxonibus.

quam rem duo eos inuitabant: primò incommodum belli quoddam nuper acceptum, quodq; de clementia Theodosii omnia læta audiebant, alterum quod ipsemet, vt ad se venirent, eos inuitabat. Nec fefellit Gotthos coniectura. Theodosius enim prospiciens turbulentum vndique rerum statum, pericula ad orientem, pericula ad occidentem quæ Romano imperio impendebant, & alia maiora metuens (nam ex Italia ad eum quotidie perferebantur noui rumores) summo iure cum Gotthis non egit, quin potius ad clementię & facilitatis consilia decurrit, Constantinum Magnum imitatus pientissimum pariter & prudentissimum principem, qui paulò ante absque gladio Sarmatas & Gotthos consimilibus consiliis mansuefecerat. Accidit interea, vt Athalarich⁹ postquam rediisset in gratiam cum Imperatore, moreretur ibidem: hunc Theodosius honorificentissimo apparatu & pompa funebri exportari iubet, multis ducibus Romanorum & præfectis copiarum fun⁹ eius deducentib⁹. Gotthi cum ordinem gubernationis, seriem Senatorum & ducum, deducentium funus viderent, principisque iustitiam mansuetudine summa temperatam perspexissent, qui vi & ferro perrumpi non poterant, bonitati & pietati cedunt, libenterque se victos fatentur, dixeruntque se agnoscere hoc Imperium à Deo esse ordinatum, nec fore felices qui illud euertere conarentur. Itaque fœdere icto cum Imperatore fidem & operam suam ei promittunt, militiamque professi sub eius signis militarunt. Erant autem ferè ad viginti millia, ac Romanorum res deinceps tantùm abest vt turbarent Gotthi, vt etiam quantum in eis fuit, auxerint. Cumque Imperator pacatis rebus orientis ex Thracia in Italiam rediisset contra Eugeniũ & Arbogostum ducens exercitum, Gotthorum quoq; decem millia sibi adiungit, quorum magna ex parte, virtute & constantia Gallorum exercitus in illis angustiis bello difficillimo & valdè periculoso expugnati fuerunt. Stetissetq; integrum & inuiolatum illud pacis fœdus quod Theodosius magis necessariò, quàm optato consilio cum ea gente pepigerat, nisi Stiliconis artibus, à Gildone filiis Theodosii trucidatis, interuersum fuisset, & stipendia merita cum cõmeatu eis dari solita denegata fuissent, vnde noui motus statim orti sunt. Nam iterum hac iniuria recenti Gotthi exasperati Thraciam superantes Pannoniæ interiora inuaserunt, de qua re luculentiùs dicere necesse erit. Iam enim Gotthorum erga Romanos & Romanorum erga Gotthos ita inflexi erant animi, vt Imperator Gratianus prętorianorum cohortem, ad custodiam propriæ salutis ex eis sibi adlegerit, qui honor & prærogatiua ab Europëis regibus hac nostra ætate solis potissimùm

Virtute Gotthorum inter Alpes Theodosius victor.

Filij Imperatoris trucidãtur

Fidelitatis honos Germanis habitus.

tissimùm Germanis deferri solet. Quod autem & Theodosius eis plurimum fisus sit & eorum viribus opera non pœnitenda peregerit, inde apparet, quòd Stilico cum esset stirpis Sarmaticæ, dux magni nominis præcipuos honores apud ipsum consecutus est, ita vt prȩcipuus dux belli ab eo sit designat⁹, penes quem summam rei totius esse voluerit. Quin & illud quod supra de præsidiis ad Albim syluasq; Hercynias dispositis, ad defendendos limites contra Sarmaticas gentes diximus, eius instinctu eiusque consilio factum fuisse prædicatur. Nouerat enim Stilico mores gentis, cum & ipse esset eorum conterraneus & popularis, & ne quid à milite contra disciplinam militarem designaretur, ipsemet legiones quæ ab eo dispositæ erant obequitabat, in præuaricatoresque edictorum à se latorum grauiter animaduertebat.

Compendium Chronologicum historiæ rerum Sarmaticarum à Valentiniano ad Theodosium, per annos circiter triginta.

Anno 362. Imperator Gallus, vt existimo, qui ad orientem electus erat, Sarmatas, & Quados superat, illisque Zizam vel Dziezam, vt Polonicè loquamur, præfecit.

Anno 363. Honoratius primus, Constantinopolitanus Imperator Sarmatas rebelles fertur domuisse. Amianus libro 19. Ego existimo intelligendum hoc de illis Sarmatis, qui Pannonias occuparant, non de vniuersa gente. Hoc enim circumstantiæ nequaquam patiuntur. Nam quantum negocii Valentiniano, ipsi postea dederint, mox annotabimus.

Anno 367. Hunni vastata Alanorum regione Gotthos aggrediuntur. Amianus lib. 22. 23. 24. Habebant ergo tum Gotthi à tergo & à fronte hostes, & quidem potẽtissimos, hinc Romanos inde Hunnos. Nõ est igitur mirum eos ab aduersa fortuna indigniùs tractatos.

Anno 368. Ermanarichus Gotthorum rex potentissimus, ille quem Alexandro Magno comparat Iornandes. Hic 20. ferè nationes subiugarat, in quibus & Germanos numerat idem autor. Et existimo Hunnos, vbi audirent de successu aduersarii, inuidia incitatos eius patriam à tergo aggressos esse & vastasse.

Anno 370. Vandali nostri æmulati hanc Gotthorum suorum cognatorum laudem, etiam ipsi ad ripas Rheni confederunt, qui postea Burgundiones dicti. Nominat Ptolomæus inter Venedicas gentes Phrugundiones à Septemtrionali ripa Istulæ. Isti itaque qui

que qui ad Rhenum consederunt, hac de causa & Vandali & Burgundiones dicti sunt. Crantius autor.

Anno 371. Gotthi Istrum transeuntes Thraciam peruastarunt. Tripartita historia & Amianus libro 31.

Anno 378. Sarmatæ Pannoniam vastant. Et hoc tempore Valentinianus præ iracundia mortuus, vt supra narratum est: eodem anno Ermanarichus rex Gotthorum nobilissimus à duobus nebulonibus interfectus, Bomfinius autor.

Anno 380. Hunni iterum Gotthos aggressi patriam eorum occuparunt, ita vt coacti sint nouas sedes trans Danubium à Valente Imperatore in Pannonia petere. Orosius lib. 7. cap. 31. Tripar. histor. lib. 8. capite 12. Hoc tempore Thorismundus Ostrogotthorum, Atanarichus Visogotthorum rex vixit.

Anno 381. Gotthi ob auaritiam Maximi annonæ præfecti, fame coacti rebellant, Thraciam, Thessaliam, Epirum vastant. Iornandes, Diaconus, Orosius.

Dion historic⁹ de Diurpaneo illo Gotthorũ rege dicit, quòd cum á Romanis interrogaretur, cur fœdera cum Traiano inita violarit, respondisse fertur: Quia auaros mitterent præfectos. Eandem causam rebellionis Gotthi optimè poterant reddere Valentiniano. Non enim amplius ferentes Maximini annonæ præfecti auaritiam, ad extrema remedia confugerunt. *Responsum Diurpanei Traiano.*

Anno 382. Vandali sedibus suis relictis terras alienas inuadere cœperunt, rege Modigilo, qui eis triginta annis præfuit.

Anno 383. Longobardi ex Scandia insula Oceani septemtrionalis egressi Vandalos qui remãserant duce Iborea & Alone vicerunt. Prosper in Chronico. Non Roxolani ergò in Vandalorum sedes successerunt, vt quidam volunt, sed citius Longobardi, (si vera dicit Prosper.) Apparet & ex hoc loco, non ita ex his regionib. Vandalos populariter egressos fuisse ante aliquot annos, vt ex eis ne vnus homuncio in patria tum remaneret. Quidam enim affirmant Roxolanos Vandalorum vacuas sedes occupasse discedentibus ipsis in Hispanias, sed falsò.

Anno 384. Theodosius Gotthos multis præliis superat, & ex Thracia pellit, cum Athanaricho eorum rege fœdus icit. Blond⁹ decade prima lib. 9. Is Athanarichus Constãtinopolim venit, ibique post paucos dies moritur.

Anno 398. Gotthi sine rege sub imperio Romano stipendia faciunt annis octodecim, post Athanarichi mortem. Commemoratur hîc illud Theodosii prælium in angustiis Alpium, quando miraculosè ventus excitatus in faciem hostium puluerem impulit, atque *Theodosij victoria miraculosa*

lit, atque ita viam ad victoriam Theodosio patefecit. Laudatur ibi virtus Gotthorum. Ac de hoc bello Poëta Claudius:

O nimium dilecte Deo cui militat æther
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Gotthorum tunc erãt decem millia in exercitu Theodosi, in quorum vexillo depingere iusserat Imperator istas literas, X. P. Σ. quæ significant nomen Christi. Accidit hæc victoria miraculosa ante annos 1181. Septemb. 17. die, annno Imperii Theodosiii 17.

DE GOTTHIS ET EORVM REPVBLICA.

GOtthorum gens quia fama rerum gestarum alias nationes non paucas supergreditur, & prima omnium cunctarum gentium vlta est & vindicata iniuriam aduersus Romanos, & vtrumq; Imperiũ, videlicet, orientale & occidentale debellauit, Romam aliquoties cœpit, vastauit, in thronoq; Imperiali prima sedit, Valentem viuum igne combusit, Decium aquis submersit, filium sagitta traiectum interfecit, & alia infinita patrauit, ideo multę nationes eam sibi vendicãt, sicut & Vandalos, ꝓpterq; rerum amplitudinem ab vtraque gente gestarum & stupendos ausus, eos sibi tanquam consanguineos adiungunt. Eoque res deuenit vt sicuti olim duodecim vrbes Græciæ inuicem rixabantur & iure contendebant singulę, sigillatim sibi Homerum vendicantes, quælibetq; earum apud se natum fuisse iactitabat, propter famam celebrem diuini vatis. Simili modo Vandalos Gotthosque multæ nunc nationes tanquam suam progeniem sibi appropriant propter famam nominis & magnitudinem rerum gestarum, quas ante mille annos vtrique isti populi ab vna stirpe & vna gente, ediderunt. Quapropter operæpretium me facturum putaui, si de eorum origine & rebus gestis ex professo tractationem instituerem, eorumque historiam magna ex parte deprauatam extricarem, & in apertum producerem. Iam quidem complura sparsim de eis à nobis dicta sunt, sed tamen si rem in pauca conferam, vtile erit lectori. Tradit autem Helias Spartianus, & rerum gestarum series indicat, Getas & Gotthos vnam gẽtem fuisse. Antiquiorem tamen appellationem Getarum esse quàm Gotthorum constat. Et appellatio videtur ex re ipsa sumta. Nam γειτων Græcis vicinum significat. Ideo celebriorum fluminum & aliorum locorum vicini aut potiùs incolæ Getæ vocabantur. Nam qui ad flumen Tyram Sarmatæ habitabant, Tirigetæ vocabantur, qui ad Tibiscum Tisigetæ, qui ad montes Moschinos Massagetæ seu Samogetæ, qui ad flumen Istrum

Homeri et Gothorum comparatio eadem.

Getæ vnde dicti.

men Istrum Istrogetæ, vnde Ostrogotthos vel Ostgotthos postea dictos esse puto ab eo, quòd ad ostia Istri seu Danubii inhabitabant. Et Ptolomæus iam Arsigetas iam Gyngiuonenes, vbi nunc Polonia est, ponit. Qui verò vltra Istrum habitabant propinquiores Græciæ Gitonas absolutè vocat. Inde factum reor vt postea Getarum nomen obtinuerint. Ne quis autem hos Sarmatas fuisse ex eorumque stirpe originem suam ducere dubitet Ptolomæum consulat. Is certè lib. 3. cap. 10. Tyrsigetas Sauromatas expressè appellat. Non desunt qui etiam Ostrogotthos ab vrbe nobili in Volinia Ostrog dicta, patria ducum Ostrouiorum cognominatos esse putent, indeque illas gentes oriundas & postea progressas affirmant. Sed illi forsan ad Alanos potiùs veteri more referuntur. Quæ omnia si in vnum conferas, ad eundem sensum, & vocis significatum de quo iam diximus, & nomen Getarum nos ducũt. Regia autem vel metropolis Getarum quæ fuerit, non ita facilè est colligere, credibile tamen est eã quam Zarungetussam vocant fuisse. Zarum enim lingua Heneta principem vocat, Getussæ autem nomen gentem illam Getarum indicat. Sed illud est dignum consideratione, quòd cum appellationes Tyrigetarum Tisigetarum inueniamus, quo autem cognomine in vniuersum eorum patriam vocemus non ita liquet. Nam vbi Germani habitant Germaniã vocamus, vbi Galli Galliam, Gotthiæ autem nomen non ita frequens imò insolens reperitur: Causam eius rei nullam aliam reperio, nisi quòd in vniuersum Sarmatiæ nomine istæ prouinciæ omnes appellabantur. Quando autem & quibusnam occasionibus vox Getarum in nomen Gotthorum cõmutata sit, superiùs dum Theodosii tempora prosequebamur diximus. Nam illo tempore quando ex bonis gentib⁹ mali Christiani facti fuerunt, sacramentoque baptismi ab Episcopis initiati, existimo istam permutationem vocum factam fuisse, Germanis ad eam rem ansam præbentibus, qui iam tum Getis admixti communem causam contra Romanos defendebant, iunctisque viribus non modo iugum eorum excutere, sed etiam par pari reddere satagebant. Gotth enim & bonum & Deum significat, qui autem lauacro baptismi irrigantur sacrisque initiantur iam quasi diuini facti videntur. Alii verò eos fataliter Gotthos vocatos arbitrantur, quod instar flagelli Dei Romanis fuerunt. Itaque historici inflexo nonnihil vocabulo ad sonum & dialectum germanicam pro Getis paulatim Gotthos appellare cœperunt. Erant enim reuera Romanis eorumque prouinciis flagellum durissimum, ita vt contuso & fracto eorum Imperio vrbi non pepercerint, imò deuastata & propemodum dele-

Ostrogotthi.

Ostrog arx sedes ducis Basilij in Volinia.

Regia Getarũ.

Zarungetussa vrbs Daciæ in Ptolomæo.

Ex Gotthis Getæ quando.

ta, etiam nomen ipsum Romæ Adulphus filius Alarici abolere & in Gotthicum conuertere commutareque decreuerit, nisi vxoris intercessione crebrisque & demissis obsecrationibus Deus institutum eius auertisset. Hoc verò facinus exemplo Romanorum ipsorum facere volebat, qui hunc morem habebant, vt deleto regno aliquo & in prouinciam redacto etiam veteres appellationes abolerent, & antiquarent, nouas verò è sua lingua tribuerent. Hinc est quod in Ptolomæo ægrè inueniuntur cognomina prisca tam in descriptione Pannoniæ, quàm etiam Mysiæ vtriusque. Ideo nata sunt cognomina in Hungaria, Corona, Alba regalis, Prætoria, Augusta &c. Et in Germania Colonia Agrippina, Augusta, Argentina, Basilea, Spira, Aquisgranum & alia infinita huiuscemodi. Liberum enim eis hoc erat, semel Germania in suam potestatem redacta & subiugata auita nomina pro libidine abolere & quadrata rotundis miscere. Generatim de Gotthis iam aliquid diximus, ne quid tamen sicco pede transisse videamur, neue quispiam nos aliquid lectorem celare voluisse opinetur, methodicè rem eandem ex probatissimis autoribus trademus.

Mos Romanorum in commutandis nominibus vrbium.

De nomine Getarum caput primum.

De nomine Getarum iam supra diximus. Addam tamen rem dignam notatu de nominibus istis ex Dione historico qui sic dicit. Porrò eam gentem Dacos appello nam ita se ipsi nominant, eodem nomine à Romanis appellantur. Etsi non ignoro eos à quibusdam Græcis Getas esse dictos, quod an rectè factum sit, nescio. Helius Spartianus, Dion, Orosius, Iornandes, & alii Getas Gotthos esse dicunt. Sumunt alii encomia suarum gentium, Saxonas á Sais deriuando, & Dacos à Dais, quarum gentium laudes ex Xenophonte libro 5. in Pædia Cyri recitantur. Sed perpusilla admodum accessio laudum inde petitur. Nam si tanta vis est argumenti ab etymo vocis, possent etiam Dani à tribu Dan Iudæorum deriuari. Possent & Poloni à Pelek illo patriarcha, abnepote Noë deriuari, aut ab Apoloniis, aut etiam à Palaco illo rege, qui ante tempora Christi vixit, & cum Mithridate conflixit. De qua re superius ex Strabone nonnulla allata sunt.

Ab etymo cognominum non semper valent argumenta.

De origine Gotthorum, caput secundum.

De origine Gotthorum duæ sunt sententiæ authorum. Alii eos ex Scandia nauibus profectos & ad Istulæ flumen delatos esse affirmant, interque Vandalos vi & armis sedes sibi parasse. Alii à Mœothide palude profectos ad Istrum & Danubium consedisse memoriæ prodiderunt: sed siue hoc siue illo modo de illis sentiamus, v-

traque

traque ratione Sarmatę erunt. Nam & Scandia & alii insulares populi septemtrionem versus à Sarmatarũ iure secerni non possunt. Siquidem in Sarmatico mari illæ insulæ innatant, & vltra Istulam exporriguntur. Magis tamen consentaneum esse videtur, eos ex Asia sicut & alias omnes gentes occidentales, colonias post illam diuisionem gentium deduxisse. Nam quod Iornandes eos ex Scandia venisse cum rege Beria affirmat, hoc iam superius est confutatum libro 3. nec potest cum Chronologica ratione consistere, & à Biblica veritate alienum est, quin & sibi ipsi hac in re contrarius est, aut principium eius adulteratum est, cuius rei supra mentio facta est.

In quas gentes propriè diuidantur Gotthi.

Alii vocantur Ostrogotthi, alii Visogotthi, alii Gepidæ, alii Daces Tirangitæ, alii Gitones, alii simpliciter Getæ vel Gotthi. Ostrogotthorum nomen Gothos indicat, & etymon vocis respicit cognomen Istri. Ergo Ostrogotthos dicemus Gotthos illos ad Istrum habitantes, id est orientales. Nam & Ister ipse ad orientem vergit, vbi in Euxinum mare illabitur. Quapropter quod Auentinus de Osterfze meer, & de Vuesterfze meer, id est orientali & occidentali mari tradit prætereo. Alii Visogotthos dictos putant à fest Goth, quasi ipsissimos Gotthos, quòd ab iis alii vt à patribus processerint. Visogotthos Iornandes vocat Gotthos, qui occidentem spectant, hoc est, qui ad Vistulam manebant. Nam & Vistula è Sarmaticis montibus exurgens, vt Iornandes tradit, in Sarmaticum Oceanum sese abscondit, occidentem versus. Vocat autem Iornandes apertè Vestgotthos parentes Ostrogotthorum: Gepidarum nomen significat Gotthos, qui ad Visclam manebant (nostri illud flumen vocant Vislok,) vbi nunc Scepusium est. Et etymon vocis Iepida, exponit Iornandes pigrum, Iepanda enim Geticè significat tardum ingenio. Quoniam igitur isti tardioris ingenii reputabantur, ideo eos afficiebant cognomine hoc Gepidarum. Daces à latinis sic Gotthi appellabantur, sicuti à Græcis Getæ, à Germanis Gotthini: inde flumen Gutallus à Plinio vocatur, quòd per eorum ditionem permeat, & apud illos oritur. Tyrangitæ, Tisigetæ à fluminibus accolæ Gotthorum appellantur. Qui ad Tyram habitabant Tyrangitę, qui verò ad Tisam Tisigetę, qui ad Raban, vbi est Bochna Arsigetæ, quin & Tanaitæ à Ptolomæo ad Tanaim ponuntur. Piengitas eosdem puto à Ptolomæo vocari, quos modo Gepidas diximus. Post quos Biessi, à quibus hactenus montes Biesczadi vocantur. Procopius vsque adeo dilatat

Ostrogotthorum nomen.

Visogotthorũ nomen.

Gepidarum nomen.

nomen Gotthorum vt etiam Alanos & Elios homines noſtræ linguæ Gotthinos vocet, & hos vnius ſtirpis fuiſſe prædicat, vt verè Gotthia idem ei ſit quod Sarmatia, ſicuti rurſus Sarmatia pro Gotthia non rarò accipitur.

De ſtationibus Gotthorum, caput quartum.

Poſt illam diuiſionem gentium primam ſtationem eorum fuiſſe ad Męothidem & ad montes Sarmaticos tradunt, ſecundam in Thracia, tertiã in Pannonia, quartã in Italia, quintam in Hiſpania, poſtquam expulſi erant ex Italia opera Belliſarii, & vltima vice Narſetis Eunuchi. Nobiliſsimi erant iſti duo duces Imperatoris Iuſtiniani. Oſtrogotthorum ſedes fuit Zarmigetuſſa, & Thomos vrbs ad Iſtrum, Peucen Inſula Iſtri, qua de cauſa Oſtrogotthi dicti ſunt. Regiones illas, vbi colebant agros Getæ Beſarabiam à duce vocant noſtra ætate. Et quanquam illas legiones Italicas, quas Traianus in Daciam olim introduxerat, Aurelianus poſtea reduxit, tamen coloni & alii qui œconomiam iam auſpicati erant iſtic remãſerunt, qui linguam Slauonicam corruperunt vſu linguę latinæ introducto qua Valachi corruptè hactenus vtuntur. Viſogotthos ad
viſogotthorũ ſedes. fõtes Gutali ſuum domicilium primarium habuiſſe iudico, quanquam per vniuerſam Sarmatiam ſparſos fuiſſe Coſmographi annotant. Vbi eſt Gedanum Ptolomæus Gitonas ponit. Sicuti autem ad Iſtrum Sarmatæ & Getæ mixtim habitabant, vt ex Ouidio apertè liquet, ita etiam ad Iſtulam & Sarmaticos mõtes ſparſim inter Sarmatas degebant, erantq; veluti prouincia ipſorum. Notum eſt vbi ponat Ptolomæus Sidirorichias. Ibi eos metalla effodiſſe Cornelius Tacitus teſtatur. In eadem ſententia ſunt & Neoterici ſcriptores, Eberſtemus Tilemanus, & Carion ipſe, qui diſertè dicit, quòd Gotthi ad vtramque ripam Iſtulæ habitabant.

De finibus et limite Gotthorum.

Limites minorum gentium, ſicuti Gotthos, Oſſos, Burios Ptolomæus ſic vocat, difficilius eſt dignoſcere ob nomadicam conſuetudinem. Nam hodie hîc erant, & poſt aliquod tempus alio commigrabant. Sicuti de hoc genere vitæ nomadico Strabo dicit: Rebus inquit ſuis curribus impoſitis facilè cum pecore ſuo abeunt quo viſum fuerit. Gotthorũ tamen vtpote nobilioris gentis Strabo regionem ſic deſcribit: Latus autem Germaniæ meridionale Sueui tenent. Poſt hos Getarum regio arcta primo, quà iuxta Auſtrinam partem ſecundum Iſtrum protenditur, & è regione finium Hercynię ſyluæ partem montium ipſa quoque complectens. Deinde verſus ſeptemtrionem dilatatur vſque ad Tyrigetas. Et mox:

Hi Getæ

Hî Getæ ad vtramque partem Istri accolebant, &c. Ideo Iornandes plurimos sinꝰ maris Pontici & plurima flumina in illa eorum regione fuisse commemorat. Similiter Cornelius Tacitus regionem Visogotthorum describens ait: Gotthini, Osi, Burii terga Marcomanorum Quadorum claudunt. Omnesque hi populi pauca campestria, cæterum saltus & vertices montium iugumq; insederunt. Dirimit enim scinditq; Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes, ex quibus Ligii &c. Guthones quo magis pudeat & ferrum effodiunt. Similiter & Orosius de iis. Ex quibus descriptionibus liquet, Gotthorum seu Getarum, vt Strabo ipse ista nomina coęquat, fines incipi à limitib. Sueuorum. Sueuorum autem sedes indicat fluuii nomen Sueuꝰ, qui nunc Spre a à quibusdam scriptoribus Germanicis vocatur. Sed veterum sententia magis placet, Albim versus Sueuos habitasse. Ideo rectius ille amnis qui prope Calusium flumen est Sueuus vocatur, hoc est inter Albim & Viadrum, Cimbricũ Chersonesum versus. Hunc Plinius Gutalum vocat à Gotthis, qui sedes suas isthic tenebant, & extendebantur vsque ad montes Sarmaticos, ex quibus hic quo que Gutalus oritur, & tandem montes Sarmaticos insederãt, nonnihil in campestria descendentes Cracouiam & Niepolomiciam versus. Nam illæ syluæ Niepolomicianæ etiam Hercyniæ vocantur à Ptolomæo. Ideo Strabo dicit: E regione, inquit finium Hercyniæ syluæ, ac ita demum omnes montes Daciam versus occupa rant, & tandem vsque ad Istri Ostia & Tyræ, vbique permixtim cum Sarmatis habitantes, vt Strabo eodem à principio eiusdem libri dicit. Et cogitanti mihi quæ causa sit, cur potissimum in Cracouiensi terra & apud Podgorios non eodem modo nobilitatis nomina finiantur, nam alia in ski desinunt, & hos puto de stirpe Vandalica originem ducere. Aliqua verò simpliciter, prout casus fert, hos Gotthorum sanguine cretos intelligo. Nam tales potissimum hucusque sedes suas ad radices illorum montium tenent, quorum nomina & catalogum per ordinem Alphabeti hîc placet adiicere.

Sueuorum sedes.

Sylua Niepolomiciana.

Strabo lib. 7.

Fines Sueuici contigui erant cum finib. Gothorum.

Series Gotthicorum nominum.

Bal	Klosas	Tárlo
Barzy	Kula	Talaphus
Dembrodes		
Dersniak	Niemsta	
Ciolek	Czurylo	
Firley		Zarebá
Fredro	Plázá	

Frykacz Rozen
Fàrurey Szary
Gámrath Száfrániec

Gutthonum familia in terra Sedomirienſi & Premiſlienſi ſedes habet ſuas.

Gutthouie forſan & nomen ipſum à Gotthis habẽt.
Gárniſz Svvidvva
Hárinek Smolik
Hinek Strzala
Herboth
Iaxa
Iordan

Hos omnes ex ſtirpe Gotthorum prodiiſſe, vt diximus, credibile eſt. Dembrodes ſignificat gentis Debno progenitorem. Nam Debno ſigni eorum militaris eſt nomen. Rod vero ſeu rodzay patria lingua ſignificat genealogiam. Quod autem quidam hunc Dembrodem Scytham fuiſſe prædicant, inde factum eſſe reor, quòd Getæ ipſi à pleriſque per abuſum Scythæ vocantur. Quomodo autem ſucceſſu temporis Dembroti poſteritas in Sedomirienſem terram veniẽs fidem Chriſti ſub Chabrio ſuſceperit & monaſterium Calui montis fundarit poſtea dicetur. Szafarach etiam Gotthi ſtrenui militis & ducis mentionem facit Iornandes ante mille annos. Hic cum Fritigero & Alateo Theodoſio Cæſari ſe opponebat, & forſan ipſorum opera Valens Cæſar ille viuus igni combuſtus fuit & victoria glorioſa de eo parta. Fuit & Balta dux Gotthorum. Neſcio ſi Barſonum gens & Balorum aliquid commune cum eis non habeant. Virtute certè militari, & togatis virtutibus nequaquam ab eis degenerauit Staniſlaus Safranecius, qui modo agit ſumma cum laude Palatinum Sedomirienſem. Sed ad propoſitum redeamus.

Száfrach Gothus.

Balta Gotthus

De moribus et veſtitu Gotthorum.

Gotthi non erant ea leuitate præditi, vt in gratiam Italorum, vbi tunc manſerant mutarent patrium morem ſeſe veſtiendi. Nam & crinigeri & pelliti incedebant, de qua conſuetudine eorum Claudianus Poëta ad eum modum:

Crinigeri ferè patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix,
Et tremulos regit haſta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis, non exarmata ſenectus.

Apparet ex iiſdem carminib. Getas ad extremum vitæ haſtis longis quibus gradum fulciebant vſos fuiſſe, quibus quaſi ſymbolis ſignificare voluerunt, ſe ad vltimum halitum militiam profiteri, in eaque profeſsione ſe mori velle. Ideo dicit Poëta non exarmata

ſenectus.

ſenectus. Hæc de veſtitu ſenatorum. Militum verò cõſuetudinem ex Ouidio depinximus, qui eos vſos fuiſſe corito & arcu teſtatur. Scribit Tacitus Oſtrogotthos equitatu potiſsimùm valuiſſe. Et alibi inquit: Omnium harum gentium inſigne rotunda ſcuta erant & breues gladii, quos nos ſchabla vocamus.

De lingua Gotthorum veterum caput ſextum.

Cornelius Tacitus videtur Gotthis Gallicum ſermonem tribuere, aut ſaltem accentu Gallico vſos fuiſſe. Non deſunt enim, qui ita Cornelium Tacitum exponendum putant. Et probant Gallos olim alio ſermone vſos fuiſſe, quàm nunc vtũtur. Et credibile eſt. Nam hunc qui eſt latino ſermoni affinis, quo nunc vtuntur, Iulii Cæſaris temporib⁹ inuectum fuiſſe hiſtoriæ prædicant. Porrò antiquos Gallos Græcis characteribus vſos fuiſſe ad tempora Caroli Magni, lingua autem Celtarum veterum locutos oſtendunt autores. Plinius cõmemorat aliquot voces Celticas ex quibus marcha equam vel equum vilem & valdè malum macilentumq; ſonat. At iſtis qui ſiniſtrè Cornelium exponunt opponimus tres autores Inprimis Strabonem, qui dicit Getas cum Dacis ὁμογλώττους fuiſſe. Et Ouidium qui gloriatur ſe intra paucos annos didiciſſe Geticè Sarmaticèque loqui. Sed & Procopius de bello Vandalico ſtatim ab initio libri, fatetur Gotthos, Vandalos & Melanclienos, quos nos Czern vocamus, eodem ſermone vſos fuiſſe, vnamq; gentem fuiſſe, licet nominibus diuerſis, cætero inquit conueniunt. Nam & albi ſunt omnes corpore, flaui coma, proceri quoque & aſpectu probo, legib. item eiſdem vtũtur, ſimiliter & Arrianæ omnes fidei, voce vna Gotthica appellata vtentes. Hæc Procopius apertè. Eſt autem teſtimonium iſtorum trium maioris faciendum quàm aliorum complurium. Nam iſti vt vocant oculati ſunt teſtes. Ouidius inter Sarmatas & Getas manſit aliquot annis ibiq́ue mortuus eſt. Procopius caſtra Belliſarii ſecutus multoties cum eis conuerſat⁹. Strabo etiam non procul à Gotthis natus fuit in regno Mithridatis. Meminerunt ſcriptores Oroſius & Procopius aliquot nominum Gotthicorum, Radagiſus Polonica lingua eſt, co rad byvva goſciom, id eſt hoſpitalis. Arbogoſtus, Dobrogoſtus, & conſimilia. Sed non miror quoſdam recentiores Germanicam linguam Gotthis tribuere. Nam dato vno inconuenienti alia inconuenientia ſequuntur. Quia ab ea parte auſtrali Iſtulæ, vbi eſt ipſa Polonia Germaniam fuiſſe affirmant, ideo ratione concomitantiæ compulſi GOTTHOS & QVADOS dixerunt fuiſſe Germanos. Quia autem Germanos fecerunt, neceſſariò tertium commentum

Gallos olim alia lingua & alia ſcribendi forma nempe Græca vſos.

Getica Sarmaticaq; lingua eadem fuit.

Ouidij, Procopij, Strabonis teſtimonia vera.

mentum eis affingere oportuit, vt eos lingua Germanica vſos fuiſſe comminiſcerentur. At Quados Sarmatas fuiſſe iam demonſtratum eſt. Sed quia Regulis Sarmatarum poſt mortem patrum ſors illa ceſſerat, itaque dominio diſtracto, vt fit, aliam Rempub. ſibi erexerant, ſed non aliã ſtirpe aut origine. Quod autem Iornandes ex Scandia ortos prędicat, non videtur conſentaneum. Nam mox idem veluti ſibi contrarius ex Scythia Ouida ortos narrat. Affirmat autem Scythas Ouim vocare terram Scythicam. Et neſcio an vox illa ovvczina inde non deriuetur, aut certè aurei velleris occultam ſignificationem repræſentat. Gotthorum enim principes Anſes & Amatæ & Ouidæ dicebantur, eò quòd ad raptores aurei velleris ſuam originem referrẽt. Et etiamnum Auſtriaci principes aureum vellus ſymbolo ouis repræſentant, quia ſtirpem originis ſuæ ad Gotthos referunt. Sed iam ordine reges inde à Syrmio recitemus. Vetuſtiores qui fuerunt ante & poſt bellum Troianum iam ſuperius commemoraui.

Amatæ.

Reges gentis Getarum.

SYRMVS rex, qui cum Alexandro Magno conflixit, Peucen inſulæ rex nominatur. Ponit autem Ptolomæus populos Sarmaticos Peucinos ad montes Peucen Sarmatiæ, iſthic alicubi ad montes Boryſthenis. Neſcio an nõ Polocenſes illi ſint aut vbi eſt Smolensko. Nam πέυκη pinum pinguem ſignificat, nos Smolna vocam⁹. Prorſus autem Boryſthenes alluit Smolensko, & inde oritur non procul, eſtque locus pinetoſus. Et ſunt vicina loca illa à quibus coloniæ deductæ ſunt ad illam Inſulam Peucen quæ eſt obiecta Iſtro. Fieri quoque poteſt, vt Paluki populi ab iiſdem oriundi ſint, cum Boruſcis vicinis, & ſicuti iſthic inſimul manſerunt, ita poſtea progreſsi inſimul in confinio conſederint. Syrmi autem appellatio non remota deriuatione cum Sarmatarum cognomine congruere videtur. Condiderat Syrmus Rex vrbem nobiliſsimam Syrmium, vbi concilium illud Syrmienſe dictum, Nicæno contrarium ab Arrianis celebratum fuit.

DROMICHETES. Hic poſt Syrmum cum Lyſimacho ſucceſſore Alexandri dimicauit, eumque cum cœpiſſet, abſque redemptione dimiſit, cuius beneficii memor, & habitandi facultatem in Myſsia & Thracia ei conceſsit, vtq; magis ſolida ſpes pacis in poſterum inter eos fieret, filiam ſuam in matrimonium ei deſpondit. Pauſanias narrat.

VAREESTVS. Hic temporibus Auguſti cum Romanis bellum geſsit. Meminit eius expreſsè Strabo. Bellorum autem ducis Flacci ex parte Romanorũ ad Danubium Ouidius de Ponto meminit. Nam ibi tum quoque exulabat.

COTISON fuit rex Getarum, etiam temporibus Augusti tantæ opinionis, vt Augustus filiam suam Iuliam ei desponderet, & rursus eiusdem filiam in matrimonium sibi copularet. De hoc lege Suetonium in vita Augusti. Meminit & Horatius huius Cotisonis: occidit inquit, Daci Cotisonis agmen &c.

DZIVRPANEVS quem alii Ducebalum vocant. Sedecim hic integros annos, incipiens à Domitiano vsque ad Traianum, produxit bellum cum Romanis. Idem aliquoties Romanorum maximos exercitus fudit. Fuscum consulem vnà cum legionibus trucidauit, & amplissimas victorias retulit, ita vt ab eo Domitius pacem redimere cogeretur. Donec tandem artibus Traiani Imperatoris & indefessa perseuerãtia superatus furori aduersæ fortunæ succubuit. Mirificè hîc laudatur à Dione.

De veteri Germania ad Pontum, Borysthenem et Tanaim.

Quanquam autem Dziurpaneus rex Dacorum vocetur, tamen & Getis imperitabat. Nam Getę & Daces gẽtiles sibi erant. Hoc fundamẽto posito non difficile erit inuestigare, Sarmaticę ne genti an Germanicæ debeant adnumerari. Quod commemorare placuit propter quosdam recentiores qui secuti autorem supplementi Carionis, hîc ad Istrum & Borysthenem, quà patet littus Ponticum, vbi Getas & Dacos Ptolomæus ponit, Germaniam veterem sibi fingunt & imaginantur, ex qua Danos, Gotthos & alios Balti ci maris accolas, itemque Mysios Saxonas oriundos, eosque Germanica lingua vsos etiam tum, firmiter asseuerant: quin etiam ad Constantinopolim & in Taurica etiamnum inueniri prouincias, vbi reliquiæ priscorum Gotthorum passim Germanicè loquantur. Et Transyluanos Germanos quos Siebenburger vocant, affirmant, eorum Gotthorum posteritatem esse. Hæc in nouo Carione apertè leguntur. Qui liber, quia est omnibus ob reconditam in eo eruditionem gratus, & ab omnib. passim manib⁹ territur, multis Germanis, Gallis, & aliis nationibus rem ita se habere persuadet. Res profecto ista magna est, & digna cognitione etiam maximorum virorum, qui Reipub. gubernationi præsunt. Nam huius modi disputatione non modo possessio & fines Sarmatiæ petuntur, sed etiam fama & res fortiter feliciterq; gestæ pro salute & incolumitate patriæ ab vna gente in aliam transferuntur. Existimo igitur me rem dignam nobili Polono facturum, si hæc posteritati discussa enucleataque relinquam. Et si verum vetus illud dictum est, quòd bona fama est alterum patrimonium, certè vbi hæc euicero, & propugnando declarauero, tam me promeritum gratiam

Germani in Transyluania an sint Gotthorum reliquiæ.

apud patricios Polonos totamque Rempub. putabo, acsi pro finibus patriæ dimicando aliquid laude dignum patrassem. Inprimis ergo quod attinet Transyluanos Germanos, ex eorundem testimonio res sciri potest, qui interrogati de origine sua, de Gotthis nihil respondent, sed se Saxones dicunt, quemadmodum etiam ab Vngaris aliisq; vicinis ita vocantur. Et si ingenium militare Gotthorum & mores, linguã, vestitum spectes, nihil in istis reperies, quòd veteres Gotthos repræsentet. Probabilior ergo prior editio Carionis, quæ sensit eos esse reliquias exercitus Caroli Magni. Et miror cur nouus Carion à veteri Carione ea in re desciuerit, sibique ipsi non constet, præsertim cùm non solus Carion, sed etiam cum eo complures de hac gente in ea sententia sint. Quòd verò ad Tauricanos & alios accolas Ponti attinet, ego quæsiui à plurimis nobilibus, qui legationes regis Poloniæ in Turciam obeunt, & ab Armenis Leöpolienſibus, qui in illis regionibus continenter negociantur, & illis isthic omnia perinde nota sunt, atque in Polonia, an aliquid tale istic reperiant, sed nihil tale affirmant, quin potius fatentur tàm in illis littoribus, quàm in aula Turcici Imperatoris passim vsum esse linguæ nostræ, quam Slauonicam vocari vsus obtinuit. Et Polonutii illi & Alani ad Constantinopolim hactenus eadem lingua vtuntur. Quare ista missa faciamus. Qui hîc veterem Germaniam temporibus Romanorum fuisse somniant, obliti sunt quòd Cæsar ex professo commentarios suos scribẽdo, de rebusq; Germanicis prolixè tractãdo, nullam mentionem Germaniæ alicuius facit: quod omnino prætermissurus non erat: si quidem iam illo tempore Getarum Sarmatarumq; mentio celebris erat, & iam de finibus Istri cum eis contentio oriebatur. Secundò qui hîc Germaniam statuunt, prorsus limites Sarmatiarum à fundamento conuellunt, & ea quę Babylonii, Cyri, Darii, Alexander Magnus, Lysimachus, Augustus & alii monarchæ de distinctione horum dominiorum decreuerũt, & scriptis, signis, columnis, aris que consignata esse voluerunt, illi quantum in eis est irrita & cassa esse volunt. Præterea Ptolomæus ipse describẽs has regiones cùm minima quæque excuteret, peculiariterque Sarmatiæ limites depingeret, nullam tamen huius veteris Germaniæ in istis oris mentionem facit. Sic & Strabo & Ouidius, sic & alii, qui eius tempora sunt secuti. Commemorantur quidem Alani, Corales, Getæ, Daces, Paziriacæ, Roxolani, Hunni, (nam & hi inter Sarmatas ponuntur) commemorantur Antæ, Massagetæ & Cimbri, quos Strabo inter Sarmatas ponit & alii, sed Germanorum hîc nulla fit mẽtio. Nisi fortè Bastarnas nobis obiiciant, quos Germanos fuisse Strabonis sen-

Vetus Carion probabilius de Transyluanis.

Argumẽtum 1.

Argumẽtum 2.

Argumentum 3. ab autoritate.

bonis ſententia cõfirmare volunt. Eſto verò Baſtarnas fuiſſe Germanos, at illi ſuam prouinciam vt inquilini poſſederũt, non vt hęredes. Arauerunt hîc agros, vaccas mulſerunt, equorum greges pauerunt, aliaque œconomica adminiſtrarunt, ſicuti & nunc Pedemontanæ regionis incolas, quos Podgorios vocamus, ingenium, mores, originem veterum Baſtarnarum prorſus referre videmus. Et oras illas incolunt, vbi Ptolomæus Baſtarnas ponit, & œconomiciſsimum eſt genus, & lineamenta ingeniumque priſcæ gentis referunt. Tribuitur autem hoc Baſtarnis, quòd præ aliis gentibus œconomiam accuratiùs exerceant. Nam & Baſtarnarum nomen idem quod Feſtarnen innuere videtur, vt volunt Germanici ſcriptores. Sed quid ſunt iſta ſi conferantur cum iis, qui pompoſo & ſublimi orationis genere veterem neſcio quam hîc Germaniam comminiſcuntur? Aliud eſt coloniam aliquam ex Germanis huc deductis conficere, aliud Germaniæ fines vſq; ad ipſum Pontum proferre, ex Sarmatia Germaniam facere, & omnia confundere.

Baſtarnarum gens.

Scriptores veteres & hiſtorici ꝑ magno miraculo narrant, quòd tempore quodam, duce Brennone Græci viderint Celtas ſeu Germanos, ſulcantes mare mediterraneum, Athenienſibus fortè contra Philippum ſuppetias laturos. Hæc inquam pro miraculo à veteribus narrantur. At ſane miraculum nullum hîc eſſet, ſi iamdudum in vicinia cum Thracibus, Myſiis & Macedonibus hîc conuixiſſent, & tempore longo eis immixti fuiſſent. Quod ſi autem ea ratione Germaniæ fines anguſti videntur, ſi à capite Danubii ad Rheni profluentem & oſtia in Germanicum cum Solino extẽdat, rixari debent cum Romanis & Ptolomæo, eique litem cum Bilibaldo conſiliario Cæſareæ maieſtatis intendere, quòd Germanis Germaniam tanquam iniquus regundorum finium magiſter acciſam reddiderit, dum conniuentibus oculis, Germaniæ Vltrarhenanæ Galliam verſus, quam Belgicam Galliam vocant oblitus, tantùm à ripa Rheni Germaniam reſpiciens extendit. Sed quod Germaniæ fecit, idem quoque Poloniæ facere non neglexit, dum Germaniam Iſtula tenus terminat, vt quantum ei à meridie Galliam verſus amputauit, tãtùm ei à ſeptemtrione in Sarmatiam intendendo curſum redderet. Sed de his rebus nolo eſſe prolixior, cùm etiam lib. 2. ſub finem mentio ſit iniecta, vnde ſi quæ adhuc deſiderantur, petet lector.

Argumentum 4.

Bilibaldus in libro de vocibus regionum Germaniæ.

Canabvs. Is contra Aurelianum Imperatorem mouerat bellum. Cumque Gotthi primi imperii fines inuaſiſſent, à Romanis vltra Danubium erant reiecti, in quo prælio fuſa eſſe quinq; millia Gotthorum dicuntur, ipſumq; cæſum eſſe regem. Neceſſe au-

tem est,vt scriptoribus Romanis eorumque testimoniis nitamur, quandoquidem hæ gentes propriis historicis carent, quos si haberent, multa possent corrigi, quæ in historia latinorum desiderantur. Quid enim Græci præter fabulas de Sarmatia scripserunt? Romani verò quoniam vbiq; ferè proprię laudi studuerunt, non tam gesta sua maximis extulerunt laudibus, quàm incommoda, quę à Sarmatis,Getis & Vandalis acceperũt callidè suppresserunt.

Ob inopiam scriptorum Sarmatis multum decedit.

ATANARICHVS: qui cum fratre Fritigero intestinum bellum gesit,& à fratre ope Romanorum auxiliorum,quæ impetrauerat, superatus fuit. Quo fratrum disidio audito, Hunni eos armis aggrediuntur, ambosque sedibus patriis pellunt.Confugiunt tandem ad Valentem Imperatorem, qui eis Mysiam cum Thracia attribuit,istucque eos commigrare facit.Paulò post irritatis vtrinque animis bellum acerbum motum fuit.Constantinopolis ab eis obsessa, suburbia flammis absumpta, & ipse Imperator incendio conflagrauit, de qua re superius iam dictum est. Tandem Athanarichus cum de renouandis fœderibus ageret, euocatus Constantinopolim, ibi moritur, vbi & sepultus est, multis eum desiderantibus & collachrymantibus.

ALARICHVS. Hic se Theodosio in Italiam ducenti exercitum adiunxerat, præfectusq; fuit copiis Gotthorum, quæ decem millibus constabant. Tandem confecto bello cum exercitum domum reduxisset, ob non soluta stipendia occupandi Pannoniam autor fuit, & deinde à Radagiso accersitus, cum exercitu qui bis centena millia armatorum continebat, in Italiam contendit. At cum magna pars exercitus illius ob rem à Radagiso malè administratam, virtute Stiliconis disipatus & fame confectus esset, Alalarichus reliquias militum in Pannoniã reduxit, vbi postea à Gothis in regem electus est,& adiunctis Sarmatarum & Dacorum viribus denuo in Italiam expeditionem molitus est, vt posteriorib⁹ factis priorem ignominiam aboleret. Cumque iam fines Italię ingressus esset, cum Stilicone ingenio & viribus pariter decertauit. Et Stilico quidem,vt eum ab oppugnatione Romæ auerteret,ductare eum persuasionibus,& falsa spe maioris commodi cœpit,vtque in Gallos nouandis rebus studentes iret hortatur. Cui⁹ ille simulat se consilio acquieturum, confestimque Gallias ingreditur, cumque iam ad Alpes peruenisset,quidam Iudęus Saul dux copiarum, instinctu Stiliconis in eum irruit magnoque detrimento eum affecit. Sed ille instaurato exercitu rursus superior euasit. Ac detecta fraude,cum didicisset á quo illa consilia consuta erant,dedit operam, vt artem arte vlciscereturillæq; machinationes in caput autoris

Expeditio Alarici in Italiam

put autoris recíderent. Itaque ſtatim Honorio Imperatori perſuadet Stiliconem ambire imperium, olere regem, vtq; ſibi ab eo caueret & per literas & per legatos monet, indicatque eum omnino de abrogando ei imperio, & ad ſe transferendis honoribus cogitare, hocque quibuſcunque documentis poteſt ei probatum facit. Et quia ſuſpicio ex media rei natura deprompta ſolet eſſe perſuaſibilis, maximè quando de ſumma rerum agitur, itaque iuueni adhuc imbecilli iudicii, id quod vult facile perſuadet. Nec potuit Honorius vlterius præſtolari, vt inueſtigaret, veræne an confictæ eſſent illæ criminationes. Sed iubet, Stiliconem vnà cum filio Eucherio interfici. Ita Gotthus perducto conſilio eò quò volebat, cum videret Italiam tanti nominis duce orbatam, erectus animo, ſublatis ſignis Romam liberè pergit, omiſſaque Gallia cum biennio vrbem obſediſſet, Calendis tandem Aprilis anno Chriſti 410, anno ab vrbe condita 1166. eam capit. Ita Roma cum eſſet caput mundi dominaque orbis, corruit & mundi deſiit eſſe caput. Hanc cladem Sybillæ ante multa ſecula prædixerant. Quin & vultures illi 12. qui Romulo fundamenta vrbis iacienti præteruolando apparuerant veluti τοπικῶς hosmille & 200. annos, quibus durauit, id eſt 12. centurias annorum innuiſſe videntur, vt Varro ex ſententia antiquitatis hoc myſterium expoſuit. Hæc acta ſunt ab hinc anno 150. ſupra milleſimum. Sequitum deinde eſt in vrbe, & miles nihil omiſit, quod fieri ſolet in tam lugubri & miſerabili caſu, niſi quòd multitudini, quæ in Chriſtiana templa confugerat, parſum eſt, præcipiente Alaricho. Nam Gotthi religionem Chriſtianam, quam ſemel amplexi erant ſemper reuerenter coluerunt. Inter prædam quæ ex templis theſaurisque publicis & priuatis congeſta erat, (fuit autem maxima) Placidia Galla, ſoror Imperatoris Arcadii & Honorii fuit, quam tandem filio Adulpho iuueni Alarichus deſpõſauit. Nam Alarichus ipſe iam ſenex erat: Poſt eum ſucceſſum rerum non quieuit Alarichus, ſed proſecutus eſt victoriam, duxit exercitum vlteriùs, vt Italiam occuparet, peragratisq; celebriorib. locis, Campaniam, Lucaniã, & Brutios, Siciliæ quoq; regnum depopulatus eſt, ac in vltima Italiæ ora, vnde & Hannibal vale vltimum Italiæ dicens ſoluerat anchoram, mortuus eſt. Eodem tempore tradunt quidam ſcriptores, extructam in Italia fuiſſe à gentib⁹ noſtris vrbem Aſindonem, quanquam alii eam iam antea deſtructam, à Sidonibus verò noſtris paulò poſt ſub Deſiderio Longobardo reſtitutam tradunt. De hac gente Sidonum autor Anius Italus diligens antiquitatum inueſtigator, ſic ſcribit libro de antiquitatibus Ethruriæ: Sidones, inquit non procul à Viſtula fluuio

Alij ad deuaſtationem quę ſub Totila accidit Sybillę progneſticon detorquent.

Vultures duodecim excidium Romæ denotant.

Placidia capta ab Alaricho.

ſtula fluuio Poloniæ ii vocantur quos nunc Polonos dicimus, quorum metropolim CRACOVIAM idem influit fluuius Viſtula, quem Viſclam vocant. Hi victis Lõgobardis Italiam occuparũt, & ſub Deſiderio Coſſas reparantes ſeu Aſidoniam prolatione ſua Proſidoniam dixerunt. Nomen Sidonum veterum in Polonia videtur hæſiſſe in illo territorio, vbi eſt Szidlovv & Szidlovviec oppida. Nam & nomen non longè degenerauit à prima nomenclatura Sidonum, & ſitus loci quem Ptolomæus ponit videtur conuenire cum ſitu iſtorum oppidorum.

Aſidone ſeu Coßæ vrbs in Italia à Polonis extructa.

ADVLPHVS filius Alarici & nouus gener Imperatorum Honorii Archadiiq;, rex creatus eſt & patri ſucceſsit. Is Romam reduxit exercitum hoc conſilio, vt eam deleret. Sic enim ei Daces Gotthiq́ue conſulebant, ſed tandem vxoris Placidiæ humilimis precibus placatus ſentẽtiam mutauit, ac potius inito fœdere cum Honorio, in Gallias abiit, & inde in Hiſpaniam. Ibi cùm Vandalos offendiſſent, quomodo ſe erga ſuos populos geſſerint, & inuicem ab Italicis ducibus commiſsi quàm horribiles conflictus fecerint, ſuo loco enarrabimus, cum ad illam metam perueniemus. Inde iam Chronologi Polonorum, hiſtoriam noſtræ gentis texere incipiunt. Sub iſtud enim tempus Lechi & Czechi aduentus ad iſtas regiones cadit, vt docet Vapouius, D. Cromerus, & Boëmorum quoque ſcriptores. Et iam non ſine quadam voluptate attentus lector oculos ſuos delectatione ſatiabit, cùm ſeriem Gotthicorum & Vandalicorum regum cum ſerie Polonorum regum veluti ad confluentem duorum ampliſsimorum fluminum proſpiciet in vnum coincidere, & tempora Lechi cum vltimis regib. Vandalorum coaleſcere. Res enim ipſa teſtabitur ſiue reges Gotthorum ſiue Vandalorum in frõtiſpicio regum Poloniæ in chronicis præponas, vtrumque mirificè quadrare, ac inuicem ita coaleſcere, vt poſtea ne veſtigium cicatricis apparere poſsit. Cùm enim vtræq; hæ gentes, hoc eſt tam Gotthi quàm Vandali aſſueti eſſent aquam noſtræ Viſtulæ bibere, & pecora ſua inde adaquare, certè tam de Gotthis quàm de Vandalis nulla gens iuſtiùs poteſt gloriari præ ipſis Polonis. Vt etiam Ioſtus Decius idem, licet & ipſe Germanus fuerit, fatetur. Redeo ad hunc Adulphum regem Gotthicum, qui quàm gratus gener fuerit affinibus Honorio & Arcadio exitus mox docebit. Nam cùm Vandali & Gotthi vario ingenio de Hiſpaniæ poſſeſsione diſceptarent, miſit Honorius cum exercitu ducem quendam inſignem Conſtantium Patricium Romanum, qui vt tantò fidelius & magis ſtrenuè cõtra vtramq; gentem, Gotthorum inquam & Vandalorum rem adminiſtraret, benè eum ſperare iuſsit

Gotthica & Vandalica hiſtoria quomodo in harmoniam reducatur.

Adulphi regis hiſtoria continuatur.

rare iussit,promissis onerauit, animoq; erexit,adiecta hac conditione, vt si Placidiam vindicaret ab illo mœsto matrimonio, sanamque reduceret, eam omnino se ei nuptum traditurum, quodque maius est, etiam consortem imperii effecturum.Pulchrum erat brabium, & dignum tanto athleta & etiam ipso agonotheta. Proinde Constantius vt voti compos fieret, summa diligentia & fide in illo negotio versabatur, præsertim cum ad eius institutum viã ei fortuna patefeciſſet.Adulphus enim interea cum tres annos in Hispania degisset,interficitur,itaq; submotis Vandalis ex Narbonensi Gallia Placidia ei reddita fuit. Cùm autem partim propter religionem Christianam,quam Gotthi sequebantur, partim propter cupiditatem adeundæ Hispaniæ inter Vandalos & Gotthos grauis contentio insurgeret,Constantius cum Gotthis simulat amicitiam, seque cum eis sentire non obscurè significat, idque ob duas potissimùm causas:tum quòd Christiani essent & ipsi, tum quòd metuebat si eos offendisset, ne recenti successu victoriarum in Italia partarum inflati, & gloria rerum gestarum bullientes, iterum patriæ maiora mala accumularent. Nec eum iudicium fefellit vt ex sequente historia patebit.Itaque Constantius ex animi sententia negotio confecto Romam reuersus vtrunq; consecutus est, & ad gubernacula imperii admissus, & viduam Placidiam in vxorem duxit, ex qua tandem suscepit filium Valentinianum tertium. Vltimus hic fuit Imperator occidẽtis. Quanquam alii vltimum Augustulum esse volunt,quòd ita in fatis erat, vt imperium quod virtute primi Augusti ab initio partum esset, hoc idem in Augustulo eius nominis vltimo desineret.

Augustulus vltimus occidentalis Imperator.

De Theodorico Gotthorum rege.

Theodoricus rex Gotthicus, qui Pannoniam possidebat missus à Zenone in Italiam quam tenuit annos triginta,cùm adhuc adolescens esset fuit loco obsidis apud Martianum & Leonem. Ibi Romana disciplina institutus est, & postea ad paternum regnum remissus,soci⁹ Romani imperii fidelis fuit.Hic habuit tres filios,Walamir,Theodomir,& Widmir. Inter hos prim⁹ regnauit Walamir maximus natu,cumque Attilæ filios aliquot præliis superasset, ipse deinde in prelio,quod cum Sueuis fecit,in ea regione,que nunc est Austria,periit. Deinde regnauit Theodomir.Hic pater Theodorici huius,quem nominamus Veronensem fuit,& victores Sueuos & Alemanos è Pannonia depulit. Tertius frater Widemir duxit exercitum in Italiam,ibi mortuus est. Quia verò Theodoricus absente patre Sarmatas qui Gotthorum & Romanorum terras populati fuerant,repulerat,Zeno Imperator eum ad se vocat & facit eum

Walamir, Theodomir, Widmir.

cit eum patricium & consulem. Ac misit eum in Italiam contra O doacrum Rugianum. Potit⁹ Italia vi bem Romam senatui regen dam commendauit. Theodoricus habuit sororem vxoris suæ A melfredam, quam despondit regi Vandalorũ in Africa. Nondum enim ex vtrorumque animis necessitudinis priscę, & amicitiæ vin culum prorsus exoleuerat. Habuit & filiam Amaloshutam.

Odoacer Rugianus.

De nominibus Amelfreda et Amaloshuta.

Id nomen fuit familiæ Theodorici, quæ sic à vellere Iasonis dicta est. Gotthi enim olim ex Colchica in Europam progressi fuerãt. Amalosunthæ autem nominis etymon esse volunt quasi Amalorum schönheit. Hanc Theodoricus despondit Eutarico Widerici Hispanici regis filio, qui etiam ex familia Amalorum fuit. Sed recordandum est eorum quæ ex Iornande attulimus, quod illo seculo vsus obtinuerat apud Gotthos, nomina Germanorum sibi imponere.

THEODATVS regnauit duos annos post necatam Amalosun tham, auarus, insolens in rebus secundis, in aduersis timidus. Cùm bellum ei inferret Iustinianus propter Amalosunthæ necem, initio trepidus Italiam se ei traditurum promisit. Sed cùm in Illyrico dissipatus esset Iustiniani exercitus, elatus noua spe legatos Iustiniani retinet inclusos carceri.

VITIGES quartus rex Gotthorum regnauit annos quinque. Huius temporib. moles totius belli Gotthici Italiam attriuit, ad quam liberãdam cum Belisarius missus esset ab Imperatore, mul ta pertuerantia & maximis conatib. adnixus est reprimere Gotthorum potẽtiam, sed exercitus Vitigis cõstabat centum & quin quaginta millibus Gotthorum, robore & peritia rei militaris excellentium. Hi quodam tempore cùm vidissent Belisarii copias egressas ad spectanda hostium castra, contempta paucitate prælium cient, & quòd cognoscebatur equus Belisarii ex colore quod giluus esset, & albo capite, Gotthi non ineptè iudicantes, duce interfecto facilem victoriam fore, itaque se cohortantur, vt quàm primum conglobati impetu facto in vnum hunc irruerent: ac vbi emicando eis sese in conspectum obtulisset, sublato clamore hac voce Gotthica eum iam adesse insonant: Vala vala. Itaque omissis cęteris in Belisarium solum tela coniiciunt, ac eum acrius consectantur, lanceis ensibusque petunt, ita vt præseruidi animo iam cum comprehensuri erant, nisi armigerorum illius & satellitum opera, inprimisque veri Dei prouidentia liberatus fuisset.

Vala quid.

Narratio

Narratio de quodam casu in ea obsidione, qui ostendit lusum puerilem sæpe ominosum esse.

Dum hæc agerentur, bellumque acre indies inualesceret, res memoratu digna contigit. Samnites pueri nonnulli cùm pecº pastum educerent, per lusum, vt assolent, duos inter se deligunt corporis habitudine ac specie præstantiores, quorum alterum Belisarium vocitant, Vittigem alterum, & hos colluctari inuicem iubent. In ea colluctatione, qui Vittigis nomen fuerat sortitus, in terram victus prolabitur. Hunc statim puerilis illa & inconsideratior turba, illudendo simul & increpando, de proxima arbore suspendunt. Lupo deinde interueniente conspecto exterriti omnes fugam capessunt: qui verò suspensus pendebat, à cæteris destitutus interiit: Quibus de rebus certiores facti Samnites, pueros quidem missos fecere, sed ex his, quæ acciderant coniectando collegerunt, victorem omnino Belisarium fore. In hunc Vittigem adductum Constantipolim Iustinianus nihil asperè constituit, quia perfidia suorum captus erat. Ideo propter reuerentiam regii nominis fecit eum patricium.

TOTILA penultimus rex Gotthorumꝫ, regnauit annos 10. Res Gotthicas singulari virtute & fœlicitate rursus erexit, etsi tandem ipsius etiam fortuna conuersa est, sicut & Benedictus Abbas ei prædixerat inquiens: Multa mala facies, Romam ingredieris, 9. annis regnabis, decimo morieris. Ac flexisse eum Benedicti adhortatio dicitur, vt minº crudelis in victoriis fuerit. Initiò ad Placentiam vicit Romanum exercitum duplo maiorem suo, insigni stratagemate. Cum intellexisset Iustinianus Gotthos iterum superiores viribus in Italia, secundò misit Belisarium, sed neque accedere ad vrbem obsessam Belisarius potuit, nec exercitum parem habuit hostibus. Durauit illa obsessio Romæ biennium, simul & alibi multæ vrbes iam à Totila iam à Belisario alternante fortuna occupabantur. Placentiæ tanta fames inualuit, vt pater qui multos filios habebat, spectantibº multis sese de ponte in Tybrim præcipitem dederit videns filios petentes cibum se sequi. Maluerunt itaq; Romani Gotthos in vrbem intromittere quàm extrema incommoda pati. Gotthi ingressi vrbem passim obuios interficiunt, direptiones, incendia ædificiorum spectantur. Iubet & Totilas muros diruí, totamque vrbem deleri, sed Pelagius Pontifex cùmꝫ demissè intercederet, Totilas, cædes, & incendia prohibuit, subinde tamen Romanos conuiciis incessit, proditionem ipsis obiiciens in seipsos & patriã, & quod à Gotthorum maximis viribº discedendo ad Grœculos homines, qui ipsis præsidio esse neque-

D. Benedicti prædictio.

Fames in obsidioue grauissima.

Totilæ expeditio contra Romanos formidabilis.

ant, confugerint, cum antea ex Græcia neminem in Italiam viderit aduentantem, qui eis auxilio esset, præter Tragædos & Mimos & Nauticos quosdam prædones. Ad quam exprobationem nemo ex Romanis ausus est ei quicquam respondere. Etsi autem fuit Roma ab Alarico & Genserico Vandalo capta & direpta, tamen ita miserè destructa non fuit, sicuti in tertia hac expugnatione. De qua etiam Sybilla prædixit. Ῥώμη μεν ξύμη ἐσεται καὶ ἄλλοσ ἄλλοσ. Hæ pœnæ erant sæuitiæ Romanorum aduersus Christianos. Acciderunt hæc anno Romæ 1296. Anno Christi 546, iam post finitum regnum Vandalorum in Africa. Anno ab Augusto 504. Anno post destructionem Carthaginis 700. De hac vastatione etiam Scipio ille incendium Charthaginis aspiciens ac illacrymans dixisse scribitur: Se cogitare simile fore aliquando excidium Romæ: & augurium duodecim vulturum in ea desolatione completum fuisse quidam tradunt.

TEIAS vltimus rex Gotthorum à Narsete victus. Eunuchus is fuit in aula Iustiniani, tāta verò industria eius fuit, vt postea summus dux in Italia factus sit. In Campania vterq; exercitus conflixit, vbi magno prælio ad Nucenam victi sunt Gotthi, posthacque vires Gotthorum planè collapsæ sunt. Teias ipse prælians interfectus est. Reliquiæ præsidiorum quę Cumis erant, dimissæ quidem sunt, & vita concessa, ea tamen conditione adiecta, vt reliquiæ Gotthorum ex Italia discederent.

De reliquijs Gotthicæ gentis post Vittigis captiui abductionem.

Iornandes cùm descripsisset captiuitatem Vittigis regis Gotthorum, & quo pacto proditus à Belisario Constantinopolim perductus esset, tandem elegiam canens cum dolore intrinseco finem sermonis sui ita facit: Hucusque, inquit, Getarum origo, & Amalorum nobilitas, & virorum fortium facta, ac laudanda progenies laudabiliori principi hoc est Iustiniano Imperatori cessit. Narrat etiam reliquias Gotthorum in suas terras abiisse, agminaque illa vrsi signa in vexillo prætulisse. Idem narrat in quas regiones abierint gentes, dissipato exercitu. Mortuo Attyla, Gotthorum, inquit pars, Hunnorum terras in Pannonia occuparunt, Sarmatæ & Cemandri in Illyrico ad castrum Martenam sedes datas coluerunt: alios verò, quos iuniores Gotthos vocat, dicit cum suo Pontifice Valtzila Mœsiam petiuisse. Scyri quos Alamicam gentem facit, inferiorem Scythiam minorem & Mysiam petiuisse. In quib. locis & nunc ab iis qui Constantinopolim ire solent visuntur. Mie-

Scyri cum Gothis.

ſuntur. Miechouienſis etiam Polonutios reliquias Gotthorum facit, quos in illis partibus hucuſque ad ſuam ætatem permanere affirmat. Rugios verò etiam cum Gotthis rediiſſe dicit Scandinopolim vſque. Hæc vrbs forſan ab inſula Scandia dicta, ad oſtia Iſtulæ, vbi quoq; vetus eorum domicilium fuiſſe dicitur. Ideo Rigam in Liuonia vrbem à Rugiis iſtis quidam dictam eſſe putant. Gotthorum verò partem poſt cõmigrationem illam, nomen inſularib. populis in Suecia dediſſe non malè quidam opinãtur. Nam veteres inſulas libenter occupabant. Ac tantò magis credibile videtur, hos qui multum terris iactati & alto, multaq; perpeſsi, portum ſuorum malorum & quietem quærentes eò ceſsiſſe. Hæc hiſtoria de regibus Gotthorum ex Iornande allata eſt. Sed ſcriptor hic extremum actum & interitum regis Teiæ & cõmigrationem Gotthorum ex Italia non eſt complexus. Nam hiſtoria eius finitur in Vitige. Procopius vlteriùs progreſſus etiam Totilæ & Teiæ bella deſcribit, & iter quod arripuerat illud agmen Gotthorum, quod mille viris conſtabat, non prętermiſit deſcribere, ad eum modum inquiens: Dum hæc agerentur, mille numero è caſtris abeuntes, Ticinum ad vrbem locaque cætera huic circumiecta trans Padum fluuium agmine vno contendunt. Ex qua directione itineris credibilius eſt eos rediiſſe ad priſcas ſedes à ſeptemtrione Iſtulam verſus, vt ibi nouum regnum Lechi, de quo haud dubie audiuerant, ſuo aduentu ſtabilius redderent. Nam illa via per Padum vſitatior eſt arripientibus iter in Poloniam. Et neſcio ſi hîc alicubi non hæſerint, vbi eſt Chelmenſis prouincia, cùm hactenus hæc pars Poloniæ pro ſigno authentico inſigne vrſi præferat, quo & Gotthi illi vtebantur. Hoc eodem ſigno vrſi & Kiouienſes hactenus vtuntur, & forſan in vno comitatu tunc ſocii erant. De Hiſpanicis Gotthis, qui iamdudum antea poſt Vandalorum in Africam emigrationem in eorum ſedes ſucceſſerant, ſuis locis per occaſiones in ea hiſtoria mentionem faciem⁹. Florebat enim & durabat eorum regnum vſque ad Caroli Magni tempora, & vlteriùs, recitanturque ferè 30. Gotthicæ ſtirpis reges in hac ſerie.

Rugij cum Gothis abeunt.

Chelmenſe ſtagnum Vrſi.

Miramur autem ſcriptorem Italicum Carolum Sigonium virum eruditum, quòd cùm hiſtoriam ordine per reges Romanorum ab inclinatione Imperii Romani texere incœpiſſet, cur præteritis regibus Gotthorum noſtrorum qui in Italia plus quàm 70. annis, ordine regnarunt, primique iniuriam totius orbis vlti ſunt, cur inquam ab Albuino, & aliis Longobardis regibus inceperit hiſtoriam ſuam. Notum eſt autem primam inclinationem Romani imperii inceptam fuiſſe à Gotthis. Facilè fuit victos vincere

Lõgobardis. Adde quòd & hoc æuo noſtro qui in reges Romanorum creantur ex eadem gente Gotthica de qua dicimus originem ſuam deriuant. Ideoq; ſignum aurei velleris ꝑ ſymbolo quodam gerunt, ſignificantes ſe ab illis Gotthis lineam originis ſuæ ducere qui deſcendunt ab Amaleshutis, id eſt, raptorib. aurei velleris. Poſt expulſos enim Gotthos ex Italia, in Hiſpaniis cęteri longo poſt ſeculo vſque ad Caroli Magni tempora regnarunt, ad quos Hiſpani ac proinde & Auſtriaci originem ſuam referunt.

DE VANDALIS ET EORVM REPVBLICA.

REs à memoria hominum remotiſsimas commemoraturus ſententiam tantùm autorum aperiam, quam tamen præſtat ſequi quàm coniecturas & nouas opiniones fingere, præſertim cùm illi autores quorum teſtimoniis nitimur, in ea cauſa rationibus & maxima veriſimilitudine non deſtituantur.

Magnitudo gentis.

Gentes Vandalorum maximas fuiſſe non modo ſeries hiſtoriarum, ſed & numerus exercituum qui trecentorum millium fuiſſe narratur argumento eſſe poteſt. Vandalicę autem gentis conditorem Vandalum nepotem Noë affirmant fuiſſe. Commemorant & ex autore carminis Argonautici, quòd ſub tempus expeditionis Argonautarum, hoc eſt ante Dauidem temporibus Samſonis, Phineas vates Tirius floruerit inter Henetos, ad eoſque anni definitionem eiuſq; computandi rationem ex Tiro & Sidoniis, qui vicini erant Iudæorum, attulerit. Quod omnino veriſimile eſt. Quia & Græci ſcriptores affirmant ſub illud ipſum tempus, hoc eſt quando Cadm⁹ apud Phœnicas regnauit, ad Græcos fuiſſe characteres literarum ex Aſia tranſlatos. Adducunt & ex Homero, quod illi ipſi Heneti militabant in Troianorum bello, de qua re ſuperiùs lib. 1. à nobis luculentiùs eſt tractatum, nunc ſummam rei tãtùm proponimus. Addunt etiam & confirmant eadem autoritate antiquitatis, hoc eſt, Herodoti, Vergilii, Polibii, Iuſtini & aliorum, quod iidem ipſi populi poſt Troiam vaſtatam cum Antenore in Europam tranſiuerint, repleuerintq; littus Adriaticum in Illyrico, vnde & Henetum mare illud à quibuſdam vocatur. Et poſtea quoq; multos alios eiuſdem gentis homines ſubſecutos comitatoſque fuiſſe varios duces in Europam, variis cauſis eos impellentibus, Ex quibus memorant noſtri Chronologi Alanum ſecundum. De hac comigratione etiam & poſteriores autores meminerunt. Narrat Cornelius Tacitus inter Boryſthenem & Iſtrum gentes quaſdam vagas

Phineas Vates.

Herodotus & alij autores Henetos ex Aſia veniſſe affirmant.

Strabo lib. 7.

vagas oberrare,Henetos intelligens.Plini⁹ etiam lib.4.& 13. Vandalos Sarmatas vocat, & dicit eos ad Viſtulam cum Scyris & Hyris populis habitaſſe ſuo tempore.Et Dion ſcribit Albim fluuium oriri ex montibus Vandalicis.Polybius etiam ſcribit ſuo æuo totum littus Adriaticum Venetias vocatum fuiſſe.Scribũt etiam Antiochi Hieracis temporib. Galatas occupaſſe in Aſia patriam veterem Henetorum:Ptolomæus quoque libro 3. capite 5.iis verbis ſcribit:Habitant autem Sarmatarum maximæ gentes Venedę per totum Venedicum ſinum.Si igitur Vandali tum ibi habitarunt, etiam & Sorabi illi qui ſunt ad Lubecum,cùm vnam gentem ſtatim ab initio fuiſſe Vandalos cum Sorabis,mores, cognatio,& lingua eadem indicet.Adde iſtis Ptolomæi ſentẽtiam & picturas,& montes Vandalicos & mare Vandalicum & populos Vandalicos,quos ibidem ferè ponit, vbi & Plinius, vlteriùs verſus ſeptemtrionem ſedes eorum dilatans. Viſtulam etiam veteres appellaſſe Vandalum teſtantur, affirmantque à flumine Vandalo fuiſſe appellatos. Et rurſum flumen Vandalum à Regina Venda quæ ſe ad Cracouiam de ponte prȩcipitem dederat exoluẽdi voti cauſa, appellatum eſſe. Sed veriſimilius eſt flumen à populis Venedicis fuiſſe appellatum,& non modo flumen ipſum,ſed etiam illud mare & montes illius prouinciæ,eò quòd iſtic conſederant. Venetos verò dictos ab illis Henetis Aſiaticis qui huc commigrauerant, & ipſa cognatio appellationum & vocis ſimilitudo indicat. Exigua enim mutatione,vſuq; recepta litera h.pro v. Venetos ,p Henetis appellare cœperunt.Et tandem à vicinis Germanis paulatim ad ſonum linguæ Germanicæ voce,vt moris eſt, inflexa, pro Venetis vel Vandis, Vandali ſunt nuncupati, Wandeln enim Germanicè eſt peregrinari. Iſtę enim gentes ſæpius vagatæ nouas ſedes quærere ſolebant.Et certè res ipſa & veriſimilitudo indicat, vtrumq; vocabulum tam Gotthorum quàm Vandalorũ eſſe à Germanis ad eorum Grãmaticam deflexum. Nam Germanis ſicuti ex Getis Gotthos, ita ex Venetis Vandalos facere non eſt difficile,nec violentum. In appellatione tamen ſin⁹ Liuonii maris antiquum & incorruptum vocabulum permanſit. Non enim Vandalicum Dialectico Germanica ſed Venedicũ ſicut olim ita & nunc appellatur.Quod propter illos addendum putaui, qui differentiam quæritando inter Vinidas Venedosque, Vandalos hîc ad oſtia Iſtulæ ſtatuunt, Vinidas verò Mȩothidem verſus & pone montes Sarmaticos transferunt. Cum iuxta eorum ratiocinationem potius hîc Vinidas, vt vicinos Venedico mari & Vandalos iſtic Mȩothidem verſus pone re oportebat. Id verò faciunt propterea, vt ſe non diſſentire à ſen

A Getis Gotthi à Venedis Vandali ſunt, vtraque voce à Germanis detorta.

tentia Iornandis, quam ipſimet adducunt, ea ratione teſtentur. Ita enim inquiunt,& iſtis verbis ex cunctis vetuſtioribus autoribus epilogum de origine & progreſsionibus Vandalorum illorũ qui Romam & Romanas prouincias dilacerarunt elicere volunt: Facile,inquiunt,eſt deprehẽdere ex Iornande,Procopio & aliis ſcriptoribus quid de Vandalorum ſedibus ſentiendum, qui à Mæothide profecti verſus occidentem ſolem ad Viſtulam in extrema ora Germaniæ conſediſſe & Germanos & Francos vexaſſe dicuntur. Deinde verò ad meliores ſedes in Pannoniam indeque in Galliam,Hiſpaniam & deniq́ue Africam commigraſſe. Hæc illi de patria & origine & progreſsione Vandalorum tradiderunt. Et poſtea quaſi obliti ſui ſecumque pugnantes, tradunt Vandalos illos orbis debellatores Germanos fuiſſe, habitaſſeque ad ſinum Venedicum. Quæ ſi vera ſunt, quomodo à Mæothide ſuperius prodiiſſe eos aſtruunt? An verò Germani vnquam ad Mæothidem habitarunt? Aut qua de cauſa, cùm eſſent Germani,gentiles ſuos tam crudeliter perſecuti ſunt? aut cur ad Venedicum ſinum habitarunt, cùm Iſtulam limitem Germaniæ ipſimet faciant? Cùm igitur hæc ſententia pugnet cum conſenſu hiſtoricorum, & ſibi ipſi cõtraria ſit, quærẽda eſt nobis alia verior & ſolidior,quæ cum teſtimonio antiquitatis & traditione veterum, & circumſtantiis rerum conueniat,& quę non inuitè coaleſcere poſsit cum teſtimoniis claſsicorum autorum. Si igitur ex autoribus recitatis in vnum conferantur expendanturque ritè ſententiæ, colliget lector quatuor locos celebriores illo ſeculo à Venedis inhabitatos fuiſſe: ad Pontum & Mæothidem,ad Iſtulam ad eiuſque oſtia,& Venedicum ſinum,ad Albim, & ad Iſtrum quoque in Pannonia,vnde expeditionem illam pararunt in Hiſpanias. Et omnes iſtos Sarmatas fuiſſe, ex eademque ſtirpe originem ducere mihi nullum dubium remanet, niſi quòd illi Venedi & Vinidæ,priſca appellatione non vſq; adeò deprauata, iſti verò vt Germanis viciniores, Vandali à Germanis appellabantur. Quod autem tam magna ſpacia compleuerint, vt ferè eoſdem fines ſi non maiores,quàm Polonorũ prouinciæ ſunt, occuparint, nemini mirum eſſe debet. Ptolomæus enim eos deſcribens, Maximam gentem Venetorum fuiſſe vocat,nec fruſtra. Ideo enim à Græcis Spori, id eſt ſparſi vocantur. Nam ſicut illę inſulæ, quæ Sporades dicuntur, ab eo quòd hinc inde ſparſæ mare cõpleuerint, ita & huius gentis homines prouinciatim alii ad orientem alii ad occidentem hinc inde habitarunt. Ideo Procopius à Mæothide prodiiſſe eos,Iornandes ponè montes Sarmaticos habitaſſe, Dion ad Vandalicos montes in Hermunduris cõſediſſe

Ptolo. lib. 3.

memoriæ

memoriæ prodiderunt. Ptolomæus verò vsque ad sinus Venedici oras eorum, fines protendit. Sed nescio sane vndenam, hæc illi acceperint, qui scriptis prodiderunt, quòd Gotthi irati ob stipendia á Theodosio non soluta, relicta Thracia Pãnoniam inuaserint, eamque Vandalorum manib. eripuerint, cùm à Constantino Magno donatam, hactenus possederint. Scio quæ ex Iornande adferuntur de Rege Gebericho Gottho, quòd Vandalos profligarit, cùm ad paucitatem redacti, à Constantino Magno in Pannonia nouas sedes impetrassent, vnde postea in Hispaniam & Africam concesserint. Sed ista dum mecum reuoluo, incidi in illam historiam apud Eusebium de Sarmatis, quomodo temporibus eiusdem Constantini lacessiti bello à Scythis seruos suos contra eos armarint, & tandem serui victoria potiti contra dominos suos arma sustulerint, ac sedibus propriis pepulerint, qui tandem necessitate compulsi ad Constantinum Christianum Imperatorem confugerunt: quos, inquit, tanquam saluandi gnarus omnes in Romanorum terram suscepit, & ex illis sibi idoneos milites collegit, &c. Et mox: alios ad colendum agros diuisit, ita vt calamitatem à seruis acceptam benè sibi cessisse confiterentur. De hoc inquam genere Sarmatarum mihi cogitanti, quinam fuerint, & per quam occasionem in gratiã Imperatoris se insinuarint, res verissima apparuit eos Vandalos intelligendos esse, ad quos postea & Gotthi ex Thracia tanquam ad suos populares accesserunt, quiq; sicuti olim ad Pontum, ita & nunc cum iisdem littora Istri in Pannonia inhabitarant. Tandemq; cunctis viribus suis recollectis, & ex vniuersa Sarmatia corrogatis auxiliis, & adiunctis Sueuorum vicinorum aliorumque Germanorum copiis, ex quorum re erat communem causam communibus auxiliis excutiendæ seruitutis gratia, cõtra Romanorum potentiam tutari, ex Pannonia soluentes anchoram bipartito agmine prouincias hostiles aggressi sunt: Gotthi, inquam in Italiam abierunt, Vandali verò in Gallias, Hispanias, & vsque in Africam peruaserunt, rursusque ex Africa Romam petiuerunt, cuius historiæ summam hîc quoque methodicè absq; longis ambagibus enarrare statui, sicuti de Gotthis quoque paulò superiùs feci.

Conciliatio autorum.

Sarmatæ Caragnini dicti à Constantino excepti.

DE VANDALIS METHODICA TRACTATIO.

De origine Vandalorum et cognominis ratione, caput I.

Alii Vandalos à rege Tuisconum Vandalo deriuant, quem dicunt vixisse Altadis tempore, regis Babyloniorum, longè ante natalem domini, & isti hoc consilio id faciunt, vt progenitores nostrarum gentium

gentium in arbore consanguinitatis Germaniæ ponant, sic ut nos quibusdam conditionib⁹ & parentelæ ratione iuris sui faciant. Alii verò vt Orosius, à Gallis Venetos huc venisse affirmant. Sed verior est & solidioribus nititur fundamentis Virgilii sententia, qui vult dicere post bellum Troianum Antenorem cum Henetis profugisse, Achiuos per Illyricos sinus, vt supra meminimus, in qua sententia est & Plinius, & autorem eius rei grauissimum citat Catonem: Venetos inquit ille, à Troiana stirpe ortos autor est Cato: verba Catonis sic se habent: Venetia est omnis ora circum sinum maris post Histriam vsque ostia Padi. Et mox: Venetis cunctis prima origo Phaëtontea est, quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaëtonte & Eridano præbuit. Posteriùs mixta his nobilis stirps Troiana à quibus Patauia suo conditore inclyta. Vixit autem Phaëton Iacobi & Esau temporibus 2102. annis ab orbe condito. Post quem Vandalus apud Tuiscones 160. annis regnasse dicitur. Omnia hęc sunt antiquissima situ & puluere obsita. Meritò igitur dixi sententiam illam nobis sequendam esse, quæ nobilissimorũ autorum nititur fundamento, videlicet Catonis, Virgilii, Strabonis, Iustinii, Plinii & Sempronii, qui dicit, Venetias primò Phaëtõtei postea Troiani eisdẽ mixti coluerunt. Fieri autem potest vt post illam cladem Heneti duces & alii veluti ex communi incendio sese eripientes in eas oras deuenerint, sicuti nostri historici Alanum secundum ex Asia stipatum cohortibus venisse in eas oras tradunt. Apertè autem Ptolomæus sic dicit: Tenent Sarmatiam Maximæ gentes Venedæ, per totum Venedicum sinum. Huius rei nobis fidem facit etiamnum appellatio sinus Venedici maris ad Prussiam & vlteriùs. Iornandes verò Vandalorum sedes describens dicit per vniuersam regionem, vbi nunc colonia eorum est, sparsos fuisse. Ita enim Vandaliæ limites describit: Vandali inquit ab oriente habent Gotthos, ab occidente Marcomanos, à septemtrione Hermunduros, à meridie Istrum. Et alio in loco: Ad Vistulam flumen Vinidarum natio populosa consedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclauini & Antes nominantur. Ne autem aliquis in nominib. Vandalorum, Vinidarũ, Venedorum ludat, Procopius nobis suo testimonio luculento omnẽ scrupulum eximet, Gotthicæ inquit gentes multæ quidem, & aliæ prius fuere quàm nunc, omnium autem maximæ ac potissimæ Gotthi & Vandali & Visogotthi, & Gepides, iam dudum & Sarmatę & Melanchleni appellati. Sunt & qui Geticas gentes has vocent, quę omnes nominibus quidem inter se differunt, cętera conueniunt. Nam & albi sunt omnes corpore,

Tres sententiæ de origine Venedorum.

Cato, Plinius, & Virgilius de gente Venda.

Lib. 3. Cosmo.

„ „ „ „

Plinius lib. 4. cap. 13.

omnes corpore, flaui coma, proceri quoque, & aspectu probo, legibus item eisdem vtuntur, similiter & Arrianæ omnes fidei &c. Plinius etiam Vandalos Sarmatas expressè vocat: quidam, inquit, hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris & Hyris tradunt &c. Ideo Vandali fortiter lege Symmachiæ cum Quadis contra Antonium Imperatorem in illa pugna dimicarunt, quę accidit centum & aliquot annis post Christumnatum. Quod si autem alicubi, remotè sub arctoa regione habitassent Sarmatæ, non video causam, quæ eos ad pugnam tam asperam impulisset cum Romanis.

De nominibus Vinidarum, Venedorum, et Vandalorum, et stationibus eorum, caput secundum.

Illa subtilis distinctio, in qua rima quæritur, vt elabantur contrarium sentientes, iam superiùs est à nobis discussa. Autores Græci & Latini diuersis vocalibus istarum gentium nomina exprimunt, consonantes tamen easdem retinent. Iornandes dicit Vesogothos, Procopius Visogotthos. Quos Græci Getas vocant, Germani Gotthos, Plinius Gutones, Ptolomæus Gitones, alii Gutas: sicuti nunc alii Polakos, alii Polonos, alii Lechitas nostram gentem vocant. Sic & illo tempore alii Venetos, alii Vinidas nostram gentem vocarunt, Germani verò Vandalos. Quos Vendilos Procopius vocat, hos Iornandes Vandalos. Certum est tam Procopium quàm Iornandem de vna gente loqui. Nam eandem historiam texens illorum bellatorum Vandalorum, sedem eandem eis tribuit. Et quos à Męothide progressos Procopius dicit, eosdem & Iornandes ad fontes Istulæ ponit. Puerile enim est cogitare in tanto exercitu trecentorum millium, tantùm Cracouiense territorium fuisse & Sedomirienſe. Hauddubiè ibi etiam à Męothide & ab occidentali mari populi erant, vt de Alanis expressè annotatur, qui eis commilitarunt.

De progressionibus et stationibus Vandalorum ac exercitus conscriptione, caput tertium.

Sicuti Vandali cum Quadis, Gotthis, lege Symmachiæ steterunt multoties in acie, contra communes hostes: ita in illa maxima expeditione Vandalorum in regiones meridionales, hauddubiè etiam eędem nationes eos non deseruerunt. Et forsan hîc conscribebatur exercitus ad Istulam, qui fuit transmissus ad illos qui iam Pannoniam antea per centum annos possederant. Prima igitur statio eorum fuit, hîc in Polonia, quò populi à Męothide & mari Bal

tico accurrebant, alii ſpontè, alii fame pulſi, vt Procopius de Vindilis à Mæothide procedentibus tradidit. Affirmat autem Alanos in vicinia Vandalorum habitaſſe. Secunda ſtatio fuit in Pannonia, vnde ſoluentes in illas regiones contenderunt. Iam autem ad Rhenum, illi Vandali quos & Burgiones Ptolomæus vocat, confederant antea, forſan vt veluti anteambulones ſedem belli iſtic eis in tempore præpararent. Tertia ſtatio eorum fuit in Hiſpania, vnde per fretum Gaditanum cum lectiſsimis traiecerunt. Quarta Charthagini in Africa, vbi regna opulentiſsima nacti nonnihil quieuerant, de qua re inferiùs. De illis autem qui ad Albim ſunt, Vandalis, inquam, & Sorabis & Vuiltzis aliud eſt iudicium, illos enim ego cum Borobiſta rege Gotthorum proceſsiſe puto circa annum ab orbe condito 3870. quando contra hunc regem Gotthorum tres reges Germanici coadunatis copiis conſpirarant, videlicet Caſſander, Sicamber, Arathi⁹ Saxo Doringiorum Hamer. Quanquam & ante aliquoties in mediam Germaniam progreſſos fuiſſe Gotthos ante Iulii tempora oſtendi. Et quia Vandali Gotthi, Sarmatis Symmachiæ nexu ſemper deuincti erant, credibile eſt eos illo tempore in illis regionibus hæſiſſe. Et niſi hoc concedatur non video quo pacto Dionis locus ille ſaluari poſsit, cum dicit Albim oriri ex Vandalicis montibus. Dion autem vixit Seueri tempore ante annos 1383. Sed de his ſuperiùs iam dictum eſt & forſan per occaſionem adhuc dicetur.

Vandali ad Albim.

De lingua Vandalorum caput quartum.

Vergilius decimo Aeneid. de ſuis Mantuanis ſic canit:

Mantua diues agri, ſed non genus omnibus vnum,
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni
Ipſa caput populis, vires de ſanguine Thuſco.

Quod inquam Vergilius de ſua patria dixit, hoc & mihi explicanti originem gentis Polonæ dicere licet. Nam ſicuti illi triplices populi in quarto, videlicet Mantuanorũ conſummantur, ita hîc Vandali Gotthi & Quadi in Sarmatarum tanquam protopatorum nomine coaugmentantur. Quod Procopius ferè totidem verbis explicans ſic inquit: Gotthicæ gentes multæ quidem, & aliæ plures fuere quàm nunc. Omnium autem maximæ Gotthi, Vandali, & Viſogotthi Gepideſq;, iamdudum & Sarmatæ & Melanchlæni dicti. Quare hæc carmina Vergilii poſsent ad eos eo modo detorqueri & accommodari.

Lechiua diues agri, ſed non genus omnibus vnum,
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni
Ipſa (id eſt Sarmatia) caput populis, vires de ſanguine Vandlo.

De Vandalorum conſuetudinibus in bellis ducendis.

Vſitatum

Vsitatum fuit Vandalis omnem spem victoriæ in campestri pugna locare. Ideo vrbibus non delectabantur, exceptis fortioribus aliquot locis, reliquas munitiones diruebant. Hunc quasi ingenitũ morem à maioribus Vandalis, hodie quoque Poloni in vsu habent, eumque speciosis verbis iactant. Quod institutum an laudandum sit, Vandalorum ipsorum exemplo cum essent in Africa patebit. Quam historiam malo Procopii verbis explicare: Gizerichus, inquit, post hæc ad Africæ statum conuersus, ciuitates omnes præter Charthaginem mœnibus nudauit, vt neque ipsi Afri Romanorum agentes prædas, haberent quò se reciperent, neque Romani si ab Imperatore in Africam mitterentur, discedentes, munitas præsidiis relinquerent, negotium præterea Vãdalis facerent. Quod quanquam benè ab initio succedere videretur, tempore tamen procedente Belisarius loca sic discincta & immunita paruo negotio cœpit: ex quo Gizerichus ridiculus est visus, qui quod optimum ei videbatur consilium, in stulticiam daminumq; versum vidit. Sicuti autem in curulibus castris eorumque munitione Poloni nunc multum præsidii collocant: ita etiam olim. Nam quatuor menses Belisarius in castris abditos oppugnauit. Vsque adeo ars castrorum metandorum antiquitus in ea gente floruit.

Quæstio. An vrbes multas munitas habere sit vtile?

Refutatio eorum quæ contra hanc sententiam adferri possent, caput sextum.

Sed quia de cognominum Vandalicorum vocibus iecta est mentio, non alienum fuerit à re, si eorum rationem paulò plenius examinemus. Non enim desunt, qui probare conantur Vandalos illos Germanos fuisse origine, ex eo quòd duces & principes ipsorum nominibus Germanicis appellabantur. Quod genus ratiocinii an in se aliquam vim & efficaciam habeat diligendum venit. Inprimis autem negatur, illa nomina Vandalicorum ducum fuisse Germanica. Nam Genserici nomen prorsus idem est, quod Poloni vocant Gasiorek, vt iam dictum est, quanquam in huius appellatione variant. Nam alii Honorichum, alii Honorificum, secundum Procopium, vocãt. Ideo vel ex hoc exemplo patet, in ea causa syllabis cognominum non esse vsque adeò fidendum, Trasimundi nomen magis Græcum est, audaciã insignem in duce designans. Thrasos enim audaciam significat. Sed largiamur reperiri inter eos quædam nomina Germanica, non tamen statim obtinebunt, quod volunt. Nomina enim Principibus viris ex occasionib. nouis imponi nemini dubium est: vel ab euentibus, vel quia sic cognatis arridet, vel vicinis sese accommodando, vel quia apud com

Nomina Vandalorum.

militones ſuos hac re captant beneuolentiam. Sic nomen Theodati Imperatoris orientalis compoſitum eſt ex Græco & Latino, vt ea ratione exercitui qui potiſsimùm ex Gręcis & Romanis conſtabat commendabilior redderetur. Inter nomina regum Polonię varii generis nomina reperiuntur. Inuenias Italica, Gracchus Popilius ſeu Popiolus. Plurima Germanica, vt Henrichꝰ, Lodouicus, Conradus &c. Euocantur etiam interdum extranei reges, qui ſecum & peregrina nomina inuehere ſolent. Sed ex Iornande hunc nodum dilucidè ſoluere placet, dicit enim hoc pacto: Nec quis dicat, hoc nomen à lingua Gotthica omnino peregrinum eſſe. Nemo eſt qui neſciat vſu plerumque nomina gentes amplecti, vt Romani Macedonum, Græci Romanorum, Sarmatæ Germanorum, Gotthi plerunq; Hunnorum. Ficulneum itaque argumentum eſt eorum, qui Vandalos Germanos ideo facere volunt, quòd pleraq; Germanorum cognomina inter eos reperiãtur, cùm hîc expreſsè dicat Iornandes tantum ſtudium inter vtramque gentem, Germanos nimirum & Sarmatas fuiſſe, vt etiam Sarmatæ nomina Germanorum paſsim aſsumerent. Et ob hanc neceſsitudinem puto pleroſque ſcriptores lapſos eſſe, quòd Vandalos Germanis connumerandos duxerunt, vt Plinius & Cornelius Tacitus. Plinius quidem Vandalos inter Germanos ponere quodam in loco videtur. Cornelius autem Tacitus coætaneus eius dubitat, inter Germanos ne an Sarmatas eos reponere debeat. Autor autem Cario Plinii ſententiam quæ fuerit explicans affirmat eum non de Vandalis loqui, qui ad Vandalum ſiue Iſtulam habitabant, ſed de illis qui ad Albim & Vandalicos montes ſedes habuerunt. Nam quia altercatio vetus fuit inter iſtas gentes de finibus, Sauromatis Vandalicos montes & Albim tanquam limitem ſuum defendentibus, Germanis contra reſiſtentibus, itaq; poſſeſſoribus inter ſe diſcordibꝰ, neceſſe eſt ſcriptores quoque diſcordes dubioſque fieri. Negari ſane non poteſt veteres ſcriptores dum ſeptemtrionales prouincias deſcribere volunt, ſubinde errare. Nam idem Plinius Germanos inter Scythas connumerat. Iulius Cæſar in commentariis flumen in Germania Scaldam in Moſam dicit influere. Strabo Lupiam & Viſurgim in Amaſim deferri refert, ſicut Pomponius Mela in Iſtrum Iſtulã influere affirmat. Ptolomæus ipſe de ortu Boryſthenis hallucinatur. Quin & de Iſtula ſecum diſſentit. Nam in tabula Germaniæ ortum eius propè Danubium ponit. Itaque cenſeo non admodum eſſe fidendum paſsim in omnibus rebus ſcriptoribus antiquis. Et multi inter illos mentione facta vltramontanarum regionum Germanos tantùm velut vicinos & ſibi magis notos intel-

Sarmatæ peregrina nomina ſibi imponebãt

Errores coſmographiæ Latinorum.

notos intelligunt cæteros ignorant. Quin & nunc multos reperias inter Gallos, Italos, qui Polonos Germanos esse credunt. Imò in conciliis superioris ætatis Constantiensi inquam & Basiliensi, quoties autoritate quatuor nationum, videlicet Italicæ, Græcæ, Germanicæ, Polonicæ, patres illi aliquid decernere volunt, ferè semper Polonos cum Germanis coniungunt, & amborum suffragium pro vno reputant. Quare & illa Methodii epistola, in qua se Vandali Germanos profitentur vel ficta est, vt alia pleraque eius generis, vel de Vandalis, in quorum exercitu Germani complures militare consueuerant, intelligenda. Nam sicuti nunc Poloni rarò militiam exercent absque Germanis, ita & olim, præsertim cùm communem causam tutabantur contra Romanos: vel per tropum catachriseos, ratione vicinię, vt supra demonstratum est, exponenda. Hæc de autoritate Methodii & Papæ Gregorii. Sed quia rem cominus agunt, nobis quoque argumenta contra eos expedire liceat. Ptolomæus autem Venedos inter Sarmaticas gentes ponit, & in tabulis pingit, nec ad lacum Mysianum diuersos esse ab istis. At occidentaliores Venedos insigniores fuisse celebrioresque orientalibus credibile est, & ideo inde exordium illius expeditionis magnæ factum fuisse testantur scriptores, quòd ibi regiam forsan habere consueuerant, & comitia sua celebrare. Nam rebus florentibus in Græcia, ipsi etiam conferebant se ad Ponti ripas: rursus occidentem versus translato imperio ipsi quoque libentiùs ad confluenta Istulæ commorabantur. Imò successu temporis & regiam huc transtulerunt. Adde quod Iornandes sæpius Slauos, Antas, Venedos, ex vna stirpe Venetorum prodiisse, triaque nomina edidisse fatetur. Ergo non ex Germanis. Nec illa distinctione proficient, qua alios Venetos & Vinidas faciunt à Vandalis, cùm hos Germanos fuisse, illos verò Sarmatas fateantur. Nam si se ita res habet, tum declinando vnam plagam, alteram grauiorem accipient. Nimirum illos qui duce Genserico admirãda gesserunt, Germanos non fuisse, siquidem Vandalos in Germania collocant vltra Istulam: qui verò Romam vastarunt à Mæothide prodierunt, & Vinidę Venetique appellabantur non Vandali, & inde prodiisse dicuntur. Hæc apertè fatentur scriptores. Hic est finis litis, dum alterum extorquere voluerunt, vtrumque amiserunt. Commonstratum autem est à nobis, melius ea de re Crancium & Ireneum, qui Vinidas, Venetos, Vandas Vandalos vnam gentem fuisse docent, ac licet syllabarum accessionibus & detractionibus voces istæ differant, re tamen ipsa eas minimè differre tradunt, quod Iornandis autoritate comprobari potest. Vinidarum, inquit, natio

Methodij epistola.

Cur Sarmatæ Germanis admiscentur sæpe

Autores qui no biscũ sentiunt.

populosa consedit, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slaui & Antes nominātur. Ego existimo eum de hac mutatione & deriuatione nominis loqui, quòd ab aliis Vandali Vindæ & Veneti tum vocabantur. Sic & nunc à Germanis hę gentes partim Vindæ, partim Venden & Vinden vocantur. Nec modò istos qui ad Albim manent, ita vocant, sed etiam Illyricos incolas, vt Melius in Ptolomæum annotat. Quod propter eos addo, qui quasi obliti sui, fatentur quidem Slauos illos ad Albim à Germanis Vindas dici, sed excipiunt non esse hæreditarium nomen, sed priscarum gentium Germanicarum, quarum sedes post Gregorium Magnum occuparint: idque vsitato more aliis quoq; gentibus, sicuti Czechi Boëmos se quoq; appellari volunt, quòd Boiorum sedes occuparunt. Fuerit autem ita vt ipsi volunt. At si non stirpis sed nationis nomen esse volunt, qua de causa ergo Slauos Illyrios, totamque illam oram Germani Vindas vocant, si illius regionis Germanicæ in Lusatia tantùm nomen est, & non stirpis totius, quæ vsque ad Venetos refertur? Mihi sanè vsus cognominandi has gentes Vindas ad Germanos demanasse videtur ab illa consuetudine peruetustissimi illius seculi, quando Polybius vixit, qui fatetur omnes illos populos ad mare Adriaticum suo quo Venetos fuisse appellatos. Adde quòd Germani non modò populos, sed linguam quoque nostram Vandalicam vocant. Quod si ita est, non ergo eo respectu Vindas suos vocant Vandalos, quod Vandalorum sedes occuparunt, & in eorum sedes successerint: Sed quòd prognati ex Vandalis Vandali, ipsa lingua patria & hæreditaria, Vandalica nimirum vtantur. Nec temerè puto obrepsisse illam consuetudinem Chronologis Polonis peruetustis, adeoque toti generi, vt se Poloni ipsimet Vandalos ess se glorientur, cùm ea res etiam ad sacra & templa ex traditione peruetusta peruaserit. Citat enim & allegat ad eam rem cōfirmandam non ineptè Miechouiensis peruetustam formulam orationis publicæ quæ antiquitùs in templis huius regni in festo Alberti à sacerdote cantari solebat ad hunc modum: Benedic dominum regem cunctorum conuersa gens Vandalorum. Quod cùm ita sit, mirum non est Polonos in defendendis antiquitatibus & prerogatiuis gentis suæ pertinaces esse, vt potè quæ non modò ex scriptis patrum accepta, sed etiam per manus tradita sunt. Malè igitur illi, qui ista in dubium vocant contra tot historicorum autoritates, non modò Græcorum, Latinorum, sed ipsorum Germanorum etiam, ac denique ipsarum ecclesiarum ac templorum authentica testimonia, quæ instar oraculorum habenda erant.

Vinden appellant Germani non modò istos ad Albim, sed etiam Illyrios.

Autoritas ex ecclesiasticis monumentis.

Decem nouem

Decem et nouem argumenta confirmantia de Vandalis veterem traditionem et auitam sententiam.

Ea quæ prolixius narrantur, non ita à rudibus mente concipi possunt, ideo breuiter & distincte rem vniuersam comprehendemus. Refutauimus argumenta impugnantia traditionem patrum de origine Polonorum à Vandalis, nunc rursus argumenta, quæ pro affirmatiua propositione faciunt recitabimus.

PRIMVM argumentum sit ab authoritate scriptorum, quos in tres classes diuidemus: vetustiores primò, deinde recentiores, qui autem in media ætate floruerunt, in medio etiam collocabimus. Ex vetustioribus qui dilucidè de istis rebus scripserunt, est Ptolomæus qui dicit: Tenent autem Sarmatiam maximæ gentes Venedæ &c. Plinius verò: Quidam verò hæc habitari ad Vistulam fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris-Hyris tradunt. Ablauius historicus antiquus Gotthorum, ex quo Iornandes suam hausit historiam, dicit Gotthos in Vandalos impetum fecisse, eorumque sedes ad Vistulam occupasse. Mediæ ætatis scriptores sunt Iornandes & Procopius, cuius autoritates pagina superiore iam produximus, nec opus est iterum eadem repetere. Tertiæ ætatis recentiores autores sunt præcipuarum nationum, Italiæ, Hispaniæ, Germanorum, Boëmorum & Polonorum. Italus Anius Viterbiensis non ignauus antiquitatū indagator, multoties fatetur Vandalos esse Polonos. Sic & historia Hispanica cuius testimonium Miechouiensis citat in ipsa præfatione. Ex Germanis plurimum Carioni tribuo. Is multoties hoc idem fatetur, sed ex commentario in Cornelium Tacitum, verba eius producam: Equidem suum cuique iudicium permitto, inquit: sed tamen Ptolomæi descriptione moueor, & ipsa appellationis vetustate, vt Vandalos gentem Sarmaticā esse existimem, quos vocamus Venden. Et Funcius: Vandalorum gens quæ lingua Sclauonica vtitur, nominata est die Wenden, è quibus nunc multæ & maximæ gentes diuisæ sunt, Boëmi, Poloni, Sclauoni, Croatii &c. Et Melius enarrans Ptolomæi scripta, fatetur Germanos in vniuersum vocare gentes Slauonicas, die Wenden.

Ablauius autor historicæ Gotthicæ.

SECVNDVM argumentum ducitur à nomenclaturis vetustis montium, fluminum, vrbium, gentium, quod fortius argumentum esse volunt quàm authoritates historicorum. Montium item nomina huius postremæ ætatis, quæ in Ptolomæo reperiuntur: mimirum Carpatus, Biesczady, Vandalici montes &c. Vavvla, Lasotinum. Rckavvka, Nogavvka. Horum posteriora in Ptolomæo non reperi-

non reperiuntur, sed antiquissima esse liquet. Tertiò fluminum, vt Vistula, quam alii vocant, Vandalum, Vartam. Gutalum Chalusam: Affirmant autem scriptores, fluminum nomina omnium maximè durabilia esse & retinere primęuam appellationem vetustatis. Quartò oppidorum & gentium, puta Calis, Sobocii, Carodunum, Gutones vbi est Gedanum, Variorum vbi Varca, Varssauia, Sidonum vbi Szidlovv, Ducleotæ vbi Ducla, Starogardia siue Starigrod. Credibile igitur est veteres incolas harum regionũ fuisse nostræ gentis, & nostræ stirpis, quandoquidem nostra ætas & gens hactenus vocabula ista retinent. Et prorsus naturam Polonici sermonis sapiunt.

TERTIVM argumentum à proprio linguæ nostræ vsu. Contrà cognomina locorum nobiliorum nihil Germanicum redolent, nec syllabæ illæ veluti sunt, Rad, Hart, Bring, Mund, Old, Win, Rich. Ergo Germanos hîc hæredes fuisse olim non est credibile. Extarent etiam vestigia hîc politiæ, œconomię & morum Germanicorum, sed nihil tale reperies.

QVARTVM argumentum. Si Roxolanici populi nationes in Illyrico, Boëmiam & Poloniam, Russiam, & alias inundassent, vnde tot & tanti inhabitatores venissent, & quis locus antea eos capere potuisset? Hunnorum erant aliquot centena millia, & tamen vix Pannoniam replere potuerunt: qui verò tanta latifundia implerent, vnde quæso prodiissent?

QVINTVM argumentum. Non agant coniecturis, sed ostendant apertè ex historicis, quando post tempora Vãdalorum, Gothorum, terras Polonorum Roxolani occuparint. Si hoc præstare non possunt, ergo figmenta sunt & imaginattones quæ narrant.

SEXTVM argumentum. Ab impossibili ducitur argumentum, quo probatur nequaquam Germanos fuisse cunctos illos populos qui ante mille annos processerunt in perniciem Romanorum. Nam si Vandalorum exercitus constabant trecentis millibus, Gotthorum similiter, Longobardorum, Sueuorum non paucioribus, item Francorum in Galliis: cùm Odoacer etiam Rugianus magnas copias habuerit, quas in Italiam duxit, quomodo credibile est ex vna natione eodem tempore potuisse educi tot & tantos exercitus, tantamq; vim populorum. Nunc Germania est magis habitata, & magis dilatata, & tamen centum millium exercitum Carolus Quintus vix potuit ex ea conficere, quando ad Vienam duxit exercitum contra Turcos ante quadraginta annos.

SEPTIMVM argumentum. Cùm historici res Germanorum & Vandalorum referunt, cur eos sibi inuicem opponunt diametraliter: Vandali,

liter: Vandali, inquiũt sic, & Germani sic: Fecerunt hoc Germani, fecerunt hoc Vandali: si non sunt diuersæ gentes. Et cur Vandali in Germanos & rursus Germani in Vãdalos tam inexplebili odio ferebantur, vt alii alios occiderent cùm possent, terras etiam alii aliis eriperent, & iuris sui facerent? Quod nequaquam tam infestis animis nec ita durabili odio feciissent, si vtrique stirpis Germanicæ essent.

OCTAVVM argumentum. Si Vandali Germani erant, cur extra limites Germaniæ manebant, hoc est alii ad Mæothidem vicini Alanis, alii ad Venedicum sinum in Sarmatia vt Ptolomæus inquit. Nam scriptores illos populos qui montes Italicos transcenderant, apertè dicunt fame pulsos à Męothide discesisse.

NONVM argumentum. Si Vandali Germani erant, cur diuersa vtebantur lingua, Sarmatica nimirum, quam & Gotthicam Procopius vocauit, non Germanica sicuti Procopius ab initio libri de Vandis apertè testatur. Sed & Ouidius vnam linguam intelligens, dicit se didicisse Geticè Sarmaticèque loqui.

DECIMVM argumentum. Cornelius dubitat an Venetos Germanis adnumerare debeat, tamen eos discernit politia, moribus, & vestitu, & inde probat gentem aliam fuisse Germanos à Sarmatis, hoc est Vandalis. Nam Sarmatæ inquit, sub plebeia libertate viuebant, Germani sub arctiore disciplina. Sarmatis & Vandalis coniugia mixta erant, Germanis non. Sarmatæ laxa veste vtebantur, Germani sago & veste stricta, & singulos artus exprimente. Quem morem etiam nunc Germani seruant, nec ex eo quicquam remiserunt.

VNDECIMVM argumentum. Vandali ex Paphlagonia in eas regiones peruenerunt. Germanos autem Cornelius Tacitus indigenas ac propemodum autochtonas fingit, minimèq; aliarum gentium aduenas, & hospiciis mixtos, quæ in Vandalos cadere non possunt.

DVODECIMVM argumentum. Cæsar cùm Germaniam describit nullam Vandalorum facit mentionem, quòd nequaquam ommissurus erat, si Vandali ad Germaniam pertinuissent.

DECIMVM TERTIVM argumentum. Si Vandalia est Germania, vbi quæso erit Sarmatia meridionalis? vbi Slauonia? Siquidem regiones montium Sarmaticorum Vandalis adscribit Iornandes.

DECIMVM QVARTVM. Consensus Chronicorum Boëmicorum, Polonicorum, Rusicorum veterum & recentium non est contemnendus. Nam pro depositio quodam veluti per manus tra-

dito hæc narratio in gentib. istis durauit & permansit ad hunc vsque diem, nimirum quòd Vandali sint Poloni. Si autem Germani hîc ante Constantinum Magnum habitarunt, cur montes isti supra Cracouiam non sunt dicti montes Germanici? Vocantur autem ab omnibus scriptoribus Sarmatici montes.

DECIMVM QVINTVM argumentum. Annotamenta quæ in ecclesiis hac de re reperiũtur sunt magnifacienda, præsertim cùm etiam in publicis precibus hæc res exprimatur. Memini autem superiùs testimonium ecclesiasticum, & precatiunculam publicam adieci, quę sic se habet: Benedic regem cunctorum conuersa gens Vandalorum.

DECIMVMSEXTVM argumentum. Germanorum cognomen temporibus Cæsarum primum natum fuit attestante Strabone lib. 7. & Cornelio Tacito de Germania. Sarmatarum autem nomen & Venedorum longè antiquius est. Et si Germani Celtæ vocabantur, certè Vandali Sarmatæ Celtæ non erant.

DECIMVMSEPTIMVM argumentum. Affirmant quidam Roxolanos Vandalorum vacuas sedes occupasse dum Vandali in Hispaniis bella gererent. At Prosper historic⁹ affirmat post discessionem Vandalorum Longobardos nihilominus hîc vbi est Polonia dimicasse cum Vandalis. Non igitur ita populariter inde emigrarunt Vandali, vt multi ex eis hîc non remanerent.

DECIMVMOCTAVVM argumentum. Adhęc experiẽtia comprobat, vbicunq; aliquando vi aut consiliis in potestatem redactę sunt aliquæ gentes à monarchis, ibi duas linguas in vsu esse, alteram penes consulares & militares viros, alteram inter plebeios & agricolas, vt in Dania, Russia, Prussia, Italia, Græcia, & etiam in Vngaria: veteres enim coloni patria lingua in villis vtuntur: in aulis verò & prætoriis exotica lingua, quam secum fortior pars attulit, publica tractantur negotia. Huius rei ne vestigium quidem in Polonia apparet. Sed omnes ad vnguem vna lingua patria vtuntur tam in aula & prætoriis, quàm in templis. Quod ita strictè seruatur vt ne quidem in mõtibus, fluuiis, syluis signum aliquod extet mutationis. Ex quo liquet aborigines esse gentes Polonas & linguam Sarmaticam antiquitùs retinere, quæ nec in prolatione nec in constructione vllam contaminationem adulterationemue passa sit.

DECIMVMNONVM argumentum. Sarmatæ etiam vocantur à veteribus Moschi, Roxolani & Iazyges. At isti nostra lingua vtuntur. Ergo & istæ terræ ad Sarmatiæ complementum pertinent. Sicut & Lucanus poëta testatur *Sæuis affinis Sarmata Moschis*. Prudenter autem ab

tem ab eruditis deprehensum est, nullam esse gentem sub cœlo quæ priscam simplicitatem, mores & linguam inde à temporibus patriarcharū per illos bellorum tumultus fideliùs seruarit quàm Moschos. Nam ad illas terras niue & glacie rigentes nec Darius, nec Alexander Macedo, neq; Iulius, neque Augustus armis penetrare potuerunr. Ac ne quidem id forsan optabant etiamsi potuissent. Proinde Moschi non poterant esse obnoxii causis illis quę alterationes gentibus inducunt.

De Gandaricho Principe Vandalorum.

Anno ab orbe condito 4374.
Anno à nato Christo 412.
Ante annum 1150.

GAndarichus corrogato exercitu ex Vandalis Alanis, aliisque Sarmaticis populis quorum numerus ab aliis centies quater millium, ab aliis trecentorum millium refertur, relictis suis sedibus ducit exercitum vnà cum patre suo Modigilo sene admodum per Germaniam Rhenum versus, quo superato Treuirim vrbem Galliarum petit. Et quia istic paulò ante Francones consederant, maximamque partem Galliarum in suam potestatem redegerant, ideo hos, consilium ei prębente Stilicone Romanorum duce, cuius persuasionibus ex Pannonia euocatꝰ erat, aggreditur, & fatigatos armis ex Galliis abire cogit, quos vbi submouisset, liberè tandem longè lateque nemine prohibente Galliam vastat, & populabundus quoquo versus discurrit. Ac vbi iam cædibus & prædis satis indultum esset, & à gentibus extraneis vindicata Gallia ac Romanorum desiderio & irę satisfactum esset, ipsi in Hispanias vlterius cōtendunt, Burgiones verò populares eorum, qui & ipsi tum ad Vistulam in vicinia cohabitabant, ac etiam Sueui, illecti amœnitate regionis & cœli clementia sedes ibi figunt, prouinciasque Heduorum, Lingonum, Vesutiorum, Cabilonensium sibi vendicant, quam postea Burgundiā à suo cognomine appellarunt. Vandali tamen nihilominus Burgundiis & Sueuis commilitonibus destituti non quieuerunt, sed superatis Piræneis montibus interiora Hispaniarum petierunt, & istic Beticam armis subactam à suo nomine Vandaliam, sicut ab Alanis Catalaniam cognominarunt. Sed quid accidit? Cum ad summum culmen fortunæ peruenerunt, Gandarichum ducem suum amittunt. Subita is tum morte eis ereptus videbatur, nō sine suspi-

Modigilꝰ rex.

cione grandi irati numinis, quòd templum thesauris & celebritate pernobile Hispalis vrbis, quam interea temporis vi cœperat, diripere statuisset. Hæc acta sunt ante 1150. annos.

Genſericus II. Princeps Vandalorum.

Anno ab orbe condito 4390.
Anno Christi 428.

MOrtuo Gandaricho succesit Genserichus filius, quod nomen Polonicum esse apparet ex sono & dialecto sermonis nostri, significatq; idem quod nostri Gąsiorek, id est, anserem vocant. Et si conferas vocem Genserícus & Gąsiorkus exilis admodum differentia relinquetur. Romanos interea diuersi affectus ac velut contrarii raptabant, & propter successus Vandalorum in diuersum agebant. Quod prosperè gentes Romano nomini infestas ex Galliis Hispaniisque expulerant, gratum eis erat: quòd verò vires & fama eorum in tantum crescebant, vt vix à Romanis si maiora auderent, retrahi possent, hoc eos malè habebat. Proinde ad artes solitas confugiunt, vtque vtriusque gentis, hoc est Gotthorum & Vandalorum robur diminuerent, vtrosque Stiliconis opera inuicem committunt, & de Hispanię gubernatione armis disceptare faciunt. Sed Deus Romanorum consilia, fortuna eorum ad imum ruente, alio diuertit. Cùm enim vario Marte inter se dimicassent, ne vlterius sociale bellum inter eos crescceret, noua res emersit. Regebat tum quidam Bonifacius Africam, dux Valentiniani, quem cum Imperii hostes armis vndique vrgerent, nec auxilia ad compescendos eorum furores ei restarent, Genséricum ex Hispaniis quamprimum precibus & muneribus inuitat, multa spe eum onerandó, vt ei præstò adsit. Nec ille detrectat, eò quòd iam bellum sociale in Europa cum Gotthis perosus esset: morem igitur ei gerit, & quinquaginta millia lectissimorum virorum transportat per illud Gaditanum fretum, primoque Hyponem, deinde Carthaginem contendit. Ac vrbe in potestatem redacta, Aphrica vniuersa ab eo pacem petit, fasces que Imperii defert. Animo erectus Genséricus magna cum tentasset, maiora adhuc meditatur. Cõfecta tunc varius bellis Italia ingemiscebat & à tyrannide Maximi oppressa suis minimè confidens auxilio exterorum indigebat, itaq; opem Genserici, qui tum fama rerum gestarum spectabilis erat, implorat, eiusq; fidem sequitur. Gratum tum Genserico hoc nuncium fuit, ac quod duas gentes

& duas vrbes

& duas vrbes Romam & Carthaginem dominas videlicet orbis terrarum, Imperio suo adiungere easque armis sibi subiicere, ad nominis sui gloriam, plurimum referre iudicabat, itaque rebus in Aphrica ex tempore compositis, primò Corsicam, deinde Siciliam, via Hannibalis petit. Cumque Hetruriam armis tentaret, ab Eudoxia Romam accersitur: ille plenus animi mox se sistit, & de Maximo Tyranno supplicium capit. Digna tunc mors Tyranno iudicata est, vt ille qui omnium libertatibus insidiatus fuerat, ab omnibus quoque lapidibus obrueretur: hoc decretum, ab eo latum fuit. Ne verò & sibi interea deesse videretur, Eudoxiam & filiam eius Eudociam vnà cum Placidia secum in Aphricam, auehit, & paulo post matrem sibi, quod senex iam erat, & filiam Honorio in matrimonium desponsat. Nec diu matrimoniũ illud stetit. Nam breui ipse moritur, filio Honorio in Imperio relicto. Fuit Gensericus vir astutus, & ad varias fortunæ occasiones intentꝰ, didiceratque cum hoste non tantùm viribus, sed & industria certare. Volebat ille pactorum conuentorumque custos fidelissimus videri, sed euentus non semel docuit, eum pro temporis oportunitate fœdera & seruasse & violasse. Cumque aduerso Marte aliquoties pugnasset, iterum se arte & consilio erexit, & cum in profundum delapsus esset, iterum ad summum emersit. Proinde Sertorio ob eam causam à quibusdam non ineptè confertur. Fuit tam elato & excelso animo, vt si vitam ei superi prorogassent, etiam Babylonem petere, & exemplo Alexandri Magni Orientis Imperium sibi armis vendicare cogitaret. Videbatur enim se hoc nominæ fortuna Alexandri Magni conferre, quod sicut Alexander 40. & aliquot millibus orientem sibi subegerat, ita ille pari numero copiarum, 50. nimirum millibus, Aphricam domuerat, quodque fata Alexandro negauerant, Romam, Senatum, videlicet orbis terrarum, vt Cicero loquitur, in suam potestatem redegerat.

Carthaginem & Romam duas mundi dominas Vandali capiunt.

HONORICVS II.

Anno ab orbe condito 4437.
Anno Christi 476.

SEcundus rex huius ætatis Vandalorum numeratur Honorius Genserici filius, cuius natura & mores erant ad tyrannidem compositi. Namque vtriusque sexus homines tam viros quàm mulieres persequebatur. Et viros quidem igne ferro & aqua è medio tollebat, virginum verò corpora admotis facibus vrebat, mammillisque & brachiis pręcisis ad Arrii dogma amplectendum cogebat. Fuit quoque Augustinus Episcopus Hy-

ponensis spectator aliquomodo harum calamitatum, sed Deo illi parcente, septimo mense post Hyponem à Vandalis obsessam mortuus est. Huiuscemodi crudelitatis exempla secutæ sunt pœnæ. Afflixit Deus illam gentem fame & grauissima pestilentia, & ipse rex phtiriasi consumptus non sine grauissimis doloribus & tormentis decessisse scribitur. Eudoxia filia Valentiniani Imperatoris, & mater Hilderici pii regis, vxor verò huius regis Honorici, prætextu religionis & voti suscepti adeundæ Hierosolymę, à marito se eripuit, nec postea, auersata illam mariti sæuiciam ad eum rediit, sed in precationibus lachrymisque, & aliis quæ ad exercitia Christiana pertinent, magnam partem sui æui transegit. Regnauit hic annos octo.

Eudoxiæ pietas & crux.

GVNDABVNDVS.

Anno ab orbe condito 4446.

EVit & hic Gundabundus Arrianꝰ & sæuiit aduersus Christianos, nec fuit filius Honorii, sed frater & Gonsage patruo ipsius & Germano fratre Genserici: Ideo Gundabundi nomine patronymico fuit appellatus. Puto hunc Gonzagen Gonzagarum nomen in Hispaniis reliquisse, quorum hactenus clarissima familia in Hispaniis extat.

TRASIMVNDVS III.

HIc 27. annos regnauit, vir præclaræ indolis & sapiens, omnesque maiores suos animi magnitudine excelluit, vt Procopiꝰ de eo tradit. Erga Christianos astutè se gessit, non pœnis corporis, aut suppliciis velut alii, sed præmiis & honoribus ad suam fidem eos inuitans. Erat enim Arrianus. In gratiam huius Fulgentius rogatus, de mysteriis fidei Christianæ scripsit. Et ab eo emollitus postea non ita sæuiit in Christianos.

ILDERICVS V.

SVnt qui Ilderichum hunc antecessisse Trasimundum scribunt, de qua re litem alicui mouere non est mei instituti. Fuit is Genserici nepos, Honorici verò filius, quem ex Eudocia susceperat. Eratque non malè institutus in religione Christiana. Nam sacramento adactus, vt quoad viueret inimicum se præberet orthodoxis, promissis non stetit, nec in re natura turpi fidem datam fallere turpe putauit. Omnes enim orthodoxos in exilium missos reuocauit, eisq; fauit, & ecclesias orthodoxorum in Africa restituit, quo nomine suis fuit inuisus & contemptus. Et quia minus

quia minus idoneus videbatur ad bella gerenda, à Gilimero è viuis sublatus est.

GILIMERVS VI.

GIlimerus fuit abnepos Genserici, cuius etiam magna ex parte mores & naturam retulit. Fuit enim valdè rei militaris peritus: sed fortuna & successu in rebus gerendis dispar, quòd exitus eius mox declarabit. Concitata multitudine per seditionem Ilderico regi insidiæ struuntur, & pericula creantur. Erat enim plebi inuisus hac de causa, quòd nihil commune cum Arrianis habere volebat. Itaque eum cum filiis & eis qui ei addicti erant in vincula coniiciunt, ad extremum & necant. Sed Deus vindex scelerum non diu tulit hoc detestandum facinus. Cùm enim sæpius querulæ voces Aphricanorum ad aures Iustiniani Imperatoris deferrentur, defensionemque contra crudelem regem Gilimerum ab eo peterent, misit Imperator exercitum in Africam cui Belisarium præfecit virum impigrum, ingenio tali in quo nihil ex quatuor illis virtutibus defuit, quæ in duce belli omnibus numeris absoluto requirũtur. Nam siue peritiam rei militaris, siue felicitatem coniunctam cum modestia, & opinionem quæ requiritur in bono duce spectes, nihil in eo desiderabatur. Proinde cum veteribus Imperatoribus, Scipione inquam, Paulo Aemilio, Fabio, merito confertur. Is vbi cum exercitu Africanis apparuisset, castraque castris contulisset, Gilimerus conscientiæ metu perculsus trepidare cœpit, ac primo prælio victus erigere se deinceps nec animum resumere potuit. Tandem Belisarius profligato hoste cum castra contra Carthaginem promouisset, ciues se ei dediderunt, vltroque vrbem aperuerunt, & ipse Gilimerus fame compulsus, cum se de vno loco in alium transferret & iam vix sustentare vitam posset, nec ei per solitudines vaganti spatium respirandi daretur, ad manus eius deuenit, quando se & omnia sua Bellisario dedit. Confecto bello Belisarius victor Constantinopolim deuenit & in triumpho Regem captum ostentat. Fertur cum extremam suam calamitatem videret, in ea verba prorupisse: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hic fuit regni Vandalici in Africa exitus postquam durasset annos quinq; supra nonaginta. Causas commutationis fortunæ Vandalorum varii varias referunt. Dicuntque ab illo tempore collabi eorum res cœpisse, postquam virtus Vandalica & indoles, quam secum ex Europa attulerant, in eis degenerare cœpisset. Et est quidem aliquid quod isti dicunt. Gilimer enim iam Afer erat, & exercitus eius non iam ex Vandalis

Belisarij laus.

Cur aduersa passi Vandali.

Vandalis constabat, quorum vix eo tempore vnus ex iis qui ex Europa venerant, superstes erat. Sed verius ratiocinantur illi, qui deletos eos ob crudelitatem affirmant. Nam Deus Tyrannos detestatur & vehementes motus in homine deprimere solet. Sed quia Vandalorum gens in Afros transiens Sarmatarum esse desiit: adhæc Afrouandalorum regum finis incidit in exordium principum Polonorum quando Lechus & Czechꝰ ex Illyride vel Croatia in eas oras peruenit, ideo Vandalicis rebus quas in Africa gesserunt valere iussis ad Polonicas bono omine iam accedamus.

Finis regni Vãdalorum & initium regni Polonorum.

LECHVS.

Anno à diuisione gentium 4512.
Anno Christi 550.

CVm igitur hæ gentes de exitu tristi suorum cognatorum Vandalorum in Africa audissent, & Getarum etiam popularium suorum in Italia res ad interitum spectarent, (Bellarius enim dux belli tum quoque Vittigem regem eorum captum Constantinopolim secum abduxerat) valde mœsto animo faciem & statum miserabilem Reipub. suæ contemplabantur. Metuebant sibi à Romanis, ne filiorum rebus collapsis in patres animaduerterent, & in Italia & Africa conuersis rebus Gothorum Vandalorumque, de vltione in eos à quibus emissi erant ne aliquid durius statuerent. Sicuti morem hunc Romanis fuisse non vno exemplo comprobari posse meminerant. Itaq; vt se aduersus futuros casus melius munirent, de alia forma Reipub. suæ cogitare cœperunt, præsertim cùm se oportunos & aliarum quoque gentium incursionibus cernerent, eo quod iam Vandalicis Gotthicisque expeditionibus satis milite opibusque exhausti essent. Accesit huc noua difficultas, quod hactenus veteri more gentis sub polycratia viuentes, non habebant vnum principem, cui salus Reipublicæ curæ esset, quique eis cum imperio pręesset, resque eorum turbatas moderaretur. Itaque de accersendo principe secum deliberant. Mittunt igitur in Illyricum accersitum Lechum & Czechum, quod ii tunc magni nominis duces essent. Accesit & persuasio quædam quod præ aliis cunctis gentibus, ipsis vtiliorem fore principem iudicabant ex illis nationibus, quæ ob veterem cognationem, & vnius linguæ vsum, ab vna stirpe Venetorum eandem cum ipsis originem agnoscerent. Præterea opinionem prudentiæ de eis concipiebant, quia viciniores erant Græcis & Italis, & terras inhabitabant quas solis radii magis perpendiculares serenant & illustrãt. Sed quò melius res intelligi queat, quonam

Occasio aduentus Lechi & noue gubernationis.

quonam tempore hæc acciderint perpendendum est. Status denique regni Poloniæ ex statu Reipub. Europææ, qui tunc erat metiendus est nobis. Imperabat tum Iustinianus Iustini ex sorore nepos, in oriente. Occidentale verò imperium primò per duces quos in Italiam mittebant Cæsares, demum per Exarchas administrabatur. Seuerus Campanus Pontifex tunc sacris Romæ præerat, qui fuit in exilium missus ob eam causam, quòd occultè cum Gotthis sentire putabatur. Constantinopolitanam verò sedem tum Antemius regebat. Defierat iam regnum Vandalicum in Africa capto Gilimero rege eorum. In Italia etiam Gotthicum nutabat. Paulò ante partim propter Vandalorum & Gotthorum vastationes, partim propter Attylę Hunnorum ducis violentas irruptiones, viginti & aliquot oppida antiquorum Venetorum, qui cum Vinidis & Vandalis Anthenoridæ, id est ab Anthenore orti vno nomine iure vocari possent, vrbis Venetiarum in toto orbe admirandæ fundamenta in maris Adriatici sinu iecerunt. Et post illos bellorum motus veluti post diluuium quoddam Respub. eorum, sicuti & Polonorum instaurari cœpit: Vt sicuti quondam gentes Venetæ cum gentibus Vandalicis vnum principium habuerant, ita & instaurationis eorum periodus veluti ab vna meta & carceribus suæ felicitatis initia sumeret. Tempore iam certo definito, & domicilio Lechi antiquo reperto, iam velum ad nauigādum & vlterius prouehendum explicabimus, methodum aliorum ea in re secuti. Viuentibus igitur istis gentibus sub polycratia & libertate populari, ac ducum imperio contentis qui ferè singulis regionibus, sicuti adhuc apud Russos fieri videmus imperitabant, vnius principis creandi, qui ex æquo omnibus iura daret, cunctorum animos studium inuasit. Creabant quidem & illi antea vnum principem, sed tantùm tempore belli, exemplo veteri Lacedæmoniorum. At nunc ex illa pluralitate dominorum summis incommodis acceptis, & ad huc maiora metuentes, vnum euocandum, vnum creandum LECHVM, penes quem & pacis & belli tempore summa rei esset, vno ore conclamant. Qui cum ad eas oras multis laboribus exantlatis peruenisset, inuenit quidem solitudines, ruinam munitionum, & magna ex parte syluas, non tamen ita, vt plerique putant, quod tantum à Satyris hic locus inhabitatus fuerit. Liquet enim ex Ptolomæo, populosam fuisse hanc regionem, inhabitasseque eam Gitones, Burios, Burguntas, Arsigetas, Auarinos &c. Quin & Carion docet ex sententia Plinii, Vandalos tunc habitasse in Pomerania ad Megelburgenses. Et licet multi Genserici signa & fidem secuti, non modica agmina ho-

Status rerum christianarum Lecho aduenīente quis fuit.

Polonorum et Venetorum Respublica.

An habitabilis fuerit Polonia tempore Lechi

gmina hominum ſecum primò in Pannoniam, deinde ex Pannonia ad meridionales regiones eduxerãt, tamen ſenes, agricolas, ſacerdotes, fœmineum ſexum cum paruulis q Sarmatici ſanguinis veterem originem cõſeruabant, hîc remanſiſſe credibile eſt. Attamen Lech⁹ exercitu iuſtę magnitudinis ſecum abducto, & coloniis quibuſdam deductis ea quæ deſerta erant repleuit, diminuta auxit, & quę ruinam minabãtur inſtaurauit. Regiam etiam in aliquo loco natura munito vt erigeret, abſq; mora cõſilium cœpit. Proinde Gneſnam, olim iuxta quoſdam Lemiſaletum dictam ad hoc deligit, cui & Viſmariã adiungit. Gens Illyrica ad mare Adriaticũ valdè amœnum locum iamdudum poſſedit, quod & nomen eius Græcũ vt puto indicat, & nauigationi maris aſſueta fuit, & ſpacia illa oræ maritimæ ad mare Sarmaticum ~ Germaniam verſus, quà ſitus Cimbricæ Cherſoneſi patet, ad flumen ~ Caluzam, adiuncto ſinu Venedico, vbi Ptolomæus veteres Venetos ponit, longè latèque complexa eſt. Et gentes quidem Sarmaticæ iamdudum veteri more patrum recepto, non admodum illis ſuperbis & ad luxum comparatis ędificiis delectabantur: totum ſuę Reipub. ſtabilimentum non in murorum celſitudine, ſed in dextris & robore militum exercitatorum collocãtes. Sed tamen complura oppida excitant, vbi mercatoribus tantùm & opificibus eorumq; officinis locum tribuunt: ipſimet vt commodiùs venationibus ac agriculturæ laboribus tempore pacis corpora militum durare & exercere poſſint, in pagis habitare malunt. Attamen & ipſi aulas ſatis ſplendidas habent, vt cuiq; videre licet. Et ſi Græcorum & Italorum more, equeſtris ordinis homines prouinciatim in vnum locum cuncti aulas ſuas comportarent, hauddubiè multas etiam Florentias, multas Baſileas, multas Norimbergas in Polonia haberemus. Et fatendum eſt eos qui in vrbibus habitant, vinum lectiſsimum, carnes recentes, poculenta, & alia id genus quæ ſeruiunt voluptati & gulæ, citiùs habere poſſe: ſed maiores noſtri deligentes militi habitationem, non ~ quid magis voluptuoſum, ſed quod ad retinendum robur & vigorem militarem magis conduceret, Lacedæmoniorum exemplum ſecuti, quæſiuerunt. Illud etiam obſeruandum puto, quod quando Perſarum, Græcorum, Romanorum monarchiæ & Reſpublicæ ad orientem magis florebant, regiam quoque Sarmatæ ſuis principibus ad Iſtrum & Pontum, ſedeſque ſibi deligere malebant. Ideo Ouidius potiſsimum orientalium ~ Sarmatarum mentionem facit. Quia tum florentibus rebus Romanorum & ipſi eodem oculos ſuos dirigebant. At rurſus quando occidentales monarchię & Reſpub. transferri cœperunt, & ipſi à Mæothi de ad Ocea-

Regia Gneſna.

de ad Oceanum occidentalem, ſedes ſuas vnà cum regia transferre maluerunt. Quo conſilio & Lechus maiorum exemplo innixus domicilio ſuo locum hîc deligit, vrbes ædificat, regiam excitat, quam Gneſnæ nomine, id eſt, nidum appellauit. Nam ſicuti nidi ſunt auibus in refugium tempeſtatis tempore, ita & illi Gneſnam veluti nidum id eſt refugium & arcem belli eſſe voluerunt. Nam quod aliqui originem aquilæ, quod eſt ampliſsimum huius regni inſigne, magis concinnè explicare volentes, Lechum eò loci cùm veniſſet, multos aquilarum nidos reperiſſe tradunt, indeque omnis boni auſpicio accepto, pro ſigno authentico aquilam albam expanſarum alarum diducto roſtro, vſurpare cœpiſſe, mihi omnino veriſimile non eſt. Nec puto tantum principem re tam exili ad tam ſublimem cogitationem tum excitatum fuiſſe. Fruantur tamen qui volunt hac ſua contemplatione. Mihi victricia ſigna Polonorum eorumque myſterium explicare volenti magis probabile videtur, Polonos hac in re Romanos veteres imitatos fuiſſe, quibus aquilæ ſignum in bello præferebatur. Notiùs eſt quam vt à me commemorari neceſſe ſit de argenteis aquilis in vexillo temporibus Iulii & Auguſti portatis. Aut igitur Romanorum eſt, vt dixi imitatio, aut Genſericus Vandalorum rex Gratiano duce in Africa victo, aut vrbe Romana capta theſauros excutiendo Romanos, inuentum banderium, vt vocant, cum tali imagine vt eſſet memoriale victoriæ, ad proceres qui hîc remanſerant in eius veteri patria tranſmiſit: vel poſterioribus temporibus, quando Romani Pontifices eccleſiaſticam Hierarchiam, hoc eſt concatenationem & conſenſum regum Reipub. Europæ ſancientes, dato & accepto iureiurando cum axiomate regio, etiam vexillum cum inſignibus veterum Romanorum tranſmiſerunt regibus Poloniæ eo fine vt firmius recordarentur ſe eſſe & debere manere propugnatores defenſoresq; catholicæ fidei, & dignitatis Reipub. Chriſtianæ aduerſus barbaras gentes. Iudicium tamen hic liberum cuiuis de hac re permitto. Iam quod attinet formam Reipublicæ, moderato & æquabili imperio Lechus ab initio cõtentus fuit: ſed quod quidam ita ſimplicem & deiecto animo tam Sarmaticum populum quàm Vandalicum ſibi imaginantur, vt opera ruſtica regi ſuo nauaſſe, & pecuniæ ignaros fuiſſe affirment, mihi id non videtur veriſimile, nec exiſtimo hoc cadere potuiſſe in illos qui orbem terrarum peragrando, commoda aliorum regnorum decerpſerant, & marſupia plena auro & argento Gallico retulerant. Sed & nunc non rarò videm⁹ in variis Poloniæ partibus puriſsimi argenti monetam cum imaginibus Iulii, Traiani, Veſpaſiani, & aliorum

Vide Ciceronẽ contra Catilinam.

Inſignia regni aquila & eius origo.

Forma Reipub Polonicæ ſub Lecho.

Imperatorum in catinis æneis defossam reperiri sępe & exarari. Vnde ratiocinari licet non vanis argumentis illud priscum seculum non fuisse indigum pecuniæ. De bellis Lechi cum Germanis & Danis non est mei propositi prolixiorem narrationem instituere, ne ea quæ Martinus Cromerus eleganter memoriæ prodidit, videar retexere. Quæ Vapouius prodidit memoriæ de duello, vel singulari certamine Lechi cum quodam regulo Germanico non sunt in dubium vocanda. Neque enim hæc scripsisset ille, nisi autores eius rei habuisset. Illud, quod quidam tradiderunt, tunc primum regni fines Bremam vsque & Visurgim prolatos fuisse, mihi non videtur per omnia cum serie vniuersalis historię quadrare. Ostensum est enim supra ex Dione & Plinio, illis temporibus iam Vandalicos populos istic ad Albim habitasse. Nisi fortè quæ negligentia maiorum amissa erant, Lechus tum bello illo recuperare voluerit, aut tantùm de possessione illius regionis, quæ Albi & Visurgi interiecta est dimicarit.

Fines regni Lechi.

VISSIMIRVS.

LEchi posteritas, vt ab autoribus magno consensu annotatum est, post mortem eius ad annos centum quinquaginta durauit. Fere hoc idem ęuum compleuit, quod domus Iagellonidarum postremo hoc seculo in Polonia feliciter regnauit. Attigit ergo posteritas Lechi tempora Leonis eius nominis secundi Imperatoris. Condidit Vissimirus duas vrbes maritimas, vnam Albis ostia versus, quam à suo nomine Vismariam vocauit, & alteram Gedanum, quæ quia ex Dacibus vel Danis constabat, vel Getis vel Gitonibus, Gedanum est appellata, vt placet doctis. Nam Ptolomæus ad illa ipsa ostia Vistulæ Gitones Sarmaticam gentem, quæ cum Gotthis eadem est, collocat. Reliquias autem Dacorum isthinc traiectum in Daniã habuisse affirmant. Sed alii tradunt Danos à Lecho & Vissimaro eius filio, nauali prędio ita fuisse attritos, vt tributum etiam pendere Vissimaro cogerentur. Quia enim Illyrii naualibus prædiis assueti erant, cùm ad mare sedes suas haberent, ideo Dacis qui nondum vsum earum rerum ita acquisiuerant, Lechus & ii qui eius fidem secuti erant, terrori fuerunt. Confecto autem bello illi Dani qui à Vissimaro Rege capti erant, ciuitate tum donati sunt, vtque confidenter Gedani habitarent & negociari possent, cõcessum est eis. Ex hac accessione vrbs illa non mediocriter fuit aucta & locupletata, ita vt nunc autoritate regum Polonorum suffulta, & commerciis Polonorum adiuta, splendore & opibus certet cum emporiis præcipuis in Europa

Posteritatis Lechi cum posteritate Iagellonis eadem periodus.

Supputatio chronologica cur ad annum 550. refertur aduentº Lechi.

Dani attriti à Vissimiro.

Gedaneusium vrbs.

is in Europa. Cætera de hoc filio Lechi apud alios autores inquirito. Sed tamen illud de significatione nominis Visimiri huius prętereundum non putaui, nomen Visimir cum nomine illorum Visogotthorum, qui ferè circiter eadem tempora in Pannonia belligerarunt, admodum cõforme esse, & significare iuxta nostrum sermonem studiosum pacis. Mir enim pacem apud nos significat. Cõsimile quid etiam Saiphrid apud Germanos denotat. Commemorantur autem tres fratres illi Visogotthorum in Pannonia, Theodomir, Widmir, & Wladimir, quorum vnus fuit pater illius Theodorici Gotthi qui Rauennas dicitur. Cuius virtutem & res gestas admirata est Italia, laudauit Gallia, scriptis etiam poëmatis celebrauit Germania. Horum ergo principum nomina si expẽdas, & cum nomine huius Visimiri filii Lechi componas, videbis gentile nomen illo æuo vsitatum, indicare Lechi posteritatem, & cum illis Visogotthorum principibus vnam gentem fuisse, & ab vna stirpe demanare. Adde quod ex eadem ratiocinatione elicitur, Polonicam linguam illo seculo in Polonia in vsu fuisse. Siquidem nomina ista Visimir, & Wladimir Visogotthica ad vnguem dialectum & sonum Polonicum resonant. Quod propter illos addendum putaui, qui affirmant temporibus expeditionis illius Gotthorum & Vãdalorum, Germanos in Polonia habitasse, vsum vero linguæ qua nunc vtimur, cum Roxolanis postea introductum fuisse, cum iam sole claruis demonstratum sit, & Lechum ipsum Slauicæ gentis hominem ante Roxolanorum expeditionem, quæ ad tempora Mauricii refertur, iam ad eas regiones habitatum appulisse, quod etiam ex illorum commentariis euidenter monstrari potest.

Nomina Gotthica.

INTERREGNA.

SI ab ea meta, id est ab anno domini quingentesimo quinquagesimo per annos centum 50. Lechum cum sua posteritate regnasse in Polonia præsupponimus, vt quidem præsupponere nos necesse est, tunc subducta ratione temporum ad calculum Chronologicum, aut paruum aut nullum tempus istis interregnis relinquetur. Et puto nostrates historicos (de vetustioribus dico) interregna hæc excogitasse, quod eos parum exercitatos in Chronologica supputatione apparet fuisse. Nam si anno quinquagesimo supra quingentesimum initium regni Polonorum statuimus, eisque annos centum quinquaginta, quibus posteritas Lechi regnauit addiderimus, exurgent anni septingenti. Restant ergo tantùm centum anni ad Lescum secundum synchronum

Obseruatio supputationis interregnorum

chronum Caroli Magni Imperatoris,qui inquam centum anni quinque regibus Polonorum, Graco videlicet, Lecho ſecundo, Vendę,Prȩmiſlo,& Leſco ſecundo tribuuntur.Quia tamen Chronologi veteres propiores erant illis ſeculis,dandum eſt aliquid eorum autoritati,quia veluti de ſuis rebus & quidem probè cognitis loqui videntur. Sed vt dixi,breuia illa interregna fuiſſe credibile eſt. Eorum autem hanc occaſionem fuiſſe exiſtimo,quod grave erat aſſueta relinquere. Aſſueta erat hæc gens teſte Procopio ſub plebeia & antiqua libertate viuere.Itaque forſan ſeuerioribus mandatis vel potius iniuriis ſuperiorum principũ oppreſsi & grauati,tanto alacrius recordabãtur ſecum libertatis qua olim vſi erant in polycratia, ideo iam laudando vnius principatum iam vituperando hæſitabant:quid fugiant non ignorantes ſed quid ſequantur addubitantes. Ad extremum tamen neceſsitate compulſi duodecim Palatinos, quos nos Voieuodas vocamus eligunt. Sed propter ademptam à Germanis Sylleſiã & Luſaciam puto iam vix ſeptem aut octo Palatinatus veteres reſtare ex illis duodecim. Suppletus eſt tamen eorum poſtea numerus, & etiam auctus. Sed termini eorum priſci ſunt mutati. Significat autem nomen Voieuoda ſeu Palatinus idem acſi tu diceres belli dux,& ęquipollet prorſus cognomini Hethman quod à Germanis petitum eſt.Hoc tempore nondum Epiſcopi in Senatu locum habebant. Quia nondum Poloni Chriſtiani erant facti.

Creandorum Palatinorum 12. cauſa.

Anacephaleoſis hiſtoriæ Vandalicæ per annos 180. hoc eſt, ab illo tempore quando armis Europam et Africam concuſſerunt, vſque ad Lechi in Poloniam aduentum.

370. Vandali ad Rheni ripas conſederunt,primò ii Burgundiones dicti.Ponit autem Ptolomęus Phrugundiones ad Iſtulam. Sunt ergo iſti ex gente Vandalorum. De hac re Albertus Cranz. Sed meminiſse hîc oportet quòd ante hanc expeditionem annis 130. donata fuit eis à Conſtantino Magno poſeſsio Pannoniæ. Serui eorum poſt victos Scythas arma in ipſos conuerterant.

378. Sarmatæ Pannoniam vaſtant. Amianus lib. 30.

382. Modigilo duce Vandali terras alienas inuadere cœperunt,ſedibus ſuis relictis. Præfuit autem eis annos 30. Nomen Modigili in vlu adhuc fuit apud Lithuanos non ita pridem.

382. Longobardi ex Scandia inſula Oceani ſeptemtrionalis egreſsi Vandalos Iborea duce & Alone vicerunt.Proſper in chronico. Non fuit ergo Polonia penitus deſerta à Vandalis,etiamſi potior pars eorum abierat in Hiſpaniam & Galliam, quandoquidem ſequente

dem sequente anno conflixerunt ii qui hîc remanserant cum Longobardis.

411. Vandali & Alani Gallias intrauerunt, biennio ante Gothicam obsidionem Romæ, Honorii anno 16.

412. Gandarichus Vandalorum rex Hispaniam occupat. Regnat annis 16. Cranz lib. cap. 26. Ibidem in exercitu apud eum Modigilus pater moritur.

413. Franci Rhenum transeuntes à Vandalis Burgundionib. repelluntur ad sua. Blondus.

414. Quindecimo anno Honorii Carolus Vandalorum rex assensu Germanorum cum magna multitudine Gallias inuadit, multas vrbes populatur. Anno altero captus & extinctus est & succedit ei Gotgisich rex. Tripartit. Chronicon Polo. Isti fortè Germanicè loqui didicerunt, vnde Gregorius & Methodius occasionem sumserint vt Germanos esse existimarent.

426. Constantinus cum exercitu aduersus Vandalos Hispaniam vastantes missus.

428. Gensericus Vandalorum rex annis 48. belligeratur. Genserico fuisse dictum putant Polonico sermone, acsi dicas Gąsiorek. Cotisonem verò Getarum regem Kotek.

431. Vandali euocati à Bonifacio Africæ præfecto Hispaniam relinquunt, in Africa sedes figunt. Cigaineros illos vagos populos per Poloniam, nonnulli putant esse reliquias Vandalicæ gentis ex Africa redeuntis post illa bella.

433. Visogotthi eam Hispaniæ partem occupant, quam Vandali reliquerant. Iornandes.

434. Genserico Hyponem obsidet. Genserico dolo Carthaginem capit.

439. Genserico pacem cum Valentiniano Imperatore facit, finesque imperiorum suorum constituunt. Vbi postea Vandali 95. annos regnant.

444. Genserico Siciliam affligit. Sebastianus Africam inuadens Giezericum retrahit vt cogatur Carthaginem redire.

445. Theodosius Imperator bellum in Vandalos mouet: sed longis cunctationibus negotium differens Siciliæ magis oneri quàm Carthagini auxilio fuit. Procopius & Diaconus.

446. Cum Giezerico pax à Valentiniano Augusto confirmata, & iterum Africa certis spaciis inter vtrumq; diuisa est, Hæc Cassianus.

459. Roma duce Genserico à Vandalis capta, omnibus opibus & ornamentis Imperatoriis in Africam translatis. Certò certius est

tius est aquilas eius imperii signa fuisse, quæ forsan huc transmissa occasionem Polonis dedere vt eodem signo vti inciperent.

472. Marcelinus vir potens in Illyrico, dum Sardiniam & alias maris insulas iussu Leonis Imperatoris à Vandalorum iugo liberare conatur, in Sicilia occiditur.

473. Vandali ab Heraclio ad Tripolim incommodum accepere. Procopius de bello Vandalico lib. 2.

474. Genserícus in Italiam traiicere volens a Basilio incommodo affectus est.

476. Honoricus Vandalorum in Africa rex annos 7. regnat. Victor Episcopus de persequutionibus.

484. Gundabundus Vandalorum rex annos 12. persequitur Christianos.

492. Gundabundus Burgundiorum rex qui etiam ex Vandalica stirpe erat, intrat Italiam, & magna præda onustus domum redit. Blondus autor. Affirmant autem Polonos signa gentilicia à Burgundionibus suis popularibus accepisse.

495. Thrasimundus Vandalorum rex in Africa 27. annos rerum potitur.

505. Bulgari Slauonica gens Thraciam vastant, eo tempore quo Trasimundus Vandalis in Africa imperat. Iamque confœderatio illa symmachię inter gentes Slauonicas emergere & patefieri cœperat.

523. Hildericus Vandalorum in Africa rex annos 7. Pius hic fuit ac orthodoxus, & à patre in exilium pulsos reuocauit.

523. Prima mentio Slauorum in historiis, etiamsi antea gens ista fuit.

524. Annus hic notandus, quo bellum sociale inter Antas & Slauos ad Istrum fuit cum Hildibio illo bellicoso principe. Nomen Antarum natum esse tradit Procopius libro 3. de bello Gotthorum, ab eo quòd anteriorem partem ripæ fortiter dimicando in conspectu Romanorum occuparint.

530. Gilimer Hilderichum captum carceribus inclusit, regnumque ei eripuit fraude.

534. Octauo anno Iustiniani Belisarius finem Vandalicis bellis in Africa facit.

550. Hic annus nobilis aduentu Lechi ex Croatia in Poloniam. Accidit hoc 26. annis post finitum regnum Vandalorum in Africa, adhuc Totila Gotthorum regnum in Italia acriter defendente, quod postea decem annis sequentib. cum Teia extinctum est. Qui euentus tristis gentes Slauonicæ linguæ ad confœderationem illam

nem illam excitauit, præbuitque occasionem Polonis accersendi Lechum ex Slauonia ad eas regiones.

CRACVS.

Anno à condito orbe 4662.
Anno Christi 700.
Anno ab hinc 885.

VSu edoctos Polonos quantum malorum occurrat Reip. vbi eam absque ordine multi regunt, veluti pœnitere cœpit consilii. Rursus igitur vt vnus eis cum imperio præesset consilium inierunt. Et erat quidem graue, præsertim antiqui moris hominib⁹, libertati cui assueuerant valedicere, cumque modo singuli sibi reges videbantur, honorem tantum in vnum conferre, & ad vnius nutum deinceps viuere. Erat, inquam, graue, sed necessarium, & propter intestina dissidia coercenda, & propter repellendos hostes, qui celatum benè ad eam diem odium ac dolorem amplius dissimulare non poterant, nomenque Sarmaticum deletum cupiebant. Itaque post varias consultationes, virum opinione virtutis clarum, opibus & clientelis benè munitum eligunt, cui summam belli & pacis committunt. Craci nomen huic erat. Habitauit is tum ad radices montium Sarmaticorum, vnde Istulæ flumen demanat cum ingenti strepitu, euomens fontes aquarum: decem & tribus milliaribus à Cracouia ab incolis monstratur locus. Fuerit iste Romanus an Sarmata non disputo. Et licet Tiberius Gracchus ante aduentum Saluatoris 140. annis fuit, tamen cum in summam acerbitatem odiorum gens illa Gracchorum apud suos Romanos incurrerat ob leges illas agrarias non suo ordine, nec suo tempore latas, ita vt ne conspectum quidem patriciorum ferre posset: fieri potuisse arbitror, quod huc subducendo se abillo incendio odiorum commigrarunt, eorumque posteritas ad eam diem latuerit. Nec mihi ignotum est à Ptolomæo vrbem hic quoque statui, vbi nunc est Cracouia, aut non admodum remoto istinc spacio, quam CARODVNVM ille vocat, voce non remota ab appellatione Cracouiæ: sed vt iam dixi conuellere veterum scriptorum sententiam, qui quasi de suis reb⁹ & probè compertis videntur loqui, non arbitror esse conueniens. Apparet sane prudentissimum virum fuisse, qui tam idoneum, tã pulchrum, tam munitum natura locum, tamque omnibus rebus ad victum necessariis refertum, ædificandæ tantæ vrbi delegerit. Huic, pergendo ad septemtrionem par non reperitur vrbs. Itaque sedem regiam Crusficia transtulere maiores nostri ad eum locum. Huius

Cracus an Romanus fuerit vel indigena.

Figura mœnio rum vrbis Cra couienſis.

cum. Huius vrbis figuram teſtudinis muſicalis formæ quidam comparant. Nam ſi mœniorum verſus occaſum rotunditatem o-ualem ſpectes,& poſtea quomodo Iſtulam verſus ad orientem in-ſtar manubrii ſtrictius ſeſe contrahit, ac tandem aſſurgendo velu-ti caput erigit, & attollit ea parte, vbi eſt mons Vauelo,ſupra quem arx admirando opere excitata eſt,non ægrè omnino figu-ram teſtudinis repræſentabit. Verùm qui concinnius vrbis hu-ius effigiem exprimere vellet, magis ſcitè eam aquilæ expanſa-rum alarum,quod eſt inſigne regni huius comparauerit,vt corp⁹ vrbis per circumferentiam corpori alitis conferatur, ſuburbia ab vtraque parte alas expanſas repræſentent. Caput verò alitis excel ſo monti ſeu rupi Vauelo quod paulatim aſſurgit conferatur. Ex hac figura vrbis primarię veluti archetypo vrbs Lublinenſis & Po ſnanienſis poſtea exemplum & formam ſumſit diſtinguendarum platearum & arearum ſuorum mœniorum,ita vt trium iſtarum vrbium conformitas tanquam ſororum Germanarum ſimilima eſſe videatur. Bella geſsiſſe Cracum complura memoriæ prodi-tum eſt. Et habent quidem Poloni alias voces,quibus hoc genus promontoriorum appellare ſolent,puta,gura, gurka, pagorek, curhan. Sed quia Romanus fuit Cracus, igitur Romano more ſuum funus peragi voluit,& collem illum paucis litteris immuta-tis Mogilam pro molle latina voce appellauit, vnde poſtea exag-gerata promontoria appellari mogila cœperunt.

De Olofago ex Chronico Miechouienſis.

Erexit arcem habitationis ſuæ in expedito colle Vauelo, ſupra flu uium Iſtulæ ſito,& ei ciuitatem adiecit atque fundauit,de ſuo no mine Cracouiam appellando,felicem agris & rebus ſecundis, ni-ſi Olofagus quædam belua, (vt aiunt Draco)plurima impedi-menta intuliſſet. Rapiebat è ſpecu montis egreſſa,iumenta & ho-mines incautè oberrantes,rictibus horridis voraciſsimè deglutti-endo. Gracus afflictæ Cracouiæ condolens tria corpora iuſsit quotidie Olofago exponi. Nam his contenta, alia non requi-rebat. Sed & hoc oneroſum erat,propterea ſuapte induſtria exco-gitauit vt corporib. quæ obiicienda erant,ſulphur & cauma ignitum ex cera & pice includerentur atque occultarentur. Cumque belua tum naturali rabie,tum voraci eſurie exagitata ſine delectu oblatam prædam raperet atque voraret,ſenſim debilitata & tan-dem extincta eſt.

De origine Craci ex Cromero.

Aeneas Syluius,& Hagecus,non hunc ſed alium Cracum,ſiue Cro cum tunc

cum tunc apud Boëmos regnasse volunt, & Cracouiam siue Crocoueciam arcem in Boëmia extruxisse, morientemq; eo ferè tempore, quo noster regnare cœpit, tres filias reliquisse, è quibus vna Libussa saga paternum regnum susceperit, assumpto sibi in societatem thori & principatus Premislo rustico homine, quem missi equites in ferrea tabula, hoc est, in vomere aratri prandentem repererant: eorumque posteritatem longa & perpetua successione per multa secula Boëmis præfuisse. *Libussa.*

LECHVS SECVNDVS.

INcidit Lechi regnum in illa tempora, quando inter principes Romanos creuerat illa laniena crudelis. Ita enim consuetudo obtinuerat, vt rarò aliquis Imperator dignitatem adire posset, nisi prius antecessorem suum è medio sustulisset. Sic Mauricium cum vxore & liberis Phocas, Phocam Eraclitus. Iustinus auribus dissectis nasoque in Chersonesum relegatur. Leontinus similiter ab Absimaro naso mutilatus (sicut & nunc apud Valachos consuetudo inoleuit) ineptus ad capessendos imperii honores redditur, & tandem custodiæ mandatur. Rursus Iustinianus vocatus ad imperium Leontium & Absimarum educens è vinculis spectante populo interfici curat. Ac deinceps Philippicꝰ Imperator factus vtrumque & patrem Iustinianum & filium eius Tiberium, vt liberius dominaretur sustulit. His ferè temporibus Lechus Secundus natu minor, curato patris Graci funere, in regnum suffectus est: & quia maiorem natu fratrem obstare sibi ad retinendum regnum putabat, vitæ eius insidiatur, eumq; per speciem venationis obtruncat, imitatus videlicet Romulum gentilem suum, (nam & Gracus Roma oriundus erat) vel potiùs corrupti illius seculi tot exemplis parricidiorum deprauatꝰ, vt iam meminimus. Sed Deus iustissimus iudex, qui exerta manu parricidis minatur, tantum scelus non tulit. Non quidem derepente eum è medio sustulit, sed quò longiores ei ferias indulsit, eò magis tarditatem grauitate pœnæ compensauit, vt diutiùs cum suis ærumnis luctando grauiùs torqueretur, lenta morte eum excarnificando. Detecto tãdem scelere, regno est deturbatus, & in exilium missus, ac tandem intus pauore, foris sollicitudine eum excruciante, paulatim contabuisse fertur, nulloq; liberos post se reliquisse. *A Lecho secundo interficitur frater.*

Ex Cadlubk Vincentio de parricidio Lechi in fratrem.

Viuente adhuc patre parricidium ab eo patratum, sed mortuo demum patre, & iam ipso regnante scelus patefactum est.

VANDA.

Anno à diuisione gentium 4712.
Anno Christi 750.

Lex Salica.

LEge quidem Salica cautum est, ne ad tale fastigium honorum fœmineꝰ sexus admittatur. Sed Slaui partim opinione virtutis moti, partim quòd recordabātur meritorum Graci erga Rempub. ipsorum, magno consensu Vandam ad hoc culmen honorum euehunt, eique regium officium committunt. Forsan etiam non immemores erant exemplorum antiquorum. Nam Semiramidis quondam, Tomyris & Zenobiæ fœminarum bellicosissimarum gubernatio salutaris fuit Rebuspub. quibus præerant. Quanquam nostra hoc nomine illis anteferenda est, quòd laudem victorię non sibi nec suę industriæ deberi, non modo verbis nudis sed etiam sacrificio inaudito testata est. Nam cum Rithigerus Dux Germaniæ hac de causa ei mouisset bellum, quod in nuptias iuuenis intempestiuo amore accensi non consentiret: illa commisso prælio & victoria ex eo parta stupenda morte in victimam seipsam Deo veluti triumphans immolauit: ex ponte Cazimirienſi in profluentem Istulæ se præcipitem dando. Cuius corpus vorticibus aquæ ablatum, à principibus regni ad confluentem duorum amnium Dlubniæ & Vistulæ, quarto ab vrbe lapide sepelitur, in cuius rei fidem & sempiternam memoriam ingens tumulus ferè è conspectu vrbis excitatur. Nam mons Vuello, cui est arx inædificata, & ab altera parte Istulæ collis Graci, collatus cum mole sepulchri Vandæ, quod nos Mogilam voce semilatina vocare solemus, fere triangulum æquilaterum efficiunt. Disputationē illam omitto, recténe virgo fecerit, quòd sibi mortem conscīuerit, Republica sine gubernatore relicta. Sed Heroum facta non semper cadunt sub regulam iudicii communis, præsertim si iuxta normam religionis, in qua vixit, factum hoc examinetur. Quæritur etiam hîc de hoc Rithigero cuias fuerit. Borussus esse non potuit, vt vult Hagecus, cum & ipse Ptolomæus Venedicas gentes istic collocet, & appellatio sinus Venedici hoc idem attestetur. Borusi autem subiecti tum erant Vandæ Reginæ. Quæstio etiam illa, an Vanda à Vandalo flumine, vel Vandalus à Vandæ hoc stupendo facto denominatus sit iudicio lectoris decernenda relinquitur. Acta autem hæc sunt anno ab hinc circiter octingentesimo tricesimo tertio: De imaginibus tollendis controuersia tum Rempub. exercente & Pontificibus cum Gallis de Imperio transferendo consilia agitantibus.

Locus sepulchri Vandæ.

Oratio

Oratio dehortatoria subditorum ad Principem suum Rithigerum, vt à bello Vandico abstineat.

Renunciant Oratores duci suo eximiæ puellę pulchritudinem & sapientiam, & animum ad belli dimicationem quam ad nuptias paratiorem: adhæc permagnas & instructissimas armatorum copias. Quibus auditis labascere Teutonum animi cœperunt, & monere & orare ducem suum non destiterunt, ne se exercitumque suum propter intempestiuum amorem, atque cupiditatem suam coniiciat in periculum. Inglorium esse viro cum fœmina certamen, etiamsi exploratam habeat victoriam.

Epitaphium Vandæ Reginæ, statuæ incisum quæ in tumulo collocata fuit à morte eius.

Hîc iacet in Tumba rosa mundi non rosa munda,
Non redolet sed olet, quæ redolere solebat.
Graci regis nata, benè Vanda fit vocitata.
Vt nam hamus piscem trahit ab æquore captum,
Vanda sic formosa omnes traxit speciosa
Illius in amorem, & in fauoris vigorem.
Hæc per decorem Almani vicit furorem,
Nam eò quòd spreuerat hominum connubia cuncta,
Cęlibem hæc obtulit Dis mersa flumine vitam,
Quam mox arripuit Deorum non floridus hortus.

PREMISLVS.

Anno ab orbe condito	4722.
Anno Christi	760.

SApienter institutam hanc Rempub. fuisse etiam illis priscis temporibus inde liquet, quod ad vtrumque casum siue moriente siue viuente rege, optimè ei prospectum fuit. Ac superstite quidem rege gubernatio solet esse facilior & magis expedita, sed priuato principe bono, omnib. periculis obnoxia relinquitur. Proinde maiores nostri illo æuo ad eos casus in promptu habebant Senatum duodecim Palatinorum, qui tempore interregni munus regium obibant. At insurgentibus bellis difficilior fit regiminis ratio. Verum est enim Philosophi axioma: Vbi pariter omnes Rempublicam curant, pariter omnes negligunt, dum nō apparet vnus aliquis in quem culpa reiiciatur. Non libenter tum inferiores parent superioribus: non libenter se periculis obiiciunt, nec libenter contribuunt ad vsus Reipub. cum diuersorum studiis occupata & obfuscata, vbi nam eius facies lateat, vbi caput, discernere non sit facile. Proinde ille duodecim-

Interregnorū status miserabilis.

viratus inter bellorum tumultus vnum aliquem insigniorem virum è medio sui eligebat, quem vniuersis copiis veluti dictatorem præficiebat. Sic Vanda fatis erepta, Palatini contra Morauos & Hunnos infestis armis fines Poloniæ diuexantes Premislum eligunt ac hostium conspirationi opponunt. Ducem hunc fuisse animo excelso & industria singulari nomen ipsum indicat, & stratagema peculiare quo vsus est tempore difficili testatur. Cum enim sentiret imparem numero se habere exercitum, non desperat de victoria, sed artē adhibet, galeas benè defricatas litargirio inungit, easque è cōspectu hostium in locis syluosis appendit, vt repercussione splendoris & micatione crebra oculi hostium perstringantur & inopinatò ingentem aliquem exercitum adesse cum apparatu bellico inusitato suspicentur. Sic rebus extempore præparatis, intentus ad omnes occasiones, quid facto opus sit sollicitè considerat. Si hostes pergerent, ille paulatim relato pede è conuallibus & densis rubetis hosti insidiabatur. Si verò consternati retrocederent, tergoribus corum cædendo è vestigio insiste bat. Nec fefellit eum iudicium. Cum enim hostes minimè suspicarentur, subito eos prima vigilia inuadit, cumque contectis galeis litargirio illitis appropinquarent, & splendore noctis tenebras discuterent, speciem densissimarum phalangum hostium oculis exhibuerunt. Interim ipsemet ab alia parte, qua minimè putabatur, cum suis prætorianis, & aliis delectis equitibus latus eorum aggreditur. Hostes consternati trepidare & mox soluere acies cœperunt. Contra ille tergoribus instare & victoriam persequi non prius desiit, donec se victos faterentur. Fuit hæc victoria Premislo & ad illustrandam famam valde oportuna & hostibus formidabilis, præsertim cum illucescente die cernerent se & viribus & ingenio superatos. Premislus autem sopita controuersia de finibus, ad instaurandam disciplinam, & œconomiam dominii sui reparandam se conuertit, ac tandem foris & domi prosperè rebus compositis fatis concessit.

Stratagema regis Premisli

DE ORIGINE, INCREMENTIS, ET DECREMENTIS REIPVBLICÆ SLAVONICÆ GENTIS.

INuestigaturi nomen & originem Slauorum methodo vsitata & quidem ex media rei natura deprompta procedemus. Notum est nominari gentes à quatuor causis, vel occasionib⁹, vt in prę liminari prę fatione diximus. Aut à ducibus, vt Sarmatæ, Tuiscones. Secundò à situ locorum nominantur gentes, vt

Nomina imponuntur gentibus quatuor modis.

tes, vt Pomerani, Ciſalpini, Pædomontani, Tranſalpadani &c. Sed neq; hac ratione Slauorum nomen explicatur, cum id nobis nihil tale denotet. A prioribus etiam incolis non raro reperias quaſdam gentes vocari: ſic Troiani, Itali ſunt dicti, eo quòd ab Italis hoſpitio ſunt excepti. At in iis regionibus ante Iuſtiniani tempora, gentem quæ Slauorum nomine vocaretur non reperimus. Non igitur mutuare nomen poterant ab iis qui in rerum natura non erant. Quartus modus reſtat quo etiam gentes cognomina aſſumunt, nempe ab euentu, & à ſtudiis, vt Nomades dicti ſunt illi, qui ad morem paſtorum vitam ducebant, ſæpius vertendo ſolum. Hîc attentus lector nobiſcum ſubſiſtat. Nam cum Slaui noſtri, neque à ducibus dicti ſunt, neque à ſitu locorum, neque à prioribus incolis, conſequens eſt, eos à ſtudiis & euentu rerum ſic dictos. In his omnibus conuenit nobiſcum hiſtoriæ Polonicæ ſcriptor præcipuus. Sed nondum finem adepti ſumus, nec rem acu tetigimus. Varia enim & multiplicia ſunt ſtudia & rerum euentus. Ille enumerat victorias Roxolanorum partas ex Dacibus, Pannoniis, Dardanis Lyburnię populis, Illyriis, Dalmatis, Thracibus. Ad extremum & Græciam eos ita potenter diuexaſſe narrat, vt etiam linguam Græcorum, ſæpius eos armis exercendo, penitus corruperint, rebusque tam feliciter geſtis Slauorum ſiue Slauinorum nomen à gloria ſibi ſumſerint. Hæc ille. At hæc ſententia non poteſt & ſecum ipſa & cum ſerie hiſtoriæ vniuerſalis cohærere. Si enim ab earum rerum claritate ſibi nomen impoſuerunt, quas enumerat, tunc nomen Slauorum poſterius oporteret iſtis omnibus factis eſſe, quæ enumerauit. At Slauorum nomen longè ante Græciam armis Slauonicis attritam, & ante linguam Græcorum immutatam, Iuſtiniani temporibus emerſit. Alius ergo euentus & alia ſtudia eorum nobis quærenda ſunt, à quibus Slauini & Slaui, ideſt, celebres dicti ſunt. Scriptor quidam Chronicorum Germanus ex ſententia Trithemii & beati Rhenani Germanorum nomen ex confœderatione quadam prodiiſſe affirmat, vnde tempore Auguſti, vt Strabo & Cornelius Tacitus docent, Galli eos fratres ſeu Germanos, id quod nobis *pobrátym* Germanis verò bruder ſignificat, à ſimilitudine morum vocarunt. Ita ſane eodem exemplo Sarmatici populi, id eſt, reliquię Vandalorum & Antarum Alanorumque quæ poſt expeditiones illas Aphricanas in iſtis oris remanſerant, ſymmachia inter ſe ſancita initoque ſolenni fœdere nomen Slauorum quod eſſent ὁμόγλωττοι, id eſt, eiuſdem linguæ & loquelæ ſibi imponunt. Cum enim audiſſent Romanos eis minitari, eò quòd Vandalorum exercitus ſobolem ſuam, veluti examina

Inquiritur vnde dicti Slaui.

Germanorum nomen vnde ortum.

ti examina apum, in eos & eorum prouincias paulò ante ex suo gremio emississent, ne imparati ac veluti scopæ dissolutæ inter se dissilientes inuenirentur, omnes in vnum conspirant: ad quam rem eis calcar non mediocre addidit fama de Vandalis Africanis ad eos perlata, quod eorum res ad inclinationem interitumque non obscurè spectarent. Nec nouum est hoc gentibus in extremis casibus ad simile remedium confugere. Sic olim contra Gotthos, tres principes Germaniæ præcipui coadunatis copiis fœdus inierant, Cassander nimirum Sicamber, Arathius Saxo, Hamer Doringiorum. Sic postea contra Romanos Getæ, Daces, Burii coniurant. De quo & Poëta: *Et coniuratos deiecit vertice Dacos.* Sic & nostra memoria contra Turcas, Itali, Germani, Hispani vnà cum Venetis eadem ratione fœdera inierant. Ne verò altera natio præ altera aliquid ea in re priuatim aucuparetur, non iam nomen quod partis erat vel vnius nationis toti multitudini imponunt: nec iam Polonos, Boëmos, Bulgaros, Bosnēses, vel Rascios Croatasue aut Roxolanos se vocant omnes. Hoc enim inuidiam intestinam concitaret. Sed nomen tale quod exæquo omnibus quadrat, & de energia initi fœderis cunctos semper cōmonefaciat magno omnium consensu sibi adaptant: Slauos se cognominantes, hoc est, populos multos & varios, sed tamen ex vna stirpe originem ducentes. De quo fœdere Romani cum audissent pauore turbabantur. Tamen ne trepidationem suam coram vulgo proderent, vimque illius confœderationis apud plebem suam, quantum in eis fuit, eleuarent, extenuarentque, non iam Slauos, id est, maiorum suorum studiosos sed Sclauos, id est, seruos per antiphrasim eos appellauerunt. Sed an Romanos hæc subtilitas & cauillatio in vocibus iuuerit, tempora sequentia patefecerunt, & effectus monstrauit. Cum enim eos maxima clade toties affecissent, imperiumque eorum dilaceraſſent, sensérunt postea reipsa Sclaui ne an Slaui fuerint illi, quorum ferro & sagittis petebantur, quosq; non sine contumeliæ nota p Slauis Sclauos id est seruos appellare voluerunt. Non assentior illis, qui à conditione loci, ab vrbe seu ciuitate noua vel stagno Roxolaniæ dictos esse putant Slauinos. Non enim tam exile nomen tamque angustum titulum gentes tam celebres passæ essent, nec inde illi qui exæquo nomen hoc sibi veluti certatim adaptarunt materiam aliquam tantopere gloriandi habuissent, non modo reges Polonorum inquam & Boëmorum sed etiam Constantinopolitanorum sicuti est Ziemiska Imperator. Aut quæ regiones tam spatiosæ esse poterant, quæ tot & tantas gentes quas vix maior pars Europæ sustentat, alere potuisset? Si à

Zemiska orientalis Imperator.

loco veteris

loco veteris habitationis sic nuncuparentur?

Non assentior illis etiam, qui ad Lechum ita originem Polonorum astringunt, vt ab eo quasi Adamo totum gen⁹ Polonicum prodiisse putent. Confirmauit Lechus res Polonorum⁊, non autem⁊ ipse eas fundauit, stabiliuit, non primus instituit, dissipatos vt aquila sub alis suis recollegit & recreauit, non quasi antea non fuerint in mundo, produxit, nec in noua radice⁊, vt Iurisperiti loquuntur, vnquam fundamenta regni iecit, sed eis qui multos antea Regulos sparsim habebant, vnum⁊ se regem cunctis præbuit. Vocatus enim huc erat ex Croatia. Quod si vocatus, erant igitur hîc incolæ qui eum vocabant consilio inter se inito. Turba autem illa, quæ illum secuta erat, non potuit alterationem in tota gente talem facere, quæ deleret & aboleret auitum eorum nomen, Vandalorum aut Sarmatarum. Venit & nunc cum non contemnendo comitatu ad capessendum regnum Poloniæ Stephanus rex, ex Vngaria, nec tamen alterare potuit hic manipulus hominum gentis veterem stirpē. Ac talis videtur esse istorum opinio, ac si quis cogitaret vna gutta aquę fluuialis in mare immissa totam⁊ maris naturam posse transmutari. Verè igitur concluditur, nostram⁊ gentem non aliunde veniisse, sed hîc iamdudum vt hæredes mansisse. Nam licet Lechus & Czechus aliunde cum suis venerit, tamen vt dixi plures hîc, quàm secum attulit, incolas veteres, Vandalos inquam, & Sarmatas inuenit, quorum respectu & intuitu nos non esse aduenas prædicare possumus. Laudo certè Mathiam Miechouiensem, licet antiqui moris hominem, quòd vehementi percitus zelo, vt verus & ingenuus Polonus, insurgit contra⁊ illos, qui ad Germanos & Roxolanos sub prætextu defensionis nostri, transferunt auitos Poloniæ honores. Cùm enim cōpluribus verbis hac de re disputasset, tandem ita concludit: Cùm⁊ multis testimoniis huiuscemodi sentētia vallata sit, Polonos & Vādalos eosdem esse, & quidem ex antiquissimis, quique ante Christum propaginem⁊ duxerunt: erubescat insulsus oppugnator, temerariè & non verè suas chartas non probatas ostentans. Tu autem mi Andrea Crici, (Episcopum Cracouiensem⁊ alloquitur) antiquitatum diligens perscrutator tales aggredere & confuta. Nam quia Polonorum⁊ & Boëmorum historia ab initio hui⁹ operis posita in toto discrepat, reiicienda & salua reuerentia tanti historici pro non vera habenda est. Hæc ille. Tertiò non probo etiam illorum sententiam qui Slauorum gentem temporibus Iornandis vel potiùs Iustiniani prodiisse in lucem affirmant. Negari forsan non potest primam mentionem nominis Slauorum factam esse in historia Procopii, il

Apostrophe Miechouiensis ad Cricium.

lis nimirum quibus vixit temporibus: sed quòd antea hæ gentes non fuerint in iisdem prouinciis quas & nunc incolunt, hoc certè probare non possum. Relegatur historia Augusti Cæsaris, quam superius consignauimus. Relegantur & illa, quæ à Cornelio Tacito in Othone Syluio, qui octauus post Caium Cæsarem apud Romanos numeratur, de Slauorũ Roxolanis scribũtur: Roxolani, inquit ille, Sarmatica gens priore hyeme cæsis duabus cohortibus magna spe ad Mœsiam irruperant. Proinde nec Grammaticum Saxonem, nec Blondum tam seuerè obiurgandum censerem, eò quòd Casubios & ipsam gẽtem Slauicam ante Christum natum extitisse, bellaq; cum quibusdam Germanis gessisse memorię prodidere, ac etiam cum Danis & Suecis eorum finitimis signa contulisse. Quo etiam respectu existimo quòd Dlugosius sequutus eundem Grammaticum & Blondum historicum, Odoacrum Rugianum, Slauum Sarmatam facit, qui Italiam, inquit, ingressus magnum terrorem eodem tẽpore quo & Gotthi in Italia regnarunt Romanis incussit. Rugiis enim à Ptolomæo ea regio & locus natalis assignatur vbi nunc Cassubii degunt. Rectè & Miechouiensis exemplũ Hieronymi adfert, qui fuit homo nostrę gentis Slauonicæ, & literas quæ à Russis Buiunica vel Asbuka vocantur, genti suæ reliquit. Rectè & de diuo Martino adfertur ab eo exemplum, qui cum esset Slauus, stipendia merebat in exercitu Iuliani Cæsaris. Iulianus autem fuit statim post Constantinum Magnum longè ante Iustiniani tempora. Sic & Diuus Cyrillus non minus appositè in exemplum adducitur, qui erat Slauus & Slauicas literas inuenit quas Czurulica vocant. Testatur autem Cario, in bibliotheca Reuchlini Erfordiæ hactenus reperiri librum Cyrilli scriptum contra Iulianum apostatam lingua & characteribus Slauonicis. Quapropter merito potest probari Miechouiensis sententia cum ea moderatione quę superius à nobis relata est. Non enim pugnant hęc: nominis Slauorum primam quidem mentionem factam esse à Procopio & Iornande, & tamen hanc gentem iamdudum antea suis gestis satis conspicuam fuisse. Sed quo res Polonorum in Slauorum historia magis conspicuę reddantur, sicuti supra de Gotthis fecimus, ita nunc Slauorum res gestas chronologicè & breuiter percurremus, vt postea lector recurrendo ad autores citatos latius ibi omnia cognoscat.

Caßubij ante Christum.

Anacephalæosis historiæ Slauonicæ cuius prima pars est à Christo ipso ad aduentum Lechi in Poloniam: secunda à Lechi aduentu ad Caroli Magni tempora per annos ducentos quinquaginta.

Non commemorabo vetuſtiora. Incipiam ab Auguſti temporibus, cuius ætate Strabo ſcriptum reliquit: Vltra Roxolanos an aliquis habitet neſcio.

50. Quæ Paulus ſcripſit gentium noſtrarum faciens mentionem, hoc loco in memoriam reuocentur. Vide ſupra cum Auguſti tempora deſcriberemus.

73. Othonis Syluii temporibus cohortes & duces Romanorum à Roxolanis cæſos eſſe meminit Tacitus.

360. Iulianus vixit, in cuius exercitu Diuus Martinus militabat. Hunc fuiſſe Slauicæ gentis tradunt. Et Cyrillum tradunt ſcripſiſſe contra Iulianum lingua & characterib⁹ Slauonicis, quod exemplar aiunt reperiri adhuc Erphordiæ in Bibliotheca Reuchlini. Ego tamen vereor ne hoc ſcriptum ſit illius Cyrilli qui cum Methodio longè poſt Bulgaros prædicauit Euangelium. Moueor tamen ea re quòd cõtra Iulianum dicitur ſcripſiſſe. Nam in operibus Cyrilli illius antiquioris extant ſcripta nobiliſsima contra Iulianum.

386. Diuus Hieronimus vixit hac ætate, quem hominem noſtræ linguæ fuiſſe affirmant, & quod Biblia noſtra lingua verterit ex Hebræo, & gẽus literarum quod Bucuuica vocant primus tradiderit, ſicut illas alias à Cyrillo czirulica.

420. Noſtri antiquitatum indagatores adſerunt hiſtoriam, quòd Slauicæ gentes duce Bardilo Dacos expulerint ex Dacia.

Secunda pars hiſtoriæ Slauonicæ ab aduentu Lechi.

Iam venio ad illos ducentos quinquaginta annos ab aduentu Lechi ad Craci tempora, quos ſcriptores noſtri tantum Lecho & Viſsimiro tribuunt: reliquum gubernationis tempus Palatinis & aliquot regibus. Videtur igitur hîc aliquomodo hiare hiſtoria, quem hiatum vt ſupplere queam⁹, hiſtoria Slauonica nobis vtendum erit. Abolitis enim rebus Vandalorum, Gotthorum, Antarum, Burgionum, nomen hæſerat in Slauonibus, idque potiſsimum ob confœderationem illam populorum iſtorum de qua in præfatione præliminari & modò diximus.

528. Prima mentio expreſsè fit circa hæc tempora à Iornande de reb⁹ Gotthicis. Introrſum, inquit, Dacia eſt ad coronę ſpeciem arduis alpibus emunita, iuxta quorum ſiniſtrum latus, quod in aquilonem vergit, ab ortu Viſtulę fluminis per immenſa ſpacia Vinidarum natio populoſa conſedit, quorum nomina, licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slauini & Antes nominantur. In quo teſtimonio Iornandis vtrumq; notare licet: Et quòd Slauini origine Vinidæ ſeu Vandæ ſunt ipſiſsimi, & ex ipſis nati, & quòd prȩcipuas ſedes habuerint ad caput Iſtu

lę ab vtraq; ripa, vbi nunc est Cracouia, nec aliunde à septemtrionali astro huc venerint vt quidam tradiderunt.

Agnoscunt autem contrarium sentientes à Iornande ipsos Slauos Vinidas seu Vandalos dici, sed arte quadam plagam declinare volunt. Regerunt enim, ratione sedium, quas post Vandalum occuparunt, Vinidas ideo dici. At Iornandes significanter hîc dicit: Vinidarum natio ad Vistulam consedit, & eosdem qui consederant, non qui in eorum loca successerant Slauos dici. Adde quòd Vandali nostri ex Pannonia, vbi antea diu manebant, abierant in Hispaniam, non ex Polonia, licet hîc supplementa exercitus eos accepisse credendum sit. Non igitur Roxolani hîc vacuas sedes poterant reperire. Nam & cum Longobardis postea isti, qui hîc remanserant dimicarunt, vt supra ostensum est. Sed addatur hîc locus ille nobilis ex Procopio de bello Gotthico statim ab initio: Gotthicæ, inquit, gentes multæ quidem & aliæ prius fuere, quàm nunc, omnium maximæ ac potissimæ Gotthi ac Vandali & Visogotthi, & Gepides & Sarmatæ, & Melanchleni appellati (paulo autem inferius & Alanos Gotthicam gentem vocat.) Sunt & qui Geticas has gentes vocent, qui omnes nominib. quidem inter se differunt cætera conueniunt. Nam & albi sunt omnes corpore, flaui coma, proceri quoque & aspectu probo. Legibus item eisdem vtuntur, & vna lingua Gotthica appellata. Et vt mihi sane videtur, ex vna omnes gente procreati. Sic ex vtroq; autore ambobus locis collatis rem planam habes lector.

Gotthicæ gentes vocantur Vandali, et lingua nostra Gotica appellatur

532. De Slauorum veterum ingeniosa & insidiosa arte interci piendi captiuos, quod nostri vocant *iezyká dostáć*, quæ industria hucusque in hac gente viget, ex Procopio quædam adiiciam. Cùm Belisarius inquit, sollicitus esset, vt adipisci posset aliquem ex Gotthis nobilem virum, qui ei posset patefacere consilium Gotthorum, cuiusnam rei fiducia tam grauia bella tolerarent: id Valerius intelligens ex Imperatore, operam ei mox ea in re pollicetur. Esse namque sua in cohorte Slauinorum quosdam, qui vel angustiore rupe arbustoue delitescere consuessent, coque pacto, ex hostibus quem vellent arriperent, cuius rei cum ad Istrum flumen, vbi sedes ipsi haberent, tùm Romæ in barbaros alios periculum factitassent. Belisarius itaq;, cùm sibi hæc dicta perplacuissent, Valerio statim iniunxit, id vt negocii diligenter curaret. Tum ille delectum ex Sclauinis aliquem, qui corporis magnitudine multis præstaret ac robore, virque acerrimus esset, & ad eam rem peridoneus, ex hostibus aliquem comprehensum ad se vt deduceret misit, promissisque hunc onerauit, si modo factis id exequeretur

xequeretur. Sclauinus itaq; ille mox abiens antelucano tempore, eum in collem euadit, in quo pro pabulo desecando quotidie certabatur, ibiq́ue humi prostratus ruboq́ue & sentibus obtectus delituit. Tum ſimul ac dies illuxit, vir Gotthus quidam eodem aduenies herbas mox legere, nec ex rubo quicquam ſuſpicari, quo ille integebatur, sed identidem ſubiecta in castra despicere, cauereq́ue item, ne quis in se hostium aduentaret. Tum repente Sclauinus exortus barbarum à tergo inuadit, complexusq́ue medium & simul elatum Romanorum in castra mox intulit, Valerianoq́ue in manus tradidit.

Ars & astus Slauorum in comprehendendis hostibus.

Addatur hîc & illa legatio Iustiniani ad gentes Slauonicas, qua hortatur eos, vt sedes veteres incolerent in Histria ad vrbem Turrem Traiani dictam. Ex quo loco apparet, dudum gentes nostras habitasse in Illyrico ante Iustinianum. Sed vocatos fuisse non Slauos, nam nondum confœderatio illa fuit ita celebris, sed Sporos. Expresè enim dicit, Antas illos & Slauos vnam gentem fuisse, sed inquit, à priscis vocatos fuisse Sporos. Verba sunt Procopii: Quod quidam Rossos non ineptè, id est, dispersos exponunt. Habet ne adhuc de quo dubitet aduersarius? Et describit tandem capita religionis eorum & politiam: Certe hæc sunt non nouorum hospitium: dicit enim libro primo statim ab initio: Is autem inquit, populus loca supra Istrum iampridem incoluit, qui Antitani ab Appiano Alexandrino vocantur, & inter gentes vetustissimas & Illyriorum Dardanos & Lyburnos nominatur.

Ad Turrem Traiani sedes vetus Slauorum.

Sporus cognomen Rußorum

530. Alia mentio Slauorum fit in historia, vbi pugnam describit Slauorum & Antarum ad flumen Istrum cum Hildibio illo bellicoso principe, qui in illa ipsa pugna cadit & Romanorum res collabuntur, vt postea nostri liberè Istrum flumen traiicere & Romanos insanabilibus malis afficere inciperent. Verba sunt Procopii. Hæc acta sunt quarto anno Iustiniani.

Conflictus Slauorũ cum Hildibio.

547. Slauini Illyrios vsque ad Epidaurum vastant. Epidaurus est in Græcia cuius Homerus vites laudat.

530. Slauini iterum Illyricum & Thraciam vastant. Procop.

565. Liuba & Lymba Gotthorum rex in Hispania regnat, & fratri postea regnum tradit. Hæc ideo addo, vt quis fuerit status Gotthorum post accersitum Lechum in Poloniã, intelligi melius possit. Istis etiam temporibus ille Belisarius victor iã senex & prę senio incuruatus Hunnos Græciam infestantes vicit & cecîdit.

585. Hoc tempore, id est anno regni Lechi tricesimo quinto Sclauini instinctu Hunnorum regis Chaiani, quem Caganum alii vocant, Thraciam diripiunt.

Slauorum iam dudum cum Hunnis amicitia.

594. Blondus dicit: Altera Sclauorum pars Mauricii temporibus in Dalmatiam & Illyricumq; migrasse dicitur: qui verò manserunt, paulò post mutarunt nomina, & partim se Polonos, partim Boëmos nominauere. Hæc Blondus libro primo Deca. prima historiæ. Ex quo testimonio liquet, duas causas cõfœderationis Polonos habuisse: Primam, quòd potentiores erant: Secundò quòd hîc Slauorum domicilium erat, qui postea in Illyricum commigrarunt. Liquet & ex eodem loco istis gentibus vsitatas tum fuisse commigrationes ex Polonia in Slauoniam, & rursum ex Slauonia in Poloniam, quod & Czechi Lechiq; ad eas oras aduentus comprobat.

Eodem anno Christi, Lechi verò quadragesimo quarto, Priscus dux Mauricii Sclauinos cædit. Musacium regem eorum (mu zik nostri vocant) temulentum cœpit in regia fratris funus peragentem.

595. Sequenti anno Slauos Sorabos qui cum Czecho fratre Lechi Boëmiam occupauerant, Thasillo Bauarus vicit, Trithemio id referente. Hæc iam propius accedunt ad res Polonorum & Boëmorum.

600. Gregorius cognomento Magnus, eius nominis primus, Pontifex maximus qui aliquanto post Iustiniani tempora Mauritio imperante post sexcentesimum annum à Christo nato Ecclesiæ præfuit, ita scribit ad Episcopos Istriæ: Equidem de Slauorum gente, quæ nobis imminet & affligor vehementer & turbor. Affligor in his, quæ in vobis iam patior, conturbor, qui per Istriam iam in Italiam intrare cœperunt. Hoc etiam tempore controuersia illa de titulo principatus in ecclesia inter Gregorium Magnum & Ioannem Constantinopolitanũ Pontificem excitata fuit. Nam Ioannes cum audisset Gregorium dici vocariq; Magnum, ipse se primatem supremumque voluit nominari.

610. Slauini Boëmici & Polonici Garibaldum filium Thasilonis, qui iam mortuus erat, ad Moguntum vicerunt & regnum eius vastarunt. Diacon. scriptor. Hæc acta sunt Visimari filii Lechi temporibus anno septuagesimo post aduentum Lechi & Czechi in eas regiones. Phocæ verò Imperatoris septuagesimo.

641. Slauini regnum Austriasię (sic enim tunc Austriam vocabant,) infestant, & Sigibertum eorum regem profligant. Sed postea anno sequenti à Dagoborto nostri Slauini & Vinidæ seu Vandalorum reliquiæ victi sunt. Saxonum enim exercitu adiutus erat Austriacus. Ob rem prosperè gestã quingentos boues eis loco stipendii remisit. Thrithe.

650 anno,

650 anno, hoc est, temporibus Craci, Slauini Italiam inuadunt & cum Aione principe & Rodoaldo Samnite vario Marte dimicant.

658. Constans Imperator nepos Heraclii contra Slauinos orientales exercitum ducit, eosque magnis incommodis afficit. Annalium.

680. Bulgari Slauicæ gentes, quarum & Iornandes iam suo æuo meminit Thraciam inuadunt, & Imperatorem tributa dare cogunt. Hos Vulgaros magis propriè debere dici quidam tradunt, eo quòd à flumine Volga orti prodierint.

680. Anno Christi, statim ante Craci tempora, in sexta Constãtinopolitana synodo celebris Slauorũ mẽtio fit, in suggestione actionis quartæ: Expectauit, inquit, totius concilii seruilis nostra suggestio omnes adiuuare, ne si tantum pars, quod ageretur, agnosceret, partem lateret. Maximeq; quia in medio gentium tam Lõgobardorum quàm Sclauorum plurimi cõfamulorum nostrorum esse noscuntur, qui de hoc curiosè satagere non desinunt, &c. Apparet ex hoc loco Slauos adhuc illo tempore auersatos fuisse imagines. Nam ad illud concilium quod pro imaginibus plurimum elaborabat, verebantur accedere, ne ad subscriptionem cogerentur. Hæc sub ipsum tempus Craci & vrbis Cracouiensis fundationem acta sunt. De prærogatiua illa, quod intercedente Cyrillo & Methodio Slauis Slauonica lingua sacra peragere concessum fuit, annotant & Chronologi nostri.

689. Iustinianus secundus Bulgaros aliosque Slauos bello aggreditur, & cum alias gentes Slauicas profligasset, à Bulgaris fugatur, ac vix fuga salutem acquirit.

707. Iustinianus auxilio Bulgarorum regis Terbellini imperium recepit & regnat. Iornandes autem Bulgaros Slauos vocat. Et Suidas de Sclauis. Σκλάβηνον ἔθνος τὸ περάθεν τοῦ Ἴστρου. Ibi enim & Bulgares tum erant.

713. Bulgari totam Thraciam populantur, Constantinopolim ad auream portam vsque omnia deprædantes. Securi tandem domum redeunt. Rectè ergo recens Chronologus Polonicus exclamat: Tunc, inquit, verè dicebantur Slauaci ob res præclarè gestas, at nunc inquit, Slabaci potius possunt dici, id est, imbecilles, minimeq; potentes. Annal.

718. Circa hæc tempora defecit regnum & nomen Gotthorum in Hispania, & Austurum regnum cœptum est vocari, occasionem præbentibus ad eam rem moribus obscœnis & turpibus regum Gotthicorum. Iam enim in Hispania mores degenerarant. Vnde

rant. Vnde Rodericus vltimus Vestgotthorum nostrorum in hispania rex, Iuliani comitis & legati filiam cum stuprasset, à Mauris à Iuliano sollicitatis bello in acie occiditur. Hoc etiam tempore Muchauia Saracenus Christianorum prouincias infestat.

Reges Gotthorum defecerũt hoc tempore, id est, regnante Crato apud nos.

744. In Pannonia cum Suatoplugo rege Poloni sedes fixerunt. Inde Panorum nomen est nobilitatis Polonæ. Rectè autem Carion de Pannonibus dixit: Pannonia olim Pæonia dicta. Estque nomen hoc, inquit, vetustæ nobilitatis indicium. Circa eadem tempora Hunni septem itineribus, totidemque exercitibus è Scythia egressi Pannoniam Attylæ titulo repetunt.

Hunnorum aduentus.

748. Vuratislaus Boëmiæ rex circa hæc tempora regnauit. Nomen eius à Slauis est dictum, sicuti & Polonici reges affectabant omnium maximè sic vocari. Inde nomina regum Poloniæ Boleslavv, Chabriboleslavv, Waclavv, Wladislavv. Alii verò heroes Polonici, Zalislavv, Iaroslavv, Bretislavv, Miroslavv, Boleslavv, Przybislavv, Zaslavv &c. Nam Polonici principes præcipui tutores confœderationis illius esse volebant, ideo honoris causa illo nomine libenter se insigniebãt, à qua dictione etiam nobiles Poloni *Slachćice* vt quidam volunt vocantur. Sicut enim Carion de Pannonia dicit: Pannonia est vetustæ nobilitatis indicium: ita quoque nostræ nobilitatis decus in Polonia florebat. Vnde *Slachćic* ab eadem Slauorum denominatione veterib⁹ est dictum. Slauaci autem dicebantur, quòd famam maioris facere soliti erant quàm aurum, argentum, & quæque precioſiora: vel quod pactorum cõuentorumque custodes erant fideliſsimi. Hinc phrasis est vsitata nostris *Aża ia Cżech słowo dżierżeć.*

759. Constantinus Slauinos penes Macedoniam subegit. Dicunt autem Oratores regum Poloniæ qui ad Turcam mittuntur, multoties audiuisse se à Slauis illis qui circumcirca Constantinopolim degunt, quòd affirment, se non aliunde eò venisse, sed ibi antiquitùs mansisse. Ideo narrant se esse Venetos, vel Paphlagonas veteres. Indè fit quòd in Turcica domo lingua Slauonica passim hactenus vtuntur. Sicuti olim apud Aegyptios Soldanos temporibus Malmaluchorum eadem vsi sunt Aegyptii.

760. Constatinus à Bulgaris victus nobiles multos amisit.

763. Bulgari occisis principibus Zeletim ducem faciunt, qui graui bello à Constantino victus à suis occiditur, & Paganus ei sufficitur. Annal. Constant.

774. Imperator dolo Bulgaros inuadens magnam in eis cædem facit.

775. Imperator Bulgaros classe inuadens naufragium passus inglorius

inglorius receſsit Annal. Eodem anno Thelericus Bulgarorum rex, aſtu proditores ſuos ab imperatore expiſcatur, quos vbi cognouit, medios ſecuit.

784. Stauratius Patricius Slauinos in Theſſalia & Græcia ſubegit.

789. Carolus nondum Magnus nec Imperator dictus Slauis Bohemicis, qui Vilzi dicebantur, bellum infert, eosq; conditionibus quibuſdam iuris ſui facit. Abbas. Hic idem paulò ante Magdeburgum Germaniæ nobilem ciuitatem ampliat, & hoc nomine donat, cum antea Parthenopolis diceretur. Ferè etiam iſtis temporibus Leo coronam Imperatoriam ex eccleſia Cõſtantinopolitana cum raperet, & capiti imponeret, ſubito in capite eius enati carbunculi, & mox febre accedente valida, morte moritur. Hæc in annalibus Conſtantinopolitanis narrantur, qui ad annum hunc 814. perducti deſierunt. Ex hac igitur hiſtoria aliquomodo interregna illa in hiſtoria Polonica poſsunt farciri. Nam iſtæ narrationes collatæ cum hiſtoria regum Poloniæ, ſtatum rerum noſtrarum qui tum fuerit tam cum orientalibus, quàm cum occidentalibus Imperatoribus, illuſtrat & declarat.

LIBER QVINTVS,

in quo comprehenduntur ea quæ acta ſunt in iſs terris à temporib. Caroli Magni, ad Otthonem Magnum.

PROOEMIVM.

COntinetur in hoc libro hiſtoria Regum Poloniæ, qui interiecti ſunt inter Caroli Magni & Otthonis Magni tempora. Dixi autem ſupra, hunc omnium aptiſſimum ordinem ad memoriam iuuandam & faſtidium ex lectione leuandum. Imperatoribus enim regnantibus qui Magni dicti ſunt, magnæ aliquæ mutationes in Rebuſpublicis euenebant, vt iam dictum eſt. Sic Carolo Magno imperante, Imperium Romanum tranſlatum eſt à Græcis ad Gallos vel Francos, quod ſanè abſq; magnis motibus fieri non potuit.

LESCVS SECVNDVS.

Anno ab orbe condito 4765.
Anno à Chriſto nato 804.

COmprehendere volens in compendio hiſtoriam Lesci Secũdi, primò dicam de eius electione & inauguratione, mox quomodo ſe geſsit in bello, tertiò quis fuerit tempore pacis: quartò de eius exitu & morte,

Methodus in describendis rebus gestis singulorũ regum.

quintò mores, & ingenium eius exponere vtile erit. Hanc enim methodum hactenus seruaui, & deinceps seruabo. Lesco igitur mortuo eius nominis primo, ad præcludendas occasiones rixarum de principatu, inuentum fuit nouum genus electionis, nouum quidem genti nostræ, sed apud exteros non inusitatum. Nam apud Persas cum Cyri regis stirps defeciisset, inter Satrapas septem pactum fuit, vt cuius equus primùm hinniret, is in regem eligeretur. Itaque Dario ex præfixa lege regnum obuenit, eò quòd equus eius primò hinniuisset. Cum enim suo magistro equorum modum futuræ electionis narrasset, eumque, vt arte & industria se iuuaret, hortatus esset, astutus Persa in eodem loco huic rei destinato de nocte equum equæ admisit. Ita diluescente die equus Darii cum candidati processisent in campum, desiderans equam, primus hinniuit. Hoc forsan exemplum Poloni imitantes inter se sanciunt, vt duo equi duorum candidatorum in campum educantur, & vtrius equus cursu alterum superet, ille in regem eligatur. Res quidem periculosa initio visa est, negotium tanti momenti fortunę et aleę committere, sed tamen ad sedandos & sanandos ambitiosorum animos valde apta. Itaq; ad conditam horam & locum educuntur equi extra vrbem, Pradnicium versus, vbi & meta procurrentibus designata fuit. Agminatim spectatum vtriusq; sexus homines vrbe sese effundunt. Incitati sunt à carceribus equi. Sed Lescus consilio dolum adhibuit. Stylos namque ferreos sabulo inspergens, quà equus antagonistæ currere debebat, abdiderat, vt quamuis cursu velocior esset, inter procurrendum subinde impeditus retardaretur. Ipse prudentem insessorem habuit, quem ante submonuit, patefacto consilio, vt via, quæ libera erat à stylis, equum duceret. Arrisit ergo fortuna Lesco, vt equus eius prior, metam attingeret. Sed mox subdolum consilium in eius caput recidit. Nam, detecta fraude, statim trucidatur. Non enim antiqui moris Poloni vafros ingenio, regali fortuna dignos existimabant, sed qui probitati prudentiam fortitudini animi iustitiam aptè cõiunxisset, hunc demum tantis honoribus aptissimum statuebant. Ne autem plebiscitum illud, in quo electionis illius formula continebatur, prorsus irritum fieret, eligunt regem quendam, cui nomen etiam Lesci imponitur, hominem plebeium & priuatum, qui tantum spectaculi causa vrbe exiuerat, cumq; illud par candidatorum cursu equorũ decertaret, ipse quoq; per iocum pactus cum socio, vter ipsorum rex esset, pedum cursu incitatus apud proceres obequitantes decertabat. Commmendabant hunc Lescum dotes corporis, videbaturq; eis alter Hercules aut maximꝰ Imperator. Nam non modò

Lesci dolus.

pedum

pedum cursu socium cum quo pactus erat vicerat, sed etiam equites illos seriò contendentes cursu pedum adæquarat, præterea opinio probitatis, prudentiæ, & animus nequaquam vilis & humi repens eum cõmendabilem reddebant, quæ omnia accuratè contemplantib⁹ vel ipsa lineamenta corporis in eo significabant. Adde quòd ipse primus dolum illum alterius Lesci deprehendens, nihil tale subesse putantibus detexerat. Igitur magno consensu & applausu cunctorum ordinum, sed potissimum plebis, quòd ex plebeiis oriundus erat, res salutatur, Lescusque vt dictum est, nominatur. Euectus ad hos honores, dedit omnem operam ne opinionem de se conceptam falleret. Nam iustitiam cum probitate coluit, adeuntibus facilem, egentibus liberalem se prębuit, & si quos potentiorum vi & iniuriis premi audiret, statim se acerrimum vindicem, nisi ad saniorem mentem redire vellent, interponebat. In cultu & victu corporis non fuit nimius, nisi si quando in publico dare aliquid splendori atq; maiestati cogebarur, maximè exterorum hominum causa. Vt tamen prioris fortunæ non obliuisceretur pannos illos fœlices & lacinias tunicæ, qua olim vsus fuerat, præ oculis sibi appendi iussit. Quid multa? Nihil iuris in eum prorsus habuit illud vetus dictum. Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum. Cumq; durius bellum sibi instare cum magno Imperatore, & peritissimo rerum bellicarum præuideret, omnem dedit operam, vt militem sibi exercitatissimum peritissimumq; rei militaris redderet. Proinde quando ei aliquid ocii à rebus seriis dabatur, id in exercenda iuuentute consumebat. Martium campum exemplo Romanorum instituit, ibiq; varios ludos militares & simulachra conflictuum, qui in bello accidere solent, edebat. Quoq; hæc maiore cum alacritate animorum agerentur, decertantibus honorifica prẹmia proponebat, quæ ipse in medio residens veluti agonotheta liberali manu singulis pro meritis distribuebat, neminem suis laudibus defraudando. Intelligebat enim optimus princeps fundamentum rei bene gerendæ in eo potissimùm esse situm, si militem legionarium, non tyronem neq; gregarium, aut agrestium turbam in aciem produceret. His igitur eius virtutib. planè regiis, Bohemi etiã inuitati, honores ei regios, modò non dedignetur, decernunt, precibus etiam additis. Quibus de rebus vbi ad Carolum Magnum perlatum est, audiens tantam huius regis virtutem, tãtaq; Bohemorum erga eum studia, veritusq; eius potentiam, bellum ei ad Saxoniæ fines confestim indicit, contraq; eum Carolum filium cum exercitu prævalido mittit. Sed Carolus cum reperiret, hostes & ducem exercitatum, & exercitum

Lescus Secundus.

Lescus memor prioris fortunæ.

Expeditio Caroli Magni contra Polonos.

instructissimũ habere, non ausus est prælio decernere req; infecta peruastatis modò finibus, inglorius domum rediit. Referunt quidam Lescum hunc in ea expeditione occubuisse. Sed isti nullius autoris idonei testimonio id probant, nisi Abbatis. At Lechonem ille vocat, qui iam dudum mortuus fuerat. Refert tamen Sabellicus Slauorum, Polonorum, & Bohemorum_ legatos Imperatori cum muneribus Aquisgranum tum occurrisse. Nam maiores nostri hauddubiè ea prudentia & modestia præditi erant, vt licet fines suos constantissimè propugnarent, tamen Imperium Romanum Dei opus esse agnoscerent. Nec iudicabant fœlices illos futuros, qui temerè manus nouandis rebus iniicere vellent. Interim potentiorum_ principum, si quando arrogantiùs impeterentur, vim vi repellebant, Marobudi illius, regis Marcomanorum_ ex Quadis seu Sarmatis oriundi exemplum imitati, qui Augusti tem poribus florebat. De quo sic Velleius Paterculus memoriæ prodi dit: Marobudus genere nobilis, natione magis quàm ratione barbarus, finitimos omnes domuit bello, aut conditionibus iuris sui fecit. Disciplinæ militaris exemplum ad formam_ Romanorum retinebat. Aduersus Romanos sic se gerebat, vt bello eos non lacesseret, sed tamen ostenderet si lacesseretur superesse sibi vim_, voluntatem & facultatem resistendi. Hæc acta sunt ab hinc annos circiter 787. postquam Imperii honores ad Gallos seu Francos transferri cœperant. In eadem enim tempora incurrit ingressus Caroli Magni Romam qui à Pontifice ad templũ euocatur. Cumque in illa solennitate ducibus comitibusq; astantibus in throno consedisset, ad orandumq; se comparasset, à Pontifice Leone nil sperante tale Carolo, renunciatus est Imperator Romanorum_, choro acclamante: Carolo Augusto à Deo coronato Magno, & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria. Dicitur Imperator offensus ea re respondisse: Si hoc sciuissem, nunquam in templum veniissem. Volebat enim Imperator testatum, se ius imperii adeptum esse, non liberalitate Pontificis, sed iure belli, & quod per transactionem cum Imperatoribus Græcis ius omne in eum deuolutum esset, Græcis omne ius suum, quod in Imperium occidentis habuerant, Carolo concedentibus.

Polonorum propensa voluntas erga Romanos Imperatores.

LESCVS TERTIVS.

Anno ab orbe condito 4722.
Anno à Christo 810.

LESCVS Tertius filius Secundi Lesci in nomen_ patris & regnum successit. Multa hic bella cum finitimis gessit, ac cum Imperatore Carolo præsertim_. Qui cùm audisset, quòd

quòd ex pactis & formula confœderationis, cuius supra meminimus, gentes linguæ nostræ veluti conspirantes contra eum adornarent bellum, ipse quoque pro remedio ad idipsum, quo petebatur, confugit. Ideoq; inter illa tria regna celeberrima, hoc est Italicum, Gallicum & Germanicum, fœdus similiter conficit, vt ita conspirationi conspirationem, & confœderationi confœderationem opponeret. Itaque in tribus locis ferè eodem tempore grauissimum exoritur bellum, sed omnium maximum in Pannonia, quod octo annis durauit, ita vt Caroli exercitus isthic consenuisse dicatur: ad extremum reliquiæ eius in Transsyluania domicilium sibi delegerunt, ibiq; sedes fixerunt. Horum esse posteritatem Germanos illos, qui in Transsyluania visuntur, pleriq; putant, vt affirmat prior editio Carionis, sed recenter editus Carion negat, potiusque eos esse posteritatem Gothorum illorum vetustorum ex coniecturis docet. Sed eo consilio hoc facere videtur, quòd priorem sententiam mutauit, vt videlicet cunctis probatum faceret, id quod de veteri Germania ad Pontum Euxinum promulgare voluit. At omnes scriptores quicunque Gothos à Getis ortos esse tradunt, contrarii sunt huic sententiæ. Sed de rebus istis iam superius aliquoties disseruimus. Redeo iam vnde digressus sum. Dum igitur vtrinq; magno animorum ardore administratur bellum, aduenit & ipse Lescus adiutum suos gẽtiles Slauos, collatisq; signis, vt Dlugosus refert, prosperè dimicauit. In istis enim bellis semper nomen Polonorum cæteris celebrius fuit, quos velut præcipuos in hac confœderatione alii socii esse volebant. A celebritate autem huius fœderis manauit mos ille, vt Polonorum reges, Boleslaui, Meceslaui, Venceslaui ab istis Slauis nomine composito denominarentur. Secundum bellum Carolo Magno fuit cum Sorabis ad Albim & Salam gente Slauica, quòd vario Marte administratum fuit, nec tam facilè finitum. Huc enim spectant perua stationes & depopulationes, quę secutæ sunt, quarum meminerunt scriptores. Blondus dicit & Bonfinius, eo tempore Albi & Salæ fluuiis præsidia contra Sorabiẽses Slauos (sic enim loquitur) à Carolo Caroli Magni filio imposita fuisse viuente adhuc patre. Vitichundus etiam bellorum meminit, quæ Francones Turingii & Saxones cum Slauis eius regionis incolis eodem tempore gessere. Sic & Crantius & alii. Einhardus autem Caroli Magni alumnus scribit, quòd tum temporis Sala fluuius Turingios à Sorabis qui & ipsi Slaui erant, diuidebat. Carion verò volens ostendere Sorabos reliquias esse Sarmaticę gentis, etymon nominis Soraborum à nomine Sarmatiæ deriuat. Videntur igitur Vendæ isti So-

Caroli confœderatio contra confœderationem Slauonicam.

Prima editio Carionis cum posteriore pugnat.

Secundum bellum Caroli Magni.

rabi, & Vilci adhuc cum Gothis ante Augustum eò processisse, & oram illam ad Albim subegisse. Vide Trithemium de bellis Gothorum ante Christi aduentum cum Saxonibus, aut cum Marobudo qui fuit genere Quadus, qui Senones, Augusto regnante, & alias nationes ad Albim armis & conditionibus iuris sui fecerat, inter rim Rhenum versus Sueuis, vt Suetonius narrat, ab Augusto translatis. De Marobudo vide Strabonem & Tacitum & Paterculum. Nam cur Dion Vandalicos montes vocasset ex quibus Albis oritur, si negatur Vandalorum istic fuisse sedes? Tertium bellum eiusdem gentis Slauorum exortum fuit eodem regnante Carolo Magno, ad Orientem cum Nicephoro primo, Orientis Imperatore, quo tempore etiam Bulgari & ipsi Slaui Mysiam deuastarunt, exercitus deleuerunt, Imperator ipse necatus est, & amputato eius capite, cranio pro poculo ad bibendum vsus est Bulgarorum princeps. Missa erant etiam eò auxilia à Polono. Nam certatim cuncti Slaui tum temporis contra Imperatores laturi suppetias, tanquam ad extinguendum commune incendium vndique accurrebant. Non deterruit eos itineris longitudo, ac perinde eis erat ex Pannonia Constantinopolim ducere exercitum atque Occidentem versus ad ostia Albis, vbi Sorabi intrepido animo Carolo se opponebant. Redeo iterum ad res Polonorum. Lescus complures filios reliquit, exq; legitima vxore Popielum suscepit, penes quem summam rei esse voluit, nec prius cæteris possessiones attribuit, donec sacramento adacti promiserint ea omnia, quæ pater de Popielo & vniuersa herciscunda sua familia statuisset rata & firma se habituros, nec nouis dissidiis eius regnum turbaturos aut interpellaturos. Quod vbi illi fecerũt, ad hunc modum inter eos partitus est prouincias cum vrbibus.

Lescus diuidit inter filios regnum.

FORMA DIVISIONIS PROVINCIARVM INTER FILIOS LESCI TERTII, QVÆ DIVISIO RVINAM FECIT MAXIMAM SARMATICI DOMINII.

Serbia cessit Iaxæ. Mysia Vladislao. Zgorseletia, quæ nunc Brandeburgum est, Præmislo. Bogdano, Rugiani, Pomerani cum Cassubiis. Visimiria Vismaro, olim à Lechi ædificata filio.

Lipa nomen arboris cum sit, prorsus miramur, quomodo flumini illi quod Rhenum est versus, inditum fuerit. Sed & Mysiæ vrbs celeberrima, quam nostri Lipsko vocant, eandem cognominis sui naturam & originem referre videtur. Si autem hæc incredibilia esse videntur, etiam illa videri debent quæ de Dais, Sais & Carmanis à scriptoribus Germanis memoriæ prodita sunt: pari enim fundamento nituntur. Nam si ideo veterem Germaniã ad Euxinum

Saiæ, Daiæ, Carmani.

Asiam

Asiam versus excitare licet, quòd ab Herodoto ea de ora loquente mentio fit istorum nominum, certè Lechus Lecho & Lipa Lipę ita syllabis & literis est cõformis, vt Dani Dais, Saxones Sais, Germani Carmanis, nec vtrisque fucus historicorum deerit, cùm Berosus Sauromatarum fines vsque ad Rhenum, cuius ostia Lech vocant Germanicè, proferat. Sed quæ in statu coniecturali versantur, non sunt commiscenda cum iis, quæ de limitibus Imperii Sala & Albi temporibus Caroli Magni Blondus, Bonfinius, Vitichundus, & istis antiquior Einhardus Caroli æqualis memoriæ prodiderunt.

Argumenta quæ ab etymo nominum petuntur quo in loco sunt habenda.

LESCI TERTII CONSILIVM IN DESIGNANDO SVCCESSORE, EX DLVGOSSO.

Ex filiis Popelum in spem principatus liberaliter educatum successorem sibi viuens designauit, cæteris sacramento vt Popelo parerent adactis. Occidentalem et maritimam oram omnem inter Albim & Habelam fluuios ad Oceanum Sarmatias spectantem inter eos partitus est (alii vocant Oceanum hunc Germanicum) illud verò mare ad Iodanum, Oceanum Sarmaticum: sed quomodo Oceanum hunc vocent ipsi viderint. Nam Oceanus, qui non ambit continentem, Oceanus non est.

POPELVS SENIOR.

Anno ab orbe condito 4780.
Anno à Christo 815.

HÆ autem prouinciæ quomodo postea Germanicæ ditionis esse cœperint, & quo pacto à Polonorũ regno auulsæ & abreptæ sint, inferius per occasiones dicemus. Sed certè ignauia successorum in causa fuit, quod Popeli filii Lesci exemplo mox comprobatum est, qui de se iudicio patris & expectationi minimè satisfecit. Nihilq; memorabile prorsus præstitit, nisi quòd sedem regiam Cracouia Crusficiam transtulit. Oppidum illud est situm in ora Cuiauiensi inter paludes ad lacum Goplo. Cuius instituti multæ causæ referri solent. Sed illa potissima fuisse creditur, quòd homo meticulosi & desidis animi quæsiuit antrum, vbi remotior ab Hungaris & Germanis, remotior à fratribus, à quibus sibi cum primis metuebat, securius viueret, & à negotiis Reip. alienatus indulgeret ventri, & iis, quæ sub ventre sunt. Sed non diu animi proposito frui concessum ei fuit. Priusquam enim ad illam amplitudinem honorum euectus est, & fratribus visendi sui copiam fecit, in morbum incidit, ac ita demum non longè post lenta ægritudine & solicitudine conseruandæ vitæ consum-

Sedis regiæ translatio.

tus est. Vsque adeo nihil est durabile in hac caduca & mortali vita. Verè igitur eum alloquitur Poëta noster.

Successisse etiam patris te laudibus æquum,
Non tantùm vitijs Imperioque fuit.

DE MORE POPELI SE EXECRANDI, EX MIECHOVIENSIS HISTORIA.

Morem se execrandi habuit Popelus vt sæpissimè huiusmodi verba pronuntiaret, ô vtinam à murib⁹ corroderer; quod quanquam non ipsi, filio tamen eius accidit, vt referunt scriptores.

POPELVS IVNIOR.

Anno ab orbe condito 4792.
Anno à Christo 830.

IVstis funeri Popeli senioris persolutis, iunior concordi optimatum suffragio & patruorum assensu in regem eligitur ac inauguratur, datoque & accepto iureiurando rerum potitur, cunctis ipsi se subiectos fore promittentibus. Et verè quidem dictum est: Non domus dominum, sed dominus domum cohonestare debet. Sed Popelus Crusficium ignobile oppidum, inhabitans vita sua etiam ignobili⁹ reddidit. Statim enim primum iuuentutis florem nequiciis contaminauit & ingluuie. Designati ei cranr tutores, sed puer perditissimus arbitratu suo viuendo iugum eorum mox excussit. Nihil iuuit eum autoritas procerum ei adiunctorum. Hæc conciliauit ei vxorem, sed remedium cessit ei in deterius. Nam, quæ ante vitia contraxerat permanserunt, & quorum adhuc expers fuit, veteribus noua adiecit: compotatio, choreæ, crapula, amplexus puellarum, cum æqualibus consilia capere, in multam diem stertere, hæc iamdiu ei in vsu erant: porrò auaritiam, fastum, crudelitatem hæc ab vxore Germana primùm didicit. Adeoque prioribus suis quasi priuatis vitiis publica etiam addidit. Decreta & honores vendere, distributiuã iustitiam susq; deq; habere, quos videbat conformes suis morib. magistratus commendare, dignos & idoneos prę terire, crudelitate principatum sibi stabilire moresq; isti in vsum ita iam abierant, vt, qui secus sentiret, ab assentatoribus aulicis pro turbatore haberetur. Hæc autem omnia faciebat, vxore in eo vitia alẽte & quotidie nutriente. Cum autem in eo præter has animi labes, etiam deformitas corporis appareret. (Fuit enim distorta facie, raro capillo, imberbis, improbo aspectu) ipsa vxor eo despecto ad augendam rem priuatam sese conuertit. Omnia munia regia ad se callidè & sensim attraxit, ita vt maritus rex quidem nominaretur, & pro rege se gereret: sed

Popeli iuuenilis ætas.

Priuata eius vitia.

Publica.

Persona Popeli distorta.

iustitiæ

iustitiæ administratio, fisci potestas penes vnam mulierem esset. Ideo vsus iam obtinuerat in aula eius, vt emergere nemo posset, qui vera virtute niteretur sed adulatores, mimi, histriones, compotores, lenones, vnicè abeo colebantur. Indies autem iis vitiis in ea muliere inualescentibus cum Popeli patrui & alii boni viri ægerrimè talia ferrent, eiq́; sese opponerent, creauit eis pericula, quodq́; peius est, nouum & adhuc in Polonia inauditum consilium de tollendis eis aggressa est, vinumq́ue veneno medicatum eis propinat ac ita eos enecat, idq́; non modò consentiente, sed etiam adiuuante, proh scelus, marito.

Mores aulæ Popeli deprauati.

DE MORTE POPELI ET VXORE EIVS A MVRIBVS ABSVMPTIS EX ALIQVOT HISTORICIS.

Quanquam autem liuores corporum, & effusa præcordiis viscera, manifestum veneni indicium faciebant, nemo tamen indignum optimorum principum interitum apertè deplorare ausus est, metu tyranni. Sed non sinit inulta esse diu diuinum numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures inusitatæ magnitudinis, impium parricidam cum scelerata vxore atq; liberis fugientem cum horrendis sibilis quoquo versus per aquam flammamq́; persequuntur: nec claustra prosunt aut abigentium satellitum præsidia. Ad extremum diffugientibus omnibus absumptis prius filiis, deinde vxore, postremus ipse infœlix miserabiliter lenta morte consumitur in arce Crusficia. Ita non in cassum cecidcrunt patris eius imprecationes. Iuxta illud Poëtæ.

Nam ter iniecto igne propellere eos volebant aulæ serui, sed non poterant.

Narrat Miechouiensis Arnolphum regē Galliæ consimile quid olim passum fuisse.

Est Deus est scelerum vindicta & pœna malorum
Vnde putes minime posse venire venit.

Hæc euenerunt circiter annum 830. Vt autem priuata illa delicta priuatæ pœnæ, sic publica publicæ sunt secutæ. Non enim hæsit in iis, quæ commemorauimus vltio Dei, grauiora sunt secuta: pestis fames & istis adhuc deterius interregnum turbulentissimum, quo non modò res Polonorum in deterius verti cœperunt, sed vniuersæ Reipub. Slauorum status à summo illo culmine ad imum procumbere & labi cœpit. Nam mox deinde orientalium Slauorum exercitus trecentorum millium, vnà cum duce vel rege eorum Suedislao victus est, & rex ipse à Bossinis oppressus fuit. Bulgari quoque, qui & ipsi Slauorum gens erant, per id tempus, aut non ita multò post à Basilio Orientis Imperatore magno prælio debellati sunt, & nouo crudelitatis exemplo, si modò in historico fides non desideratur, quindecim millibus captiuorum oculos eruit, in singulis tantùm centuriis vno monoculo relicto, qui sociis reuertentibus ad suos vnde venerant, dux itineris & monstrator viæ

Slauonum Respublica quando cœpit collabi.

Basilij Imperatoris crudelitas in Slauos.

tor viæ eſset. Hæc in oriente acciderunt. Ad occidentem verò, Hiſtorico Mutio referente, inter duces Polonicæ ſiue Slauonicæ gentis, filios exiſtimo Leſcii Tertii, quibus ad Albim flumen poſſeſsiones pater attribuerat, ciuilia bella ſecuta ſunt, ita vt poſtea de principatu contendentes cum ſumma infamia Slauicæ gentis arbitrio extranei principis Ludouici Pii Caroli Magni filii rem totam ſubiecerint, coramq; eo ſtrepitum iudiciorum experiri non erubuerint. Sed illa, quæ dicta ſunt de Slauorum calamitatibus ad orientem poſteriora fuiſse exiſtimo. Tempore nimirum interregni, de quo mox dicemus, aut regnante Piaſto, hoc eſt circa annum 860.

Slauorum occidentalium diſſidia.

INTERREGNVM.

INterregnum hoc longius fuiſse prioribus exiſtimo. Duraſſe enim illud ſupra vigeſimum ſextum, vel ſeptimum annum opinor. Nec difficile eſt coniectare deficiente rege, quæ & quanta mala ſtatim obrepſerint. Nam præter alia detrimenta, quibus hæc Reſpub. affecta eſt, illud ſane non poſtremum fuit, quòd inter ſe neminem inuenirent cum autoritate, cui concrederent controuerſiæ illius decidendæ munus, quæ inter Principes ſuos Germanos oborta erat. Igitur Francofurtum vſq; proficiſcuntur vtq; cauſam cognoſceret, Imperatorem appellant. Interim Germani ipſi nacti occcaſionem dum pro ſe quisq; ageret, fines carpere, prædas agere ex ipſis non deſierunt. Quibus malis fatigati ac ferè non conſumpti Poloni indicunt Cruſiciæ comitia, ac tandem vt modus malorum illorum inueniatur, inter ſe deliberant. Sed ambitioſis magnas poſt ſe trahentibus factiones, vtque diutius interregni licentia poſſent abuti, rem totam corrumpentibus, infecto negotio diſceditur. Duplicatur igitur malum, & prioribus maiora damna accumulantur. Quib. viſis ii qui melius ſentiebant, penè obſtupefacti diutius hæſerunt, donec ab infirmis mediocres, & à mediocribus ſublimiores partim probris, partim minis impellerentur, & extimularentur, vt priuatorum compendiorum obliti de creando quamprimum rege abſq; mora conſultarent. Itaq; neceſsitate compulſi comitia rurſus eodem in loco id eſt Cruſiciæ indicunt. Non deerant & tum maleuoli peſtes Reipub. qui obliti communis parentis ſuæ, Reipub. inquam, ſecum minimè expendebant, quòd publicis commodis neglectis, etiam priuata ægrè ſuſtentantur. Et perrexiſsent haud dubiè iſti vlterius inflare ſimpliciores, & extendere in longum conſultationes, quæ in medium adferebantur, niſi Deus præter opinionem ad eligendum Piaſtum

Priuata ſtudia rempore interregni.

dum Piastum hominem plebeium mentes fluctuantium extimulasset. De qua re iam nobis dicendum erit. Quod autem non ita cito, vt boni viri desiderabant, electus fuit rex, haud dubiè irascentis peccatis supremi numinis potentia obstitit. Sed alia propior causa non latebat, prudētiores, nimirum, quòd modum eligendi futuri regis in promptu non habebant, qui modus quoniam hactenus per septingentos hosce annos non est inuentus, licet aliquo modo delineatus, profectò peccatis nostris imputandum est. Et sæpius bonos viros audio querulis vocibus deplorare hanc nostram incogitantiam & securitatem, qui experientia edocti sapere tamen nolumus. Nec videmus grauissimam iram Dei nobis hac de causa impendere, quam veluti in vagina patientissimè diu reconditam habet.

Causæ cur tardè & difficulter regum electiones perficiantur & absoluantur.

PIASTVS.

Anno ab orbe condito 4804.
Anno à Christo. 842.

REbus Polonorum laborantibus & ad interitum spectantibus Deus Optimus Maximus succurrit, datq; regem illis oppidanum illius ciuitatis, nempe Crusficiæ, cui nomen fuit Piastus. Pater eius fuit homo tenuis fortunæ admodum, nec reperiebatur quisquam hominum, qui crederet, aliquando limen ædium eius tantos honores potuisse intrare. Et certè quicquid euenit, Deo est imprimis acceptum referendum, sed si vlteriora respicias, hospitalitas cum liberalitate ei viam patefecit, vt sententia cunctorum idoneus ad capessendos fasces amplissimi regni iudicaretur. Cum enim esset homo priuatus non modò obuios quosq; placidè & peramanter in ædes suas prensando recipiebat, sed etiam optimatibus ædes & penus eius patebat, hoc verò cum alias tum maximè, quando comitia causa eligendi regis celebrabantur, faciebat. Comprobauit autem Deus tribus signis eius regnum: PRIMVM signum fuit miraculum non vulgare. Nam cum ex ingenita bonitate cunctis è penu suo & cella largiretur affatim, nullum tamen detrimentum nec diminutionem vasa & penus eius senserunt, quinimo quò largiore manu cuncta cunctis depromebat, eò largius ei omnia affluebant plenaq; nihilominus vasa reperiebantur, & mactra depsita pasta redundabat.

Liberalitas Piasti.

Secundum est documentum regnum eius ex Deo fuisse, quòd posteritas eius semel amplexa religionem Christianam durauit fere quingentis annis vsque ad Cazimirum Magnum, quin ad extremum reliquiæ eius micant ad huc in progenie Tesnienſium Ducum in

cum in Syleſia & Bregenſium, Legnicienſiumq;. Fuit non ita pridem hic in medio noſtrûm Anna filia Conradi Ducis Maſouiorum, cuius filia nupſit primò Ioanni Tarnouio, deinde Koſtkæ Palatino Sedomiriēſi qui ex ea duas ſuſcepit filias. Fœmina hæc fuit lectiſsima religionisq; cumprimis ſtudioſiſsima, omnibusq; bonis meritò laudata. Diu ergo durauit poſteritas Piaſti, ſed & ipſe ad multos annos produxit vitam & regnum ſuum. Nam pro certo affirmatur, eum vixiſſe viginti ſupra centum annos, ſapienterque ac clementer ſubiectos ſibi populos imperio rexiſſe. Quæ res nobis pro tertio documento eſſe poteſt, eius regnum diuino fauore & auxilio cœptum & ad extremum defenſum fuiſſe. Fuit homo ſtaturæ mediocris, vaſti tamen corporis, figuræ vt loquuntur, quadratæ. Mores eius ſimplices, compoſiti tamen & amabiles. Hic ſedem Crusficia parricidiali ſanguine à Popelo deſœdata Gneſnam iterum transfert, ibiq; domicilium ſuum figit. Finis eius regni in annum 895. incidit, quo anno Slaui orientales, Vararius, Ruricus & Tubor iecisse fundamenta Kiouiæ ampliſsimæ vrbis dicuntur. Porrò eodem Piaſto regnante Lodouicus ſecundus Imperator ad occidentem ſedem tenuit, quo imperante Lodouicus Balbus contra Slauos bellum geſsit, eorumque ducem Raſdlie dictum, vt H. Mutius refert, excęcauit. Imitatus ſcilicet tyrannide Baſilium Imperatorem orientis, qui ſimili quoq; pœna exercitum Slauorum, vt ſupra retulimus, affecerat. Hæc de Slauis ſolemus aſcribere, vt exordium & progreſſus regni Slauici, & quibus in rebus regno Poloniæ conferri poſsit, melius conſpici queat.

Reliquiæ poſteritatis Piaſti.

ZIEMOVITVS PRIMVS.

Anno ab orbe condito 4857.
Anno à Chriſto nato. 897.

PIaſto filius ſucceſsit Ziemouitus, qui antea patri ſupra modum ſenio confecto veluti ſocius regni adfuit. Hic cum eſset impigro animo, ea quæ erant Popelonum negligentia amiſſa, recuperare ſatagit. Nec eius conatibus fortuna defuit. Slaui enim tunc meridionales duce Suatoplugo ex Pannonia & Morauia progreſsi Germaniam vehementer afflixerant, contra quos Arnolphus Imperator Hungaros euocat, qui Slauos profligarunt, & Suatoplugum regem eorum, qui recens Chriſtianam religionem amplexus erat interfecerunt. Sed rurſus cum eis merita ſtipendia Imperator non perſoluiſset, cōuerſis animis iram ſuam in Germanos effundunt, magnaq; clade afficiunt. Dum igitur iſti vario Marte inter ſe decernunt, Polonus occaſione nacta, ſua de

Suatoplugi mors.

ſua de Morauis facilè recuperat, præſertim cum Suatoboius filius Suatoplugi per ætatem rebus labentibus ſuccurrere non poſſet. Atq; hic eſt ille Suatoboius, qui Methodium Slauorum primum apoſtolum ſupplicio affecerat, & ob id Diis & hominibus inuiſus in auia & ſyluas conceſſerat, tandem in monaſterium ſe abdens, pœnitentiam agendo, finem vitæ ſuæ & regno Slauonico in Pannoniis & Morauia impoſuit. Lætus hoc ſucceſſu Ziemouitus rurſus ad occidentem exercitum contra Pruſsos & Popelonidas, qui iam magna ex parte ad Germanos defecerant, exercitum duxit, iiſque domitis, & à Pruſsis rebus & prouinciis vindicatis, placidè animam efflauit. regnauitq; triginta duos annos. Habemus iam hiſtoriam complectentem finem regni Slauorum Pannonicorum. Sub idem etiam tempus Conſtantinus Monomachus Orientis Imperator dicitur Roxolanos Slauos nauali prælio viciſſe, & reliquis eorum Boſnæ domicilium dediſſe. Bohemici etiam regni conuerſio facta eſt ſub illud tempus in Thaſillo rege. Vandali etiam & Sorabi occidentem verſus ad Germanos magna ex parte tranſitionem fecerant. Soli Poloni Dei beneficio, qui erant præcipui tutores illius confœderationis Slauonicæ, intrepido animo vſq; ad eam diem ac deinceps permanſerunt. Et licet res eorum Germaniam verſus acciſæ ſunt diſsidiis Ducum, qui primo à Leſco Tertio, deinde à Boleſlao Criuouſtio oriūdi erant, tamen poſtea cum fœnore ſeptemptrionalibus prouinciis aucti detrimentum acceptum reſarciuerunt.

Suatoboi exitus & regni Pannonici periodus.

Boſnenſes ſedes fixeruut.

Slauonicæ cunctæ gentes attritæ, Polonia excepta, quæ fuit præcipua tutrix Slauonicæ confœderationis.

LESCVS QVARTVS.

Anno à condito orbe 4854.
Anno Chriſti 902.

HIc princeps merito inter bonos gubernatores numerari debet: ſed oblitus ſuperiorum regum anteceſſorum ſuorum, qui Slauonicæ confœderationis præcipui tutores videri volebant & reuera erant, principibus Slauonici nominis, qui ripas Albis ſpectabant, cum grauiſsimo vrgerentur bello ab Imperatoribus Romanis, ferre auxilia neglexit. Itaq; à rege & tutoribus cum opem fruſtra imploraſſent, ſeruientes tempori tributum pendere coacti ſunt, vnde factum eſt vt Sgorzelecia ſiue Brandeburgum in Germanorum ditionem ceſſerint. Commemoratur hîc à quibuſdam atrox prælium ad Lachninum, in quo gentis Slauonicæ ad bis mille periiſſe dicuntur. Commemoratur & aliud Leſci bellum ſociale contra Pomeranos. Nam etſi Leſcus fuit princeps ocii quàm bellicæ gloriæ amantior, tamen ne dominio ma-

ris prorsus excluderetur, cum alias prouincias viciniores Germaniæ defendere neglexisset, hanc tamen negligere nequaquam voluit. Vsq; adeo tum Poloni magnifaciebant possessionem maris,& nauigationum commoditates, vt mallent multorum ducatuum, qui regno conferri possunt, & infinitarum vrbium & vicorum iacturam pati, quàm se à maris dominio excludi & nauigationis commodis priuari. Tenebant enim omnium veterum hominum consilium, q insulas & littora maris libentiùs occupabãt: quod à Germanis vicinis nostris sedulo obseruari hactenus videmus. Nunc malum⁹ campestria curare, agros stercorare, arare, occare,& quæ magno sudore & labore congessimus, aliis distrahenda cum magno damno & infamia nostra, permittere. Maximi tunc motus in tota Europa insurrexerunt. Nam translatio Imperii à Francis & Gallis ad Germanos magnos secum tumultus & bella trahebat. Sub id etiam tempus, Bohemis regnum abrogatum, Slaui vicini Albis ripæ ad Germanos defecerunt. A Germanis præfecturæ limitaneæ institutæ sunt. Marchia Brandeburgensis Henetis opposita est. Contra Sorabos Marchia Landsburgensis. Contra Polonos Sylleſios Marchia Mysnensis, contra Danos, Marchia Schleuicensis in Cymbrica Chersoneso. Necesse est igitur Lescum fuisse synchronum Ludouici quarti, & Conradi vltimi, qui prodiit ex prosapia Caroli Magni. Ac fortassis etiam attigit annos temporum Henrici Saxonis q Auceps dictus est, cui hoc inuentum instituendorum Marchionatuum tribuitur. Fessa enim Germania continuo bello cum Slauis, cum de defensione limitum deliberaret, minus incomodum visum est defensores limitum seu Marchiones constituere, amplis prouinciis eis attributis, quàm, vbi datum signum esset de aduentu Polonorum, totum Imperium commoueri, aut saltem sumptibus totius Germanię ingentes exercitus in finibus contra illorum incursiones alere.

Dominium maris plurimi faciebant veteres Poloni.

Marchionatuum institutorũ finis.

ZIEMOVITVS SECVNDVS.

Anno à condito orbe 4883.
Anno à Christo 921.

PAuca admodum de rebus gestis huius regis traduntur,& ferè omnia in historia Mieciſlai filii eius comprehendi poterant. Vt tamen filum historiæ non abrũpatur,& chronologica ratio dilucidiùs explicari possit, non piguit huic etiam principi suam paginam attribuere. Hoc enim vel ob id iurè à nobis illi debebatur, quòd nobis procreauerit filium Mieciſlaum illustrem prinicipem, cuius auspiciis Polonia Christo nomen suum dedit.

dedit. De cuius miraculosa à cæcitate sanatione, in qua natus erat, historiam prætereo. Neque enim mei instituti est, ea, quæ alii prolixè & eleganter tradiderunt, repetere, aut cum eis stylo contendere. Satis me functum officio putabo, si originem veram nostrarum gentium explicauero, huicq; explicationi ex subsequenti historia, quam tradiderunt Chronologi nostri eiusque circumstantiis lucem adiecero, præteritaque cum consequentibus quàm aptè & concinne sibi cohæreant, demonstrauero. Ideo & vicinorum res sæpe cõmemoramus, & quæ interea tam ad occidentem quàm ad orientem euenerunt, atteximus, vt compositis componendis, totum corp⁹ historiæ quàm solido fundamento nitatur cerni queat. *Institutum autoris.*

Anacephalæosis historiæ Slauonicæ.

Resumens res actas à Lescone Secundo vsque ad Miesconem, sub quo Polonia Euangelio nomen suum dedit, hoc est, à Carolo Magno vsque ad Otthonem Magnum Imperatores Romanorum per 140. annos.

805. Lescus Secundus cum exercitu Caroli Magni dimicat, & in pugna illa occumbit, vt quidam affirmant: sed id nullius idonei autoris testimonio comprobant, nisi Abbatis, qui tamen non Lescum sed Lechum hunc Slauum nominat. Notum est autem ex historia, quæ præcesit, Lechum ducentis annis ante morte naturali ex hac vita decessisse.

807. Hoc anno cum Chumoid dux Rhodum vastaret, asserunt eum à diuo Nicolao naufragio punitum, vnde mos canendi inoleuit: Sancte Nicolae, tu nos ad portum trahe. sed hoc tempore de nullo sancto Nicolao quidquam legimus. Forsan igitur hæc reiicienda sunt in aliud tempus.

809. Hoc anno, mense Augusto, Nicephorus Constantinopolitanus Imperator, contra Persas bello infeliciter gesto, in Bulgaros mouet, emuncturus ab eis argentum, quo pactam pecuniam dissolueret. Sed acie victus & cæsus est, cùm imperasset annos nouem. In eodem prælio Stauratius Nicephori filius vulnus accepit.

810. Bulgari ad Strimonem fluuium Romanos vincunt, multosque eorum duces occidunt, Sardicam capiunt. Volunt autem Bulgaros dictos à flumine Bolga, quasi Roxolanos Volgę accolas

810. Hoc tempore in Polonia Lescus Tertius regnabat. *Lescus tertius.*

812. Michäel Curoplates cognomento Rangabe Imperatorem infeliciter aduersus eosdem Bulgaros gessit; ita vt postea desperatione ductus in monasterium se abdiderit vnà cum filio. In eo prælio robur exercitus Romani periit, qui auxilio Græcis venerat. Periit

rat. Periit & Asbaldus dux copiarum viuus igni crematus ab hostibus. Qui tunc etiam Bosnam, Dalmatiam, & alias regiones vsq; Iustinopolim metropolim Istriæ Italicæ prouinciæ, quæ nunc Venetis paret, dominio suo subiecerunt. Volebat tum Algimundus rex Lõgobardorum illa vrbe eos depellere: sed & hunc cum exercitu ad internecionem propemodum deleuerunt, ipsumq; interfecerunt. Vnde postea Epeirum (Albaniam nunc vocant) totamq; maritinam illam oram Imperio suo adiecerunt. Vocantur nunc illæ vrbes, Iablaniec, Suuatigrod, Iaice, Lysa, Mokra, Bielogrod, Dobra, Kroia, &c.

Finis annalium Constantinopolitanorum.

814. Leo Armenius Imperator Bulgaros magnis cladibus affecit. Iam hic annales Constantinopolitani deficiunt.

821. Michäel cognomento Balbus Imperator ex Amorio Phrygiæ oppido veritus fortunã Bulgarorum cum eis triginta annos inducias pepigit, eorumque opera Thomam, qui affectabat imperium, profligat, captumque brachiis & pedibus truncatum interemit. Hæc & sequentia acciderunt Popelo seniore in Polonia regnante.

Popelus Senior.

823. Hoc anno H. Mutius refert duos fratres Slauonicæ gentis de principatu paterno coram Lodouico Pio Imperatore Francofurti contendisse, quodque is minori natu regnum detulerit, subditis hunc præferentibus, & ad regnum inuitantibus. Conquuntur hic scriptorẽs Germanici de difficultate historiæ temporibus Caroli Magni & laborant in inuestiganda annorum supputatione; sed & Polonicis idem accidit. Dubitant enim quot annos Lesco primo & secundo tribuant. Tandem ex autoritate H. Mutii finem vitæ Lesci tertii in annum 823 reiiciunt. De quare consule D. Cromerum in historia eiusdem Lesci tertii. Aliud dissidium emergit de ætate Suatoplugi illius clarissimi Pannonum regis. Quidam enim ad annum 744. referunt, quidam verò eum circa annum 808. periisse tradunt. Sed de hac re in Ziemouiti historia lati⁹

Historiæ difficultas & perplexitas istis temporibus.

824. Hoc anno Bulgari ad Lotharium Lodouici filium Imperatorem occidentalem Aquisgranum comitia habentem veniunt rogatum vt inter Francones & eorum ditiones terminos definiat. Abbas autor.

828. In Vasconia in Galliis quiddam pluit de cœlo frumento simile. Annotant autem scriptores Vasconiam olim Rutheniam vocatam fuisse, esseq; Vascones reliquias Russorum qui cum Gothis & Vandalis Galliam & Hispaniam penetrarunt. Sed alii negant Russos Ruthenos debere dici. Hoc verò eo consilio faciunt, vt hominibus probent Russos nouam gentem esse in his regionibus, nec an-

bus, nec anteceſsiſſe illa tempora, quando ex Roxolania in Poloniam huc veniſſe Slauos, Germanis pulſis, perſuadere volunt. Hactenus indiſcriminatim Ruthenos & Ruſsos Raſcios vocarunt. Sed de iis rebus poſtea.

840. In hunc annum incidit interregnum illud poſt obitum Popeli iunioris regis Poloniæ, quando aliquoties comiciis habitis ob priuata ſtudia & domeſtica odia, nouo rege non creato, proceres diſceſſere. Et niſi Deus collabenti Reip. adiutricem manum ſuam ſuppoſuiſſet, actum fuiſſet de rebus noſtris.

845. Michäel Theophili Imperator cum Bulgaris pacem facit reddita regi ſorore, quam bello Græci ceperant. Hæc cum eſſet in Chriſtiana religione rectè inſtituta, perſuaſit fratri vt proethnica Chriſtianam fidem amplecteretur. Hac occaſione Bulgari peruenerunt ad cognitionem Chriſti. Et mirum eſt quo pacto ad eam rem adiecerunt animum inter illa diſsidia acerbiſsima de imaginibus, quæ maximè hoc tempore vigebant. Nam quas Theophilus Balbi Imperator qui hunc præceſſerat confringendas curauerat, eaſdem filius eius Michäel Theophili reſtituerat, reuocatis ab exilio Epiſcopis qui pro imaginibus retinendis pertinacius patri ſeſe oppoſuerant. *Diſsidia ob imagines in tẽplis.*

856. Ruſsi claſſe ad pontum Euxinum comparata, primùm in limites Græci Imperii irruerunt, ſed res eis non ſucceſsit. Hæc ex hiſtoria Conſtantinopolitanorum annotantur. Nam quæ Ruſſorum Annaliſtæ annotant, de tempore non conueniunt, vt ſuis locis annotabitur. Hoc tempore etiam annotant Ruſſos inita pace cum Imperatoribus, regionem illam occupaſſe, vbi Triballorum ſedes erant. Hæc demum Raſcia eſt appellata. Noſtri vocant Racouie.

860. Annotant hoc tempore, hoc eſt ſub finem regni Piaſti, Lodouicum Lotharii filium proſperè pugnaſſe cum Slauis, principemque eorum Raſtiz ob rupta fœdera exoculaſſe. Nomen ipſum Raſcia Germaniſatum indicat fuiſſe vnum ex illis poſteris Leſci tertii, qui iam ad Germanos defecerant ob eam cauſam, quòd circa inaugurationem Popeli eorum ratio non fuit habita, ſicuti ſperabant. *Raſticz princeps Slauorum*

859. Nicolaus Pontifex plurimum elaborauit, vt Bulgaros ad fidem Chriſtianam orthodoxam & obedientiam Romanæ eccleſiæ miſsis legatis viris idoneis, reduceret. Qua in re morem geſſerunt Pontifici. Nam eiectis Græcis ſacerdotibus qui vocabantur Fortiniani, à quib⁹ antea in eorum ſententiam pertracti erant, partes Romanæ Eccleſiæ ſecuti ſunt. Ac eorum conuerſionem re-

centem Deus glorioſiſsima nomini Slauonico victoria obſignauit, ſtatim enim poſt ſuam conuerſionem, cùm audiſſent Saracenos Gallias vaſtaſſe, Hiſpanias debellaſſe, iamque in Italiam pedem inferre & Garganum montem in Apulia tanquam arcem belli occupaſſe; illi nil morati claſsibus & copiis comparatis voluntariè terra mariq; eos aggrediuntur & oppreſſos contrucidant. Scribunt ad triginta millia iugulatos fuiſſe ex Saracenis. Nam euadendi occaſio eis præciſa fuit, cum eorum triremes & naues antea mirando artificio, igne Græco aquas nihil timente eis imimiſſo, abſumptæ fuiſſent.

Slaui Saracenos vincunt.

861. Ab hoc anno Ruſſorum gens annales ſuos de conditoribus ſuis auſpicatur.

861. In hunc annum etiam expeditio Ruſſorum illa, de qua multa magnificè prædicantur, refertur. Ferunt, tunc eos claſſe inſtructiſsima comparata, Conſtantinopolim Duce Olechone petiiſſe. Vbi poſt obſidionem vrbis arctiſsimam Imperator auxiliis ſubſidiariis deſtitutus in gratiam Olechonis confugit, euisque fauorem ingentibus donis aucupatur. Placatus igitur Olechus mutato conſilio obſidionem ſoluit, ac in memoriam eius expeditionis, arma ſua, equum currentem clypeo inſculptum, quo hactenus pro inſignibus Magnus dux Moſchouitarum vtitur, ad portam appendit, qui hactenus depictus in eadem porta, quam Galatinam vocant Conſtantinopoli viſitur, & à Conſtantinopolitanis inter antiquitates vrbis illius aduenis monſtratur. Originem ſigni iſtius ad equum, quo plurimum hic Lechus delectabatur, referunt, dicuntq;, fatidicos Ruſſorum Kiouienſium huic Duci paranti ſe ad bellum denunciaſse, eum eousque ſuperſtitem manſurum, quo ad equus ille ſuperſtes eſset, ſed equo mortuo, & caluaria eius ad pedes abiecta cum vatum illorum artem friuolam traduxiſset his verbis: Vtinam verò Sagis idem fatum accidat, quod meo equo: Ecce interim, dum cranium pede protrudit, dira vipera ex eo proſilit, & pedem eius lædit, quo vulnere accepto, breui contabuit & expirauit. Hæc Annaliſtæ Ruſsorum annotant, quos Latopiſos illi, id eſt per annorum ſeriem hiſtoriam ducentes lingua ſua propriè admodum vocant.

Origo equi quē pro inſignibus Moſchorum Dux gerit.

Annaliſtæ Latopiſi dicti.

862. Circa hæc tempora Slauis etiam in Morauia Euangelium à Cyrillo annunciatur, autore Michäele Imperatore Cõſtantinopolitano, adhuc ſuperſtite Piaſto, ſed ſene iam tum admodum. Non eſt autem exiſtimandum hęc dici de illlo Cyrillo Hieroſolymorum epiſcopo, qui aliquot ante ſęculis Iuliani Imperatoris temporibus floruit, ſeu de illo Alexandriæ epiſcopo, qui Theodoſio iuniore impe-

iuniore imperãte vixit,& aduersus eũdem Imperatorem Iulianum scripsit,sed de quodam alio, de quo magna erat opinio,gentili Slauorum, quem Pontifex vnà cum Methodio Romam euocauerat, quò eos moneret, quo pacto erga gentem istam se gerere deberent. Ac inter colloquendum cum Pontifex quodammodo expostulasset cum eis, quòd absque ipsius consensu lingua vulgari Slauonica sacra tractarent,Cyrillus respondisse fertur adducta sententia ex Psalmis Dauidicis:Omnis spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Ac cum multi multa in hanc & in illam partem disputarent,atque eam quæstionem sedulò versarent, tandem communi assensu itum est in hanc sententiam,vt Slauicæ gentis hominibus, ob linguæ illorum latissimum per varias nationes & dialectos vsum, patria lingua liceret sacrum peragere. Cuius moris vestigia paulò ante patrum nostrorum memoriam in suburbio Cracouiensi in templo sanctę Crucis extabant,sacerdote istîc populari lingua sacrum peragente. magistratu id non modò ferente, sed etiam autoritate sua & legibus illam institutionem protegente. De hac re lege Æneam Syluium in Chrono.Polon.libro primo, capite decimo tertio. Permanserunt nostræ gentis homines in fide Christiana ad hunc vsque diem.sed Bulgari offensi quibusdam institutis ecclesiæ Romanæ prætulerunt Constantinopolitanam sedem, cui vnà cum Russis hactenus parent, & obediunt.

Disputatio Cyrilli cum Pontifice de vsu linguæ Slauonicæ

869. Basilius Macedo Imperator Orientis Russis iterum nutantibus in religione Christiana persuasit, vt penitus valere iusso Ethnicismo,religionem Christianã sanctè & constanter colerent.

886. Leo Philosophus dictus Bulgaros, cum pace violata deficere cœpissent, suis & Turcorum armis confisus repressit.tamen postea eundem licet Philosophum simulatæ pacis conditionibus delusum ex improuiso circumueniunt, & magna clade afficiunt. In hac historia fit prima Turcorum mentio.

Prima Turcarum mentio.

906. Ziemouito apud nostros, Constantino Leonis f. in orientali Imperio regnãte, Bulgari quaternis expeditionibus vrbem Constantinopolim obsederunt. Adrianopolim bis cœperunt, & diripuerunt. In vltima expeditione,Thracia peruastata,in Macedoniam vsque penetrarunt.

Habes hîc historiam Slauonicam per annos centum quinquaginta, ex qua & res gestæ Polonorum illustrari possunt,& interregna, quibus historia nostra claudicat,suppleri. Ad hæc quæ gens stirpis Slauonicæ vbi hæserit,& quo tempore, cognosces. Nam alio tempore Croatæ, alio Rascii, Bulgari, Sorabi, ingressi variis occasionibus, occuparunt terras sub cognatis suis, aut Pannoniis

aut Dalmatis aut Illyriis. Quod si cui plus ocii & virium suppeteret, posset eam historiam, nostram methodum sequendo, locuplete tare. Et faceret hoc plurimùm ad illustrandas res nostrarum gentium. Probatur autem mihi illud argumentum eorum, qui affirmant Slauos non esse dictos ab vna gente aliqua, aut ab vrbe, aut à stagno, vt quidam scriptis prodiderunt. Neque enim ex æquo omnes hoc modo se eodem cognomine appellari passi fuissent. Multò minus audiendi sunt illi, qui verbositatis vitium genti nostræ ex hoc cognomine Slauorum affricare volunt; quorum vanitatem hac in patre irridere, est satis confutare.

Slauorum nomen non esse ab vna gente vel vrbe, nec à stagno deductum, vt quidam putant.

LIBER SEXTVS,

in quo comprehenditur historia regni Poloniæ, à temporibus Otthonis Magni vsque ad Cazimiri Magni Regis Poloniæ tempora.

PROOEMIVM.

ASSignaui & posui terminos Historiæ huius præstantissimos illos sex Principes, qui Magni sunt dicti. Et iam confecimus historiam Regum, qui interiecti erant inter tempora Caroli Magni & Otthonis Magni. Restat perficiendum à temporibus Otthonis Magni ad Cazimirum Magnum, hoc est, per annos 290. Tunc enim rursus Imperium à Gallis ad Germanos translatum fuit, tunc Hungari duce Geisa magnos motus ediderunt, tunc Poloni & cum his Pannonij aliæque Slauonicæ nationes religionem Christianam sunt amplexæ. Iamque appetit finis millenarij ab aduentu Saluatoris.

MIECISLAVS SENIOR.

Anno à condito orbe	4924.
Anno Christi	962.
Anno post aduentum Lechi in Poloniam	415.
Anno post Cracum & Cracouiam restauratam.	265.

VEtè dictum est: Conueniunt rebus nomina sæpe suis. Miecislaus enim iuxta nostræ linguæ proprietatem perinde sonat, quasi dicas Gladio laudem acquisiturus. Atqui hic reuera gladio sibi laudem quæsiuit. Nam & pri-

Nam & primus noſtrorum regum & ſummo animi ardore amplexus eſt verbum Dei, quod gladius à ſpiritu Dei vocatur præacutus, & ſuſcepta fide Chriſtiana, è veſtigio hoc ipſo gladio omnia idola gentilicia iugulauit, confregit ac ex fanis ethnico more inſtructis eiecit. Meritò igitur hoc nomen eſt ſortitus. Commeruit profectò hac de cauſa laudem immortalem, & inter omnes reges Poloniæ, quotquot erunt, veluti ſidus radians refulgere debet, ac vt Cicero de Poëta Homero dicebat, quod ille Græcos & Troianos Achillem, Aiacem, Hectorem, Æneam dimicantes prælianteſque ita viuis coloribus depinxerit, vt cum ipſe eſſet cæcus & viſu orbatus, nos qui videmus, & oculis præditi ſumus, videre fecerit, idem de hoc rege merito dicere poſſumus. Nam cæcus & hic erat natus, ſed ita, vt nos, qui videmus, & oculis præditi ſumus, videre fecerit arcanum Dei conſilium de gubernando & liberando genere humano. Nec modò ipſe tam maſculo animo hoc gladio contra Satanam dimicauit, ſed & ſubditi eius, (vt verè dictum ſit: Regis ad exemplum totus componitur orbis) exemplo domini moti, & teſtimoniis verbi eruditi ita in Euangelio profecerunt, vt inter ſacra ſacerdote Euangelium clara voce recitante ſtrictum gladium è vaginis educentes ſurſum attollerent, nec prius reconderent, quàm recitatio euis finiretur, quo ritu proculdubio innuebant ſe & totam gentem Slauonicam ita acres defenſores Euangelicæ profeſsionis futuros, vt mallent quiduis perpeti, vitam & opes ſuas profundere, quàm ſinere vnum apicem ex mandatis Euangelicis ſibi è manibus eripi. Hinc eſt quod Bulgari & ipſi Slauones circa annum octingenteſimum quinquageſimum nonum, baptiſmo iam accepto, cum audiſſent triſte nuncium, Chriſtianos eorumque loca à Saracenis in Italia ferro & igne abſumi, atque vaſtari, ſtatim coacto exercitu in Apuliam transfretarunt, & in Gargano monte cum Saracenis ita atrox prælium commiſerunt, & ſua pectora pro incolumitate fidei ita oppoſuerunt, vt triginta millia interfectorum proſtrauerint, exceptis iis qui fuga dilapſi erant. Sic & Poloni poſt ſuſceptam religionem primo duce Mieciſlao deinde filio eius Boleſlao Chobri multa inſignia facinora ediderunt. Nam Boruſsi, Pomerani, Iazyges, Samgitæ, Liuones & aliæ gentes armis eorum edomiti nomen ſuum Chriſtianis adiungere coacti ſunt & quod poſtea Cruciferorum ordines introducti, & expeditiones Principum Germaniæ, Regum, & Imperatorum ipſorum cum magnis impenſis dubio Marte belligerando præſtare vix potuerunt, hoc illi officium ſummo cum ardore pro Chriſtianis adimpleuerunt. Ex hoc ergo eorum feruenti animo ap-

Homero cæco confertur Mieciſlaus.

Circa Euangelij recitationē inter ſacra gladios euaginabant Slaui.

ti animo apparet ipsos fuisse verè aseclas Christi domini, meritoque Euangelicos appellari debere, quandoquidem eos non puduit Euangelii, ita vt & signis, id quod erant, designare, & quod signa significabant, re ipsa præstare contenderint. Hæc ideo libentius recito & commemoro, quia hodie proh pudor & dolor, pessimo exemplo, Christiani populi inter se diuisi ita infestis animis de quæstionibus legis dimicant, vt putes fideles cum gentibus, circumcisos cum incircumcisis, Turcos cum Christianis de summa rerum dimicare. Et cum vtraque pars magno consensu vnam confessionem fidei retineat & confiteatur, hoc est, tria orthodoxa symbola, tamen ita implacabili odio alii contra alios feruntur, vt Euangelici Catholicos, & Catholici Euangelicos conuiciis mutuò afficere, & non sine opinione quadam contumeliæ, nominibus ipsis Catholicorum & Euangelicorum alteri contra alteros abuti non desinant. Et tamen sicut Catholicorũ nomen quod hæresi opponitur, fuit & est maximi faciendum, ita Euangelicorum etiam in pretio semper fuit. Apparet certe maiores nostros, veteres inquam Polonos, hoc nomen adeo non erubuisse, vt etiam, dum à sacerdote Euãgelium recitaretur, omnes se nudato capite erigere, & quemadmodum dictum est, gladios è vaginis expedire pro magna laude duxerint, imitati scilicet exemplum Constantini Magni, qui codicem Euangelii sibi præferri publicè voluerit. Et Paulus Apostolus vas electionis palam de hoc cognomine gloriatur, inquiens: Non pudet me Euangelii. Sed iam ad historiam redeo. Cum igitur Miecislaus ad Deum se conuertisset, Deus etiam ad eum se conuertit, eique successum in rebus gerendis dedit. Nam & Russos cum ei bellum ciuile mouissent (pro cognatis enim à nostris agnoscebantur) coërcuit, & Bohemos regem suum agnoscere nolentes, quod esset puer, ad officium reuocauit. Regnauitque triginta quinque annos prosperè & satis fœliciter. Ergo hic princeps verè gloriam Slauonici nominis consummauit, dum non modò regna & prouincias ad eorum imperium adiecit, sed & Satanam, ne tantum sibi contra eos virium sumeret, repressit. Tunc enim regnum Dei vim magnam patiebatur, iam Bulgaris, iam Pannoniis, iam denique Bohemis & Polonis regnum Dei intrare contendentibus certatimque fidem Christianam amplectentibus.

Euangelici qui.

Dissidia in religione Christianorum deplorantur.

35. annos Miecislaus regnat.

HISTORIA DE HOLHA IMPERATRICE RVSSORVM.

Ad Miecislai tempora referendum puto ea quæ Russorum Chronicarii de sua Holha vel Helena narrant. Fuit hæc fœmina lectissima, & mari-

sima, & mariti supra modum amans. Cum enim Dreulanii, id est populi qui Sylvestrem regionem inhabitabant, maritum eius trucidassent, hanc iniuriam stupendo ausu vlta esse fertur, cuius stratagematis nec in Gręcorum nec in Latinorum historia quicquam simile legimus. Primò igitur quos potuit comprehendit & viuos terra defodit, alios igne circumiecto cum in balneis se lauarent, combussit. sed nondum satiata tali vltione, vrbem eorum admodum arcta obsidione cinxit, & pressit. Cum autem ea potiri non posset, erat enim partim natura loci & rerum opportunitate, partim industria humana insigniter munita, ad fœmineam astutiam decurrit. Misit in vrbem tali cum legatione oratores suos: Iam inquit satis indultum est iræ, iam ad sacietatem satis superq; vlta sum mariti necem, à vestris tamen munitionibus statui non discedere, donec tributum mihi contuleritis, quod quidem perexiguum erit; nimirum vt vicatim detis mihi & ad castra mittatis ternos columbos & ternos passerculos ad redimēdas vitas vestras, & vt hoc pacto testemini me esse legitimam Imperatricem oræ septemtrionalis. Suscipiunt conditionem obsessi, nec mora mittunt ei aues, quas exposcebat nomine tributi. At illa ellychnia pice illita & sulphure, insuper fomite adiecto iussit illis columbis & passerculis alligari & rursus in æera dimitti, quod vbi factum est, quælibet auis ad ædes vbi nidum & domicilium habuit è vestigio reuolauit, exitium toti vrbi ferens. Nam vbi in suis nidis consedere, ignis statim & incendium vrbis in mille locis simul & semel ab ellychniis illis alligatis exortum est, atque ita tota vrbs intra paucas horas in cineres & fauillas redacta est. Mox igitur auditur clamor ciuium & eiulatus mulierum & lactentium, discurritur passim per vrbem, & an incendium extinguendum, an verò hosti armis occurrendum dubii per vrbem discurrunt. Interim Holha militem in vrbem introducit, & passim occurrentes contrucidat nulli sexui parcendo, ita mariti necem vlta fama tanti facinoris non modò Russiam sed & vniuersum orbem impleuit, tandemque plenam victoriam adepta, Kiouiam cum triumpho rediit. Quomodo autem eadem Constantinopolim cum valido exercitu adierit eamq; obsederit, ac demum cum Ioanne Ziemiszka Imperatore Orientis in duciis factis in gratiam redierit, hæc in annalib. Moschorum, Russorum & Polonorum abundè describūtur. Illa sanè expeditio per occasionē hoc effecit vt & ipsa Holha & tota Russia baptismi sacramento accepto religionem Christianam amplecteretur. Iste fuit exitus illius expeditionis & attrocis belli.

In eiusdem Miecislai ætatem incidit victoria vel potius tyrannis Basilii

nis Basilii Imperatoris Græcorum qui dicitur deuictis Bulgaris quindecim millia eorum exoculasse, in singulis centuriis vno tantùm monoculo relicto qui eis dux itineris domũ redeuntib. esset. Sed Russorum annales referunt Imperatorem istum aut eius successorem à Suetoslauo Russorum Monarcha, qui fuit Holhę filius, acerrimè profligatum, totamque Græciam debellatam. Post illam glorioſissimam victoriam ferunt præcipuos Gręcię duces ad Russorum castra confugisse ferentes munera, auri magnam vim, argentique signati & non signati, pacem & veniam rebellionis deprecantes. Sed Suetoslauus omnia illa munera spreuit solis armis, hoc est gladiis, hastis, iaculis & alia ex ferro suppellectili bellica, quam Ruthenici scriptores Panadocmi, vocula Græca appellant, pro se retenta. Qua animi celsitudine, & heroico facto ita se comendabilem toti Græciæ fecit, vt eum sibi palam pro principe deligi poscerent, & qui armis vix debellari poterant, virtute illa bellica delectati subditos se ipsius libenter faterentur, poscerentque sibi gestiendo, talem Principem dari, qui magis armis, quàm auro, delectaretur. Hæc in annalibus Russorum habentur.

Ingressus Romam Otthonis Magni.

In eadem tẽpora incidit ingressus Romam Otthonis Magni. Commemorantur hic transactiones eius ab historiis, quas habuit cum Ioanne eius nominis duodecimo, atque etiam cum Leone Octauo. Nimirum de iure conferendi iuris patronatus Episcopatuum per annulum & baculum, vt vocant. Mittebant enim olim Imperatores hæc insignia iis qui Pontifices fieri volebant. Fecitq; idem Imperator tunc Ordinationes quasdam quæ ad modificandam potestatem Pontificum pertinebant. Sed antequam ea perficisset interceſserant antea non parui tumultus, & etiam captiuitates durissimas Pontifices pertulerant. De quibus rebus Platina & alii scripsere.

DE RELIGIONE VANDALORVM ET SLAVONICARVM NATIONVM INTER QVAS ET POLONORVM.

Quæ scriptores rerum Polonicarum in hoc argumento attulerunt, non vitupero, nec obseruationes eorum contemno, tamen meas quoq;, ad illustrandum hoc negotium perpaucis adscribam. Dixi superius his vocibus, Sarmatæ, Vandali, Slaui, & Poloni vnã gentem indicari, quæ tamen variè mutabantur iuxta rationem euentuum & temporum vicissitudines. Ideo Blondus Foroliuiensis sic ait. Populi isti non diu Slauorum nominationẽ tenuere: sed cum eorum pars Mauricii Imperatoris temporib⁹ in Dalmatiam Illyricumq; immigrassent, qui manserunt domi paulò post mutarunt nomina

runt nomina,& partim se Polonos,partim Bohemos nominauêre. Cùm igitur Sarmatæ vocabantur impense Dian am colebant, de cuius templo quod habebant in Taurica Chersoneso, superiùs dixi, dum Iulii Cæsaris tempora complecterer. Postea persequens Claudii tempora dixi quædam de eius templi celebritate, nimirum quòd ex spoliis Ephesini templi illud locupletare voluerunt. Hæc si coniungantur cum iis, quæ D. Cromerus attulit de cultu Dianæ seu Dzieuoniæ Ephesinæ à Polonis exhibito, non parum altera res alteram illustrabit. His addantur ea, quæ attulimus Augusti tempora persequendo de diui Pauli Apostoli & D. Andreæ laboribus in conuertendis ad Deum istis gentibus. Tandem de D. Martino & D. Hieronymo viris summis; qui cum essent homines eiusdem generis,fieri non potuit, quin & ipsi laborarint de promouendo euangelio apud suos populares. Nauauit etiam operam suam eis Cyrillus & Methodius & Theophylactus,qui in Mæsia, id est inter Bulgaros docuit. Extant Slauonica lingua opera eius. Fecit autem is Chrysostomi operum compendium. Sic ex duplici literatum Slauonicarum figura, quarum altera Bukouica, altera Cyrulica apud eos vocatur; et ex epitaphio Romæ Reginæ Bosnensium, quod extat in sacello templi magni,characteribus magnis descriptum. Ex iis (inquam) omnibus apparet,plerasque prouincias Slauonicæ gentis statim post tempora apostolorum amplexas fuisse religionem Christianam. Neque enim temere gloriari puto clerum Russorum magnoque consensu affirmare, se operâ Diui Pauli Andreæque Apostolorum conuersos esse ad fidem Christianam. Reuocanda autem sunt in memoriam,quæ superiùs ex actis Apostolicis & ex Epistolis ad Timotheum & ad Titum de iis rebus adduximus. De Gothis constat,quòd ante expeditionem illam Italicam amplexi erant Euangelium. De Vandalis etiam liquet ex Vigilii ad Trasimundum Regem Vandalicum, & ex pleriſque scriptis Diui Augustini, quòd iam tum Vandali connum erari se volebant inter fideles. De Slauis etiam,qui sunt propago Vandalicæ gentis, constat ex concilio Constantinopolitano sexto,quòd & ipsi iam tum ecclesias suas & Episcopos habebant. Legatur subscriptio synodi illius, quam suggestionem vocant. Fuit autem hæc synodus celebrata anno sexcentesimo octuagesimo. Ante verò D. Albertum annis 320. Quæ igitur de Bohemorum Pannoniorum duce Suatoplugo, Polonorum Bosinorum Mieciſlao & aliarum gentium Slauonicarum ab historicis conuersione ad Christianismum referuntur,intelligenda puto de publica & vniuersali ab omnibus ordinibus doctrinę Christianæ susceptione. Interim

Dzieuonia, Dzieuoia Dianæ etymon respiciunt.

Paulus Apostolus de Russis bene meritus.

one. Interim negari non potest eos lõgè antea habuisse initia non contemnenda Christianarum institutionum. vt ex hoc epilogo rerum à me commemoratarum liquet. Iam verò cum sub ethnica religione vixerunt, non admodum absurdè sensisse videntur. Vnum enim DEVM vt colerent, legibus sancitum apud eos fuit, quod ex Procopio de bello Gothorum liquet. Slauinorum inquit idem, nationes nõ ab homine aliquo vno reguntur, sed ab antiquo plebeia communiq; libertate viuunt, & idcirco res omnes, quæ vel vtiles sunt, vel forte difficiles in commune consilium deducunt. Ista hactenus à Polonis sanctè seruantur. Vnde legem illam sæpius allegant. Nihil in nos absq; nobis rex statuere potest. Apparetq; hinc non nouiter eos isthîc consedisse temporibus Iustiniani: quandoquidem vetera eorum Reipub. instituta non sine quadam admiratione recitat. Ideo addit: Sed ab antiquo plebeia communique libertate viuunt.

Slauis semper nil pretiosius libertate fuit.

DE BOHEMORVM CONVERSIONE.

D. Cromerus ex sententia Blondi Bohemorum conuersionem in annum 990. reiicit. Et ego eius sententiæ subscribo, licet pleriq; post Boriuoium annum 929. huic rei assignent.

DE POLONORVM CONVERSIONE.

Polonorum conuersionis annum assignant 965. Antiquiora sunt quæ de Slauorum conuersione adhuc tempore concilii Nicæni secundi retulimus. Antiquiora etiam ac vetustiora sunt quæ de Vandalorum Christianismo in Africa diximus. Omnibus autem antiquissima sunt, quæ de Mysiorum, Dalmatarum, & Illyriorum conuersione ex scriptis Diui Pauli attulimus. Hi omnes ad cognationem Polonorm pertinent.

DE RVSSORVM CONVERSIONE.

Etsi Zonaras historicus Græcus scribit, Russos amplexos fuisse dugmata christiana temporibus Basilii Macedonis, hoc est anno 863. tamen credibile est eos postea resiliisse. Nam de clarissima Imperatrice Russorum Holha, seu Helena conuersa ad Christianismum referunt id factum esse circa annum 963. Quare prior illa Russorum couersio fortasse publica non fuit. Quod verò Lambertus Saffnaburgensis circa annum 960. affirmat Russos ad Otthonem misisse Oratorem, vt sibi Episcopus christianus mitteretur ab eo, hunc Oratorem existimo vnum fuisse ex illis quos Wladimirus in omnes partes mundi miserat exploratum quæ religio esset possibilior ad credendum. Aut de Rugiis non de Rusis id exponendum, vt D. Cromerus demonstrat. Sed & ipse ita sentio certiora esse illa de Russorum conuersione quæ ipsimet memoriæ prodiderunt, nimirum eos circa annum à creatione mundi 6497. secundum

Wladimirus per Oratorem inquirit, quę religio in mundo optima.

cundum verò noſtrum calculum 4940. ſuſcepiſſe euangelium. Numerant enim Ruſsi, Græcos ſecuti, à creatione mundi annos circiter 1550. præter eos, quos nos numeramus. Sed ſi ab anno Chriſti aduentus tempus conuerſionis eorum numeres conſentient ipſi anno 980. id accidiſſe.. In ea enim ſententia ſunt plures & potiores autores, quòd præeunte eis Wladimiro ipſorum principe publicè amplexi ſunt religionem chriſtianam. Hic Wladimirus fuit filius Suatoſlai illius bellicoſi principis, nepos verò Helenæ, qui ſubacta Ruſsia tota orientali, occidentali, meridionali, ſeptemtrionali interfectiſq; deniq; omnibus fratribus Monarcham ſe Magnum totius Ruſsię voluit dici. Quo titulo magnus dux Moſchouiæ hactenus vtitur, eumque ab iſto Wladimiro accepit. Et, ſi Sauromatæ cognomen ex Hebræo exponatur, dux altitudinis, vt doctiores volunt; tunc iſti duo tituli, Sauromata inquam & Magn⁹ dux eodem reſpicere & idem innuere videbuntur. Nam quam nunc Moſchouiam vocamus Ptolomæus & alii Sarmatiam Aſiaticam vocant. Quod etiam linguæ Slauonicæ idem apud Moſchos qui apud Polonos vſus indicat. Hic etiam Wladimirus ex Nouogrodia magna, ſedem Kiouiam tranſtulit. Hic primò legatis exploratum miſsis, quę ſit religio in mundo, quæ melioribus fundamentis nitatur, amplexus eſt dogma chriſtianum rituſque & ceremonias eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in qua ſententia hactenus gens iſta perſeuerat. Tradiderat autem mihi quidam ante aliquot annos exemplum literarum, quas Oratoribus ſuis tradiderat ablegans eos per varias nationes exquiſitũ de religione, vt iam dictum eſt, & certò affirmauit ſe iſta deſcripſiſſe ex antiquitatibus Monaſterii Præmiſlienſis. Has literas in Polonicum exemplar inſeram, vbi Deo volente hoc opus patria lingua verſum fuerit.

DE HVNGARORVM CONVERSIONE.

Ante annum quidem 1009. Hungaros conuerſos fuiſſe ad fidem Chriſtianam tradunt; ſed certum eſt Stephanum regem paulò anteceſsiſſe hoc tempus. Is autem bellum geſsit cum auunculo Dziula ob ſuſceptam Chriſtianam religionem.

SCHEMA QVOMODO SVCCESSIVE ISTARVM GENS ALIA POST ALIAM CONSENSIT IN CHRISTIANAM FIDEM.

Bohemi anno	900		ante annos	683.	Post Boemos	65.
Poloni anno	965		ante annos	618.	Post Polonos	15.
Ruſsi anno	980	Ergo	ante annos	603.	Post Ruſsos	15.
Hungari anno	995		ante annos	598.		

CAPITA RELIGIONIS SLAVONICARVM NATIONVM ANTEQVAM SVSCEPISSENT REGVLAM CHRISTIANÆ FIDEI.

DE DEO.

His præterea (inquit) in lege cautum est & à suis maioribus proditum, inter Deos aliquem vnum, qui fulminis fabricator est, rerum omnium dominum ac solum esse vt credant, illiq; boues & hostias mactent, &c. Verba sunt Procopii. Hunc Deum fulminum Pyoranum fuisse vocatum à veteribus Polonis Chronicarii nostri ferè omnes scribunt, quem Pyorunum à Moschis etiamnum maximi fieri, coli, & iugiter ei ignem accendi testis est Sigismundus Eberteius & Guagnimus de Moschouiticis rebus. Habent enim Idolum quoddam & delubrum celebre in Nouogrodia magna, quod ciues illius vrbis præ aliis summè suspiciunt, de quo sic Guagnimus. Hoc idolum à Nouogrodiensibus præcipuo cultu latriæ adorabatur. Habebat autem formam hominis lapidem ignitum manu tenentis similem fulmini. Nam Perun Ruthenis & Polonis fulmen significat. In huius laudem & honorem ignis ex quercubus, qui perpetuo die noctéq; ardet construebatur. Quòd si negligentia ministrorum ad hoc officium obeundum designatorum ignem extingui contingeret, tum capitis pœna plectebatur &c. Existimo huius ignis eos morem ex Mose traxisse, per quem Deus iuge sacrificium instituit. Ignis meus, inquit, semper ardebit in altari, in Leuitico.

Fortunæ nihil tribuunt.

De prouidentia verò Dei sic Procopius ibidem tradit Slauos credidisse: Fortunam verò inquit, nec sciunt quidem nec alias vim aliquam in homines habere fatentur. Sed postquam sibi siue domi morbo correptis, siue in prælio constitutis è propinquo mors imminet iubentur quidem si incolumes fortè euaserint Deo confestim pro anima sacrificium facere. Vnde quàmprimum mortis illud discrimen defugerunt sacrificium ex voto & promissis absoluunt, & putãt fermè hoc pacto salutem sibi per sacrificia redemisse, &c. Habitant autem incondita tuguria & longo inuicem interuallo, callidi tamen siue malefici minimè sunt, sed in populando ac rapiendo Hunnicam seruant consuetudinem &c. Verba sunt Procopii: Dicit mox, vtramq; gentem tam Antas, quàm Slauos, vnam gentem esse, quos, inquit, Sporos prisci vocabant &c. Ideo Russorum nostrorum nomen idem significare putant. Nam Rossia idem est quod Græcis σποράδες. Sparsim enim hinc & inde, id est, sporadès habitabant, casasq; habitant plerumq; virgulteas plectili opere confectas.

Habitãdi mos & tuguria.

Antæ qui. Spori.

DE LITTERIS ET SIMVLACHRIS SLAVORVM.

De literis Hlaolicis, quòd à Bulgaris eas acceperint,& Bulgari à Græcis cautè est legendum. Nam Græci non modò Slauonibus sed & Romanis gloriantur se litteraturam tradidisse. Sed Cato refutat eorum sententiam, vociferaturque contra eos. Ostendunt Galli litteraturam introductam fuisse apud ipsos ante Cadmi in Europam ingressum, idq; opera Druidarum sacerdotum Gallicorum qui antiquitùs floruerunt apud Gallos & Germanos. Nã & Germani ostendunt litteraturam ad se inuectam adhuc ab illis Regibus qui post Tuisconem enumerantur in historia Babylonica. Ideo in Diodorum Siculum & Laërtium inuehit Annius, quòd sparserint illã narrationem de Græcis, quasi ab eis ad Latinas & alias Europeas nationes literæ allatæ essent. Propterea dixi cautè esse talia legenda. Vereor enim ne eodem modo glorientur Græci se Hieraoticas literas Bulgaris misisse. Constat enim ex historia quòd Zamolxis olim Magus vel Pytagoricꝰ ad Getas literas attulit. Meminit & Strabo Berebistem regem Getarum tẽpore Christi & Ceneum Magum sicuti olim Zamolxẽ artes ad eos liberales attulisse. Getæ autem iisdem in locis, vbi Bulgari postea dicti, sedes habuerunt. Fuit autem hic Ceneus philosophus tantæ autoritatis apud has gentes, vt cùm suaderet vites excindendas, ei paruerint. Ideo Ouidius cõqueritur, se in illis regionib. viuere, vbi vites non coluntur. Vide ea de re Strabonẽ libro 7. Berebistes rex vsus est oraculis Dianæ quæ ex antro edi aiebat, vt ita sibi dicto audiẽtes subditos redderet. Strabo etiam libro 7. montes sacros fuisse ipsis pro templis & delubris testatur. Inde Sagori mons à Ptolomæo in Sarmatia nominatur, id est, świeta gurá, eò quòd Dianæ illi dicatus fuerit. De religione Naharualium Elysiorum quos Sylleſios esse volunt sic Cornelius Tacitus memoriæ prodidit. Apud Naharuales antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed Deos interpretatione Romani Castorem Pollucemque memorant. Eius numinis nomen Alcis, nulla simulachra, nullæ peregrinæ superstitionis vestigium, vt fratres tamen venerantur, &c. Hęc ad verbum descripta ex Cornelio Tacito. Hos fratres Castorem inquam & Pollucem Poloni cum summa alacritate & tripudio in conuiuiis & compotationib. inuocabant, de quo ritu & consuetudine sic Martinus Cromerus Episcopus Elpergensis scribit: Hi Polonis Dii fuerunt. Sunt qui his addunt Lelum Polelum, quos in conuiuiis & commessationib. appellari adhuc audimus eosque Castorem, & Pollucem esse autumant. Hæc verisimilia esse

Litterę apud Gallos ante Cadmum.

Viri literati apud Slauos ante annos 1000.

Dianæ cultus Slauis.

Simulachrum Alcis apud Sylleſios.

Castor, Pollux

milia esse videntur. Et descriptioni Cornelianę valde conformia, vbi traditur Elysios vel Sylleſios, qui pars Poloniæ erant, plurimùm oblectatos esse memoria Castoris & Pollucis, vt iã audisti.

Carmen de Polonorum conuersione ad fidem Christianam.

Christe sub hoc ad nos veniſti principe ab hoſte,
Possessas stygio commiseratus oues.
Cesserunt idola tibi, Mars, Leda, Gemelli,
Cynthia, Pluto, Ceres, Iuppiter, Aura, Venus.
Fœmina te nobis ostendit prima, Bohemo
Sanguine, prima crucem nos docuitq; tuam.
Sis tu prima quidem nobis est cauſſa ſalutis
Ipſe Deus, mulier cauſſa ſecunda fuit.
Illa tuo tingi Mieſconem fonte maritum
Effecit, terra est tota ſecuta ducem.
Plurima tunc data ſunt tibi templa nouemq; Cathedræ,
Et quos ſacrifici dilapidamus opes.

An Berebistis regis Getarum factum laudandum.

Sed quia Berebistæ Regis nostrorum popularium Getarum mentionem feci, eiusque astutum factum in moderandis populis dominio eius subiectis commemorauí, non abs re fuerit per digressionem de hoc facto inquirere. Nimirum rectene vetustas senserit, Magistratibus ad retinendum vulgus in officio conducibile iudicans, fabulis ad astutiam compositis & in vulgus sparsis conscientiis mortalium cõpedes iniicere, vt ita videlicet ad parendum Imperio commodiùs trahi, duci & reduci possint. Videtur sane res plausibilis & speciosa sine gladio & armis homines effrenes & indomitos veluti vrsum circulo in rostrum iniecto, quò lubet ducere & pertrahere. Et exempla non desunt. Nam complures legiferi ita fecerunt: apud Græcos Pisistratus, apud Romanos Numa cum sua Nympha Egeria &c. Quin & autoritates complures ad eam rem comprobandam adduci possunt. Nam Plato & ante Platonem Pythagoras aliique Italicæ philosophiæ sectatores Rempublicam legibus tanquam ex cera formantes, hoc idem suaserunt. Sed animaduertendum est in ea quæstione discutienda, non omnia omnibus ætatibus conducere. Multa nunc obsunt quæ olim profuerunt.

profuerunt. Multæ medicinæ prosunt in ætate iuuenili, quibus si in senecta vtare plurimum obsunt & interitum minantur. Iudicabant olim, rei militaris periti pro re vtili clypeis vti oblongis in bello & loricis, at nunc contenti armis ferreis in aciem prodeunt etiam contra sagittiferos Scythas. Ita & seculo illo rudi & tenero quando adhuc sapientia omnis inter reges & paucos quosdam eorum necessarios ac familiares sedem & domicilium suum habuit, facilè fuit plebi imponere, superstitiones alere. At nunc quando tot Collegia doctrinarum sunt instituta, scholę oppidatim erectæ, typographiæ denique priùs ignotæ passim tandem receptæ, & alii mille modi inuenti sunt quibus inter homines omnis generis scientiæ propagatæ sunt, & mortales vsu rerum maiore edocti ad arcem scientiarum, vsque peruaserunt, alia nunc sunt rempora, alii mores. Dies diem docet, vt est in prouerbio. Nunc quid sit Deus & quomodo in hæc inferiora agat, etiam & pueri volunt scire. Pro re certa narrãt non obscuri autores olim in Polonia tota, tantùm tria bibliorum volumina reperta fuisse; apud Regem inquam apud Archiepiscopum & Ostrorogorum familiam. Itaque si nunc Plato à mortuis resurgeret & videret non in sua Academia tãtùm, sed etiam in compitis & plateis à quouis de Deo disputari, certè illam suam sententiam retractasset, & alio modo de Repub. scripsisset, & alio modo cum plebe agendum suasisset, quàm olim rudi illo seculo suaserat. Nam si nunc diceret, vt dixit in libro de Iusto: fingamus inquit, nos fratres esse quia nos vna mater terra progenuit. Ideo alii ex hominibus sapiunt naturam ferri, alii naturam, auri, alii argenti, alii inquam sunt nobiliores naturæ, alii non ita, & occurrens tacitæ obiectioni inquit: At homines narrationi simplici non credent? Ac respondet: Si hoc nunc non credent verum esse, at posterius seculum, quod nobis succedet, credet. Iubet tandem vt per obstetrices & prudentes didascalos talia puerorum animis à teneris annis instillentur. Omninoque suadet vt Principes alant superstitionem in populo. Certè si nunc inquam talia Plato doceret, palam ab omnibus exsibilaretur. Propterea alia nunc ratione dixerim persuadendum hominibus vt morigeros obedientesque se præbeant magistratibus. Præterea oracula sacra inquiunt: Non eget Deus vt pro illo loquamini dolos. Itaq; vt verum fatear, mihi magis huius seculi philosophia, hac in parte, placet quàm Græcorum. Præstat enim, syncerè cum populo agere. Nam semel in suspicionem magistratu apud plebem adducto, sem per insidias sibi strui putabunt. Sunt enim alii modi & argumenta non decurrendo ad mendacia, quibus plebi certò persuadere pos

sumus vt placidè magistratui obtemperet. Primò quia Dei voluntas est: secundò quia turbatores ordinis destruit Deus, nec fore felices statuit, qui ordinem politię petulāter & temerè turbant. Tertiò ab honesto, ab vtili & à necessario. Sed longiore inquisitione omissa, ad historiam nostram redeamus, postquam lectorem defatigatum continua lectione historiæ tædio iam leuauimus.

BOLESLAVS CHOBRI.

Anno ab orbe condito	4960.
Anno Christi	1000.
Abhinc annos	585.

MAximum decus gentis Polonę regem Boleslaum Chobri fuisse apparet. Nam ex regibus qui præcesserunt alii fuerunt bellatores, alii autem œconomi, alii in prudentiæ laude excelluerunt. Hic autem omnia in se vno coniunxisse videtur. Bellatorem quidem eum fuisse testantur bella Russica. Cùm enim hæc gens ante quingentos annos prætextu Slauonięę confœderationis veluti adiutum suos gētiles ad eas regiones peruasisset, & tandem successu elata bellorum gestorum→ contra Græcos & Bosnenses duce Wladimiro, regiones Polonorum occupasset, nec satis ei esset, quòd intra fines veteris Sarmatiæ ingressa Vandalorum patriam depopularetur, Kiouiam→ quoque vrbem prorsus in vmbilico ipso regionis extruere cœpisset, & maiora aggressa intima Poloniæ scrutari cœpisset, Rex certior factus ad Axiacum flumen, quod nos Bog vocamus, contra eos ducit exercitum; sed Iaroslaus eorum Princeps seu Rex, cùm vim exercitus Polonici ægrè se sustinere posse perspiceret, receptui canere iubet, & intra paludes se recipit. Boleslaus castra castris admouit, eaq; diripit: cumque Russos pugnam detrectare animaduertisset, Kiouiam vrbem eorum primariam atque eximiam obsidione cingit. Fuit Kiouia vrbs tunc amplissima, id quod ruinæ, solitudines & rudera eius hodie testantur, ibiq́ue Russorum→ duces regiam suam esse voluerunt. Hanc Polonus cum arctiore obsidione pressisset, per deditionem capit, & tandem Borysthenem versus contendit, ibiq; exemplo Herculis fines veteres Sarmatiarum occidētem versus ad confluentem Zula fluuii, & Borysthenis trib⁹ ferreis columnis erectis firmauit. Iniecit & Tubos quosdam flumini æneos artificiosissimè ad hoc præparatos, vt sono suo perenni nomen eius resonarent, & vt in omne æuum duraret, stabiliuit. Alii propter cauitatem quandam quæ in rupibus est, gigni illos sonos qui à longè audiuntur, prædicant. Confectis iis rebus, Boleslaus domum est reuersus triumphans, vbi pro victoria reportata vota exoluit, complura splendida templa

Wladimirus princeps Russorum Kiouiam aggreditur.

Columnæ Boleslai.

Sonitus quidā in Borysthene à longè exaudiatur.

dida templa in honorem Dei omnipotentis erigens, quibus adiecit & peculiaria dona quædam ex manubiis de hoſte partis. Fuit ſecundum eius bellum non minus celebre contra Saxonas & Bohemos aliasque Germanicas gentes, adeptaq; ex eis victoria pari ſucceſſu, vt in Ruſsia fecerat, tres columnas locat ad confluentem Albis & Salæ ad confirmandos limites veteres ſui regni, quo tempore & Budiſinum ab eo combuſtum fuit. Tantus tunc metus & formido cunctam Germaniam inuaſerat, vt ne cuſtodes quidem limitum quos Marchiones vocant, auderent in conſpectum eius ſe offerre, aut quicquam hiſcere. Nec multò poſt ſiue necem Diui Alberti vlturus ſiue patrias ſedes recuperaturus (nam vbi nunc ſunt Pruſsi, Venetos Ptolomæus ad ſinum Venedicũ & Chronum flumen ponit, quos Moſchi Venetos, Varingos, & mare ipſum Baltícum Variuskoie mare vocant.) in Prutenos expeditionem facit, eoque tertiis aut quartis caſtris peruenit. Cumque pauore perculſi nemo ex eis ad pugnam prodiret in Oſſam flumen nemine repugnante ſimili modo tres ferreas columnas quarto à Rogozno lapide iniicit. Locus ab accolis hactenus monſtratur. De limitibus meridionalibus nulla tunc controuerſia fuit. Nam flumen illud in Morauia non longè ab oppido Granice, quod limitem noſtra lingua ſignificat, pro limitib. Sarmatiæ habebatur. Atque ita prouinciarum maxima parte recuperata, quę negligẽtia amiſſę erant, vniuerſisque controuerſiis ſopitis ad ſtudium religionis ſe, vt decet probos Principes, conuertit. Extiterat per id tempus Diuus Albertus vir zelo pietatis illuſtris, & amore ſedulitateque in prouehenda religione Chriſtiana admodum celebris. Is in Pannonia feliciter miniſterio ſuo defunctus baptizato aut cõfirmato, vt aliqui referunt Stephano rege Hungarię, in Poloniam ſe contulerat, qua peragrata, in Pruſsiam perrexerat annuncians euãgelium & remiſſionem peccatorum credentibus. Sed homines idolis dediti ſurdis auribus hæc audiuerunt, eumque crudeliter obtruncarunt. Cuius conſtantia & indefeſſum ſtudium in propagando regno Dei cùm Romam relatum eſſet, abſque vlla dubitatione in numerum diuorum fuit relatus. Audiuerat ea de re Otho tertius Imperator; itaque fama ſanctitatis eius & miraculorum celebritate motus voti exoluendi cauſa, quo ſe obſtrinxerat, periculoſo morbo laborans in Poloniam ad eius ſepulchrum contendit. Quod autem aliis diuis prætermiſsis ad hunc ſe contulit, exiſtimo hoc ei calcar addidiſſe, quòd eius ſubditus fuit. Nam Magdeburgenſem fuiſſe tradit Helmoldus presbyter, qui ante quadringentos annos Slauonicam hiſtoriam conſcripſit. Et credibile eſt eius operâ potiſsimùm fuiſſe

Aliæ tres columnæ ad confluentem Salæ & Albis.

Tertiò columnæ tres ad flumen Oſſa.

Boleſlaus fine impoſito bellis ad religionem ſe conuertit.

mùm fuisse apud Pontificem effectum, vt hic vir sanctus cùm esset eius popularis in album diuorum referretur. Nam tum temporis Romæ Imperator sedandis Crescentii seditionibus commorabatur. Fuit illa commoratio Romæ Cæsari huic exitiosa. Sublato enim Crescētio cum eius vxore consuesse dicitur, ad extremumq; eam sibi vxorem fore, fertur ei promisisse, quod quia non præstitit venenum ei in chirothecis, quas Roma discessuro donauit, mulier ista obiecit. Aculeo igitur veneni læsus Imperator confidebat se opem à Diuo Alberto tanquam suo populari & domestico numine citiùs relaturum. Itaque Gnesnam, vbi erat sepultus, contendit, de cuius aduentu Boleslaus cum audisset, ipsemet amplissima procerum frequentia stipatus ei obuiam it. Mira Posnanienses ciues, cum istîc iuuenis agerem de hac pompa ingressus Imperatorii narrabant, quomodo videlicet viæ ad septem vsque miliaria Posnania Gnesnam instratę erant, qua Cæsar nudus pedes ob reuerentiam Diui Alberti gradiebatur, quem rex ipse summo cum honore deducebat. Ibi cum satis esset datum religioni, secretiora consilia habituri conclaue intrant, ibique de multis rebus, quæ pertinebant ad salutē Reipub. Christianæ inter se cōferunt, reliquum tempus conuiuiis destinatur. Ac tandem, cum satis indultum esset cibis, potui, & aliis ludicris ad recreandum tanti hospitis animum honoratum amplissimis donis in Germaniam dimisit. Quod autem rex tam exquisito apparatu & solenni pompa accepit Imperatorem, id factum puto vel exhibendę modò humanitatis causa, quę innata esse huic genti prædicatur, vel vt grati animi signis, tantam erga se regnumque suum propensionem adæquaret Impetatoris, qui nouos honores, regium videlicet decus, in Boleslaum conferendo secum in Poloniam attulerat. Iam si quis conferat ea, quæ dicta sunt, cum iis, quæ autor supplementi Charionis hoc loco narrat de tributo ab Othone imposito Polonis minimè gentium hæc inter se cohærere animaduertet. Nam Principem tanti nominis, tot victoriis planè glorioſum pro exhibita illi nuper beneuolentia tributo oneraſſe, nequaquam verisimile videtur. Miseris hæc belloq; attritis conueniunt non victori, qui Rusis formidabilis, Germanis reuerendus, Bohemis & Borusis metuendus, Pontifici verò summo ita charus & spectatus erat, vt eum in numerum diuorum ob insigne pietatis studium retulerit. Fuerit sanè hæc causa quædam externa vel potius prætextus aduentus Imperatoris in Poloniam; nimirum vt inuiseret sepulchrum Diui Alberti, sed ex circumstantiis apertè liquet, aliam latentem & secretiorem causam fuisse. Videlicet vt bellicosum virum, quem ferro

Venenum obiectum Othoni tertio.

Commentum de tributis refellitur.

auertere

auertere non poterat dum in Saxonia bella gerit beneficio aliquo placatum sibi redderet deuinciretq;. Nam non temere in historia additur, quòd, absoluta ceremonia coronationis, conclaue secretioris consilii intrauerunt. Ibiq́ue multa de iis, quæ pertinebant ad salutem Reipub. Christianæ inter se contulerunt. Sepultus est Boleslaus in Basilica Posnanensi in medio templi, cuius sepulchro Epitaphium est inscriptum, paruum quidem, sed ob reuerentiam antiquitatis valde iucundum. HAC IACET IN TVMBA REX PIVS GLORIOSA COLVMBA BOLESLAVS CHOBRI. Literæ sunt vetustate penè consumptæ sicut & ipsum sepulchrum, vtcunque tamen possunt legi. Est autem dignum obseruatu, quòd & Germanorum imperii, & trium regnorum, hoc est, Polonorum, Hungarorum, & Bohemorum in vnam fermè eandemq́ue ætatem exordia incidunt. Nam translato à Gallis ad Germanos imperio circiter tempora Othonis Magni, non ita multò post reliquæ tres prouinciæ ad hoc culmen regii honoris euectæ sunt, Imperatoris ne autoritate, an verò Pontificis non disputo. Illud tamen pro certo historia Calui montis astruit Pontificem Romanum Benedictum eodem tempore iam tum in suo Senatu decreuisse vt DVX Poloniæ Chobri in Regem coronaretur, & iam coronam ex purissimo auro paratam ad hoc habuisse, vt si forte Boleslaus vellet, eam ei mitteret, sed vbi audiuit Boleslaũ maluisse ab Imperatore quàm à Papa coronari, admonitus ab angelo STEPHANO diuo Regi Hungariæ eandem misit. Hæc leguntur vt dixi in historia Calui montis.

MIECISLAVS IVNIOR.

Anno ab orbe condito 4987.
Anno à Christo. 1025.

IN frequenti procerum & equestris ordinis conuentu Miecislaus regiam dignitatem iamdudum sibi decretam adiit. Erat tum triginta annorum & quinque cùm Gnesnæ vna cum vxore Rixa die Pentecostes coronaretur. Et quia præsidiorum Polonicorum, quæ arcibus Russicis imposita erant à rege Boleslao, ad nouum regem de Russis querelæ subinde adferebantur, quòd inquieti nouos motus cierent, Kiouienseśque lenta, sed tamen molesta obsidione premerent, tandem contra eos ducit exercitum, nulloq́ue negotio, eorum insolentiam reprimit, & captiuos, qui in deditionem venerant, per arces custodiendos distribuit. Sed vix hoc sopito bello, aliud cum Bohemis erupit. Infestabant ii Morauiam, quæ ditionis Polonorum tum erat, præsidiaq́ue nostra munitionibus exturbabant, ac tributa sibi à Boleslao impo

Bellum Russorum.

sita pendere

Bellum Bohemicum ob tributa negata, & fines violatos, de quibus supra in Chobrio lege.

sita pendere recusabant. Hęc instinctu Vlderici, qui Bohemis tum præerat, eos fecisse ex certis coniecturis non obscurè apparebat. Negabat ille quidem, seque minimè conscium esse istorum probatum facere volebat, sed circumstantiæ rei eius vafrum animum ad astutiamque compositum detegebant, & res ipsa loquebatur, eum filium suum Prædislaum impigrum iuuenem clam coucitasse ad violanda pacta conuenta. Itaque Rex vlturus hanc perfidiam contra eum conscribit exercitum & obuiam ei procedit. Oderat quidem rex bellum, semel eius incommodis degustatis, cùm esset in expeditione Rusica, tamen extimulatus multitudinis conuitiis, qui pusillanimitatis probrum obiiciebant, officio deesse non potuit. Cumque iam se in conspectum hostium dedisset. Bohemi primò causam denegati tributi prætexunt, quòd auxilio Polonorum destituti pecuniam debitam in sumptus belli erogarint. Sed deinde regis tenero animo & imbecilli iudicio perspecto, apertè rebellionem faciunt. Itaque vario Marte inter eos decertatur. Bohemorum exemplum Lubecenses & Cameneſenses secuti similiter Polonorum iugum excusserunt. cum iis & vrbs Lube ca hoc idem facit. Et cum solita stipendia denegarent, pensionem tamen quam vocant S. Petri, vsu iamdudum recepto, ad ærarium ecclesiasticum in Poloniam mittunt, vt deinde vna summa cõgesta, summo Pontifici nomine Polonici regni mitteretur. Quo solo argumento reuinci possunt ii, qui negant, illas terras vnquam fuisse ditionis Polonorum. Secundiore & feliciore deinde successu contra Pomeranos administratum est bellum. Nam & isti ad defectionem spectabant. Cùm ergo, recollectis suorum viribus, Hungarorumque auctus copiis, quas Bella frater Stephani secum adduxerat, in campum Miecislaus prodiisset, non segniter Pomerani conferunt signa. Sed mox funduntur & profligantur, & dux eorum in prælio occũbit. Multi in potestatem tum deuenerunt. Defectionis suasores capitis supplicium pertulerunt; at multitudini parsum est Ita ignonimiam acceptam rex ex Bohemicis certaminibus posterioribus successibus absterſit, & præterita damna cum fœnore compensauit. Anno autem millesimo tricesimo quarto vita defunctus Posnaniæ sepelitur. Confutationem falsarum narrationum, quas hîc historici affinxerunt, vltro prætereo. Nam res commenticiæ seipsas quales sunt produnt. Qualis hic fuerit Princeps & quales spiritus pectore habuerit non est difficile ex historia recitata colligere. Synchroni Mieciſlai erant in occidente Conradus Imperator in oriente Romanus. Hoc etiam tempore duæ illæ factiones Guelphorum & Gibellinorum institutæ in Italia erant,

Defectio Vandalicarum prouinciarum ob tributa negata

Contributio s. Petri.

Bellum Pomeranum.

Guelphus

Guelphis dignitatem Pontificiam defendentibus, Gibellinis verò Imperatoris celsitudinem protegentibus. Nam de suprema dignitate retinenda tam Pontifices quàm Imperatores solicitudo versabat. Magna deinde Ilias malorum ex harum factionum conspirationibus consecuta est. Nam Germani Imperatores in Italia assiduè degere non poterant. Ne igitur Pontifices Imperatores absentes proscinderent, eorumque vitæ famæ & facultatibus insidiarentur, omnino videbatur è re Imperatorum esse aliquem globum hominum in Italia habere ibique relinquere, qui, siue adesset siue abesset, Imperatoris partes tuerentur, atque hoc consilio Gibellinorum quasi ordo institutus est & stipendia eis ex redditibus Imperatoris sunt destinata, aliis certos fundos, aliis portoria & census donatos possidẽtibus. Ex horum stirpe ii, qui nunc vocantur Columnæ, Scaligeri, & alii prodierunt.

Factiones Guelphorum & Gibellinorum.

Columnæ, Scaligeri, Vrsini, ordines imperij

INTERREGNVM.

CApita tantùm consignabo, vt saltem series historiæ non interrupto ordine ab omnib. legi possit; & tamen lector, quæ per id tempus euenerunt, non ægrè intelligat. Motus in Repub. futuros prædixerat viuens Rex Boleslaus. Sed & terræ tremor insolens, qui tum acciderat, idem portendebat. quorum motuum causa fuit regina Rixa, quæ omnia exactionibus permiscebat, & contemptum gentis cum nequaquam in se celare posset omnia susque deque habebat. Adextremum cum thesauris regno profugit, quibus cum venisset Brunsuigum & Magdeburgum, sibi possessiones emit. Ad ea mala accessit deterius, nimirum rusticorum cõtra ordinem equestrem tumultus, qualem etiam Constantini Magni temporibus inter eas gentes fuisse supra meminimus. At etiam ecclesiasticis non fuit parsum. Plebeii enim recordati prioris status cum viuerent in gentilismo, & conferentes cum eo mala, quæ eis acciderant tempore interregni, beatiores se fuisse cum idolis seruirent, non obscurè prædicabant. Inde factum est, vt Episcopis manus ferè iniicerent. Accessit Maslai Pocillatoris regii tyrannis à quo Masouios dictos esse quidam affirmant. Non desunt autem qui eos à veteribus Massagetis oriundos putent. Rusi deinde ab oriente, Bohemi ab occidente, vt lacerarent Poloniam nihil omiserunt. Cum enim ipsi imperio se obnoxios reddidissent, in manifestamque seruitutem coniecissent, facilè apparebat eis summè cordi fuisse si socios pœnarum sibi adiunxissent. Hæc fusè ab historicis nostris commemorantur. Rixa interea profugiens non cessauit Cõradi Imperatoris animum sol-

Calamitas publica redundauit in ecclesiasticos.

Maslaus.

licitare, iam muneribus, iam blandiciis in suam sententiam pertrahendo, vt iunctis viribus Polonos persequeretur, illatamque ipsi iniuriam, vt ipsa putabat, armis vindicaret. His malis fatigata Polonia de Comitiis habendis tandem cogitare incipit, vtque de creando nouo rege decretum promulgetur, sollicitè vrget. Nec mora, indicitur conuentus Gnesnæ; vbi cum sententiæ aliquantulum variarent, communi tandem consensu in eam sententiam decurrunt, vt in Gallias mittant ad Cazimirum reuocandum. Viuebat iste Cluniaci inter Monachos voto sacerdotali iam obstrictus. Itaq; proceres, electis oratoribus, eis mandant, vt si aliter fieri non possit, ne in Galliis cessent, sed Romam contendant, & Pontificem Benedictum rogent, vt vicem huius regni commiseretur, votumque futuro regi Cazimiro relaxet; quod & obtinuerunt. Educitur ille monasterio, & ad regnum adducitur potissimùm ea in re adiutus Henrici Imperatoris eius nominis tertii autoritate, qui sexcentos cataphractos, honoris & securitatis causa, eum Cracouiam vlq; regiam gentis, aut quò maximè ipsi videretur, deducturos ei adiunxerat. Quàm autem hilari & læto animo à cunctis ordinibus exceptus sit, vix dici potest.

Cazimirus inter monachos.

CAZIMIRVS PRIMVS.

Anno à condito orbe 5005.
Anno à Christo 1041.

GNesnam igitur tanquam ex alio orbe venienti & quasi reddiuiuo Cazimiro cuncti obuiam procedunt; vbi etiam omnibus ei impensè gratulantibus & legatis exterorum celebritatem illam cohonestantibus, patrio regno inauguratus est; gubernationisque suæ initium à depositione suadenda intestinarum simultatum est auspicatus, quibus fœliciter sublatis, externa circumspexit. Et quia cum Russis acerbissimum bellum sibi instare præuidebat, gentem, quæ ferro vinci non potuerat, consilio edomare aggressus est. Inprimisque fœdus societatis contra quosuis hostes cum eis pepigit; vtque ea res stabilior & firmior esset, Iaroslai principis sororem in matrimonium ducit. Fuit hæc ex stirpe Constantinopolitanorum Imperatorum progenita, ex sorore inquam ipsius Imperatoris nata. Mox contra Masslaum tyrannum exercitum ducit, eumque assecutus superat. Nec iuuerunt Masslaum copiæ Masouiorum, neq; auxilia, quibus confidebat, Prussorum, & Iazigum. Fuerũt autem Iaziges populi sparsi hinc inde per Sarmatias, & à Mœotide incipiendo extendebantur Prussiam versus, medii inter Poloniam & Lituaniam; ad quorum differentiam illi, qui ea loca incolebant, vbi nunc est Transsyluania, & Tibiscus

Iaziges qui?

flumen,

flumen, Metanastæ vocabantur: hos verò qui à Cazimiro fusi fugatique fuerunt, inter Masouios mansisse & Lituanos, credibile est. Ab hoc Maslao Masouios & Plocenses appellatos quidam asserunt; sed mihi nequaquam credibile est gentem tam generosam à latrone, quem Iaziges in crucem gratificaturi Cazimiro egerant, cognomen sibi quęsiuisse. Potiùs mihi probatur sentẽtia illorum, qui eos & originem & nomen à Massagetis antiqua gente traxisse affirmant. Referunt hîc scriptores bella Henrici Imperatoris cum Bohemorum populis, quos tunc debellatos ab eo tradunt. Referunt etiam eodem tempore regem Bohemię dignitatem electoratus adeptum esse ad eum scopum re detorta, vt si aliorum sententiæ in eligendo Imperatore minimè conuenirent, sed bifariam numero pares diuiderẽtur, vtri parti ille veluti censor astipularetur, hæc ipsa prævaleret suffragio. Verùm hîc desideratur fides historicorum. Nam Bohemorum gens nondum regiam dignitatem adepta erat. Ac bella tam cruenta cum Imperatore gerere, & tamen honores ab eodem hoste sibi infensissimo consequi, videntur secum pugnare. Ad Cazimirum nunc redeo, qui domi forisque negotiis aptè compositis, rebus humanis exemptus est, desiderium sui non modò apud suos, sed etiam apud extraneos relinquẽs. Ante mortem ritè sacris procuratus fuit, & certis quibusdam proceribus, tanquam tutoribus fidelibus, filios commendauit. Fuit Cazimirus procerioris staturæ, forma liberali, neruosus, & robore militari præditus, capillo denso, promissa barba, litteris mediocriter eruditus; hoc nomine tamen gratus. Quod verò D. Cromerus noiter hæc tunc contigisse regibus Polonorum prædicat, ego quidem Boleslaum Chobrium illitteratum fuisse nequaquam existimo. Hic fundauit Tinecense monasterium ordinis eiusdem societatis, apud quos in Galliis vixit.

Masouij an à Maslao.

Regnum Bohemiæ electoratum adipiscitur.

Cazimirus primꝰ inter reges poloniæ litteratus.

BOLESLAVS SECVNDVS.

Anno ab orbe condito 5030.
Anno à Christo. 1068.

HIC magno applausu & fauore populi in sede patria consedit, & à principio speciem boni viri & regis boni præbuit: sed adultior factus, secundisq; rebus & successu continuarum victoriarum elatus, impotentiùs dominari cœpit. Primum bellum eius fuit cum Wradislao Bohemo, qui infesto exercitu Poloniam intrans, cuncta flammis & ferro repleuerat; cui Boleslaus tumultuaria manu celeriter occurrit, eumque superat. Secunda expeditio eius contra Prussos fuit, quos cum securos & nihil tale opinantes aggressus esset, confestim trucidat opprimitque. Fu

it hoc ad Osam flumen Prussiæ posterioris limitem. Nam antiqua Prussia nullos limites Sarmatiam versus habuit, cum eius pars olim fuerit. Tertiùm progressus est contra Andream Hungariæ regem; quem vbi ad portas Mosouienses assecutus est, ita attriuit, vt eum mori cogeret; cæteros ei confœderatos dissipauit, ex quibus Wladislaum Bohemiæ ducem excæcauit, Germanorum verò duces partim necauit, partim comprehẽsos detinuit. Post victoriam hanc partam Bellam Hungarum Albæ Regiæ in sede regni collocauit, victoremq; exercitum pro nauata opera à Bella & aliis proceribus Hungaricis, remuneratum prosperè domum reduxit. Narrantur & aliæ victoriæ eius de Russis reportatæ; sed illa quæ septem annis durauit, quò diuturnior eò celebrior fuit. Tunc enim ferè vniuersam Russiam in potestatem suam redegit, amplissimamque victoriam de Vessolodo reportauit; Kiouiam etiam obsedit; ac tandem arctioris obsidionis incommodis cum eorum pertinaciam fregisset, in deditionem accepit. Boleslaus igitur magni nominis tunc & bellator egregius magnam gloriam cõsecutus est. Sed vna re vniuersum fructum laborum suorum elisit; quòd præsulem dignissimum diuum Stanislaum ad moderatiora consilia eum retrahere conantem interfecit. Vnde factum est, vt à Pontifice summo excommunicatus cum aduersus infortunium diu obluctaretur, tandem cunctis inuisus & à fortuna desertus in Illyricum profugerit. Quòd autem apud Illyrios se citiùs recreandum speraret, quàm apud alias gentes, existimo hac ratione adductum fuisse, quòd apud suos gentiles & populares, ex quib. maiores ipsius Cechus nimirum & Lechus prodierant, nondum memoriam excidisse suorum cognatorum facilè diuinabat, seq; tantò gratiorem hospitem ibi futurum perspiciebat, quantò ipsum fœdiùs à fortuna depressum, & à summo fastigio ad imum tam repente decidisse intelligerent. Nec arbitror ab innata aliqua malicia hanc ferociam ei inhæsisse, ob quam truculenti carnificis nomen mereretur; sed adulatorum & aliorum sycophantarum aulicorum delationibus exasperatum fuisse contra sacratum virum reor. Aut sanè fatis vrgentibus ad eam amentiam prolapsus est; iuxta dictum: Vehementes motus animorum odio habet Deus. Videtur autem & superius sæculum, occulto quodam sidere, admodum infensum fuisse clero. Nam vt complures superiores Pontifices partim in captiuitate mortuos, partim veneno sublatos, partim alia ratione miserabiliter extinctos hoc loco non commemorem; quæ hoc eodem tempore Henricus Quartus Imperator cum Gregorio Septimo Pontifice egerit, & quis finis illi tragœdiæ fuerit, omnes norunt.

Victoriæ Bolesiai de Bohemis, Prussis, Hungaris, Germanis, & Russis.

Kiouia obsessa.

Cur ad Illyrios Boleslaus maluit confugere

Ecclesiastici ordinis calamitates huius temporis.

Non est

Non est igitur mirum, si vir sacratus Stanislaº à Boleslao tunc temporis tam grauia est passus. Nulla enim re animi mortalium citiùs deprauantur, quàm pessimis exemplis, quæ tantò magis agunt, quantò superiores sunt illi, qui ea edunt. Cùm igitur inter Pontifices prærogatiuas suas defendentes & Cæsares iura imperialia pugnantes tam immania & atrocia exempla parricidiorum homicidiorumque passim ederentur, non est mirum si hoc contagium etiam Poloniam peruasit, animumque regis corrupit, qui forsan Episcopo iniiciens manus nequaquam putauit, talem nubem tanta tonitrua edere posse, quanta postea edidit. Vsus fuisse fertur rex in tollendo Episcopo opera Iastrzebiorum Srenauiorum, qui propterea milites Boleslai etiamnum à quibusdam vocantur. Miror tamen cur Vincentiº Cadlubkus, qui non ita multò post vixit temporib. videlicet Kriuoustii, eiusq; historiam conscripsit, hoc adeò insigne factum adhuc recens non scripserit, nec vllam mētionem eius rei fecerit, vel si Vincentius, qui Episcopus Cracouiensis erat, laudem hanc antecessori suo Stanislao inuidebat (sunt enim non pauci, quorum cor inuidia laborans in arctum contrahitur, cum vident æquales suos præsertim populares opinione probitatis, vel aliqua eruditione ipsis anteire) Gallus tamen quidam rerum Polonicarum nec non Lampertus Saffnaburgensis rerum Teutonicarum scriptor, qui per hæc tempora vixit, rem tam dignam notatu & pupillam oculorum omnium maximè sua fama ferientem sicco pede præterire non debuit. Sed interim dum hæc scribo, oblatus est mihi liber historiæ Polonicæ domini Mathiæ Stricouii, in qua cōmemorat nobilem quendam virum Polonum D. Valentinum Kuzborzki affirmantem, quòd in Carinthia in quodam monasterio Osiæ non procul ab vrbe Feltkirchen repererit sepulchrum huius regis Boleslai Audacis, vbi post ante dictos exantlatos labores monachº vixit; nec priùs à sodalitio, quis esset, agnitum, quàm post mortem inter suppellectilem ipsius repererint litteras quasdam, quibus maximæ res continebantur, & alia insignia regalia. tunc veluti stupefacti vehementer mirari cœperunt, eiusque corpus summa reuerentia sepelierunt, superq; caput statuam marmoream instar equi ephippia gestantis collocarunt, addito hoc epitaphio, seu inscriptione: BOLESLAVS REX POLONIAE OCCISOR SANCTI STANISLAI EPISCOPI CRACOVIENSIS, &c. Hæc si facta fuisse reperiuntur, non absurda videri debent cætera, quæ hæc historia de D. Stanislao complectitur.

Iastrzebiorum gens.

Epitaphium Boleslai Audacis.

Est & alter scrupulus, quem inter colloquia multi solent iniicere. Quærunt enim, quæ causa tanta fuerit, quidue pontificem

ſummum Gregorium eius nominis ſeptimum impulerit, vt iram & indignationem ſuam non modò in patratorem criminis regem Boleſlaum ſed etiam in vniuerſum regnum effuderit,& regnum Polonis abrogarit. Sunt qui dicant,vehementer fuiſse motum regis vita ſceleſta, & atrocitate quadam ipſius homicidii; quippe cum non ſolùm viro innoxio violentas manus iniecerit, verùm etiam eum membratim diſſecandum iuſſerit. Alii referunt,motum fuiſſe ſanctitate tanti viri,qui tanto zelo præditus erat & timore Dei, vt cum videret Archiepiſcopum Gneſnenſem, cuius plus intererat, quaſi per tranſennam regis fœdam vitam aſpicere, ipſe ſe acerrimum cenſorem interpoſuerit. Magnæ ſunt hæ cauſæ & vtraque probabilis. Sed videtur mihi tertia addenda, quæ licet à ſcriptoribus, aliiſue commemorata non fuerit, tamen circumſtantiæ illius temporis produnt, eam non poſtremam fuiſſe. Vehementer tunc ſtatum rerum Chriſtianarum perturbabat illa controuerſia exorta inter Pontifices & Imperatores de conferenda dignitate regia. Imperatores enim iactabant,Imperatorum eſſe reges creare, Pontificum verò ſanctos canonizare, vt vocant; contrà Pontifices nitebantur exemplis Politiæ veteris teſtamenti,vbi Pontificum erat eos confirmare, qui ad munus regium ſubeundum aptiſſimi viderentur. Notæ ſunt controuerſiæ & bella Henrici quarti Imperatoris cum aliquot Pontificibus; qui ita tum illa ætate afflictus erat ob huiuſmodi controuerſias,vt multi iam faſces Imperii aliorum periculo deterriti ſuſcipere detrectarent. Iam verò quia Otho tertius decus regium Poloniæ paucis ante diebus contulerat,ipſeq; Gneſnam veniens,vt ſupra narrauimus,Boleſlaum Chobri regem Poloniæ, inuito, aut ſaltem inconſulto Pontifice, coronauerat, ideo Pontifices exaſperati ſemper occaſiones quærebant hanc Imperatorum poteſtatem minuendi, aut certè irritam reddendi. Et quia Boleſlaus audax ſuo enormi facto feneſtram & aditum ad perficiendum vetus hoc conſilium Pontificibus patefecerat, idcirco nulla mora interpoſita Gregorius ſeptimus fulmen hoc ignitum primò in Boleſlaum torquet, eumque de regni ſolio deiicit; deinde ſancit nouo edicto propoſito, ne Epiſcopi quemquam iniuſſu ſuo regem inungant, aut coronent. Quamquam Lampertus Saffnaburgenſis res imperatorias cohoneſtans, ait Imperatores Romanos ita fuiſſe commotos contra reges Poloniæ anno Chriſti 1070. vt eos dignitate regia priuarint,& cauſam tantæ indignationis annectit: Quia, inquit,dux Polonorum qui per multos annos Teutonibus tributarius fuerat,cuiusque regnum olim Teutonum virtute ſubactum atque in prouincias redactum fu

Cauſa occulti diſſidij inter Imperatores, & Pontifices.

Cur regia dignitas adempta eſt Polonis hoc tempore.

it, repente in

it, repente in ſuperbiam elatus regiam dignitatem, regiumque nomen ſibi vſurpauerat, diadema impoſuerat, atque ipſo die Natalis domini à quindecim Epiſcopis in regem fuerat conſecratus. Deſideratur hîc fides huius hiſtorici. Primùm enim Poloni nũquam obnoxii fuerunt germanis Imperatorib⁹, vt non minùs verè, quàm ſolidis rationibus, euincit D. Cromerus. Deinde quindecim Epiſcopi in Polonia tum non reperiebantur. Adde quòd Poloni circiter octoginta annos ante hoc temp⁹ regem habebãt, & quidem fauore Othonis tertii Imperatoris. Quem etiam abſoluiſſe Polonos ab omnibus tributis & obſequiis Guagninus affirmat. Qui tamen dum, maximè ſe fauere Polonis teſtatum vult facere, tum marimè peccat in Polonos, affirmans videlicet eos abſolutos fuiſſe ab obſequiis & tributis ab Othone tertio, tempore inquam illius inaugurationis ad regnum. At Poloni nulla vnquam obſequia ex pacto, multò minus tributa Imperatorib. pependerunt. Nulla itaque abſolutione ab eiſdem indigebant. Cæterum hîc Saffnaburgenſis, & Monachus Heruelden ſis impoſuerunt Scba. Munſtero, qui autoritatem iſtorum ſecutus labitur in eundem errorem, iuxta dictum: Cæcus cæcum ducit, ambo in ſoueam cadunt: O nos miſeros, ſiquidem ita eſt, vt affirmat Saffnaburgenſis. Idem enim nobiſcum agitur, quod Poëta inquit: Si fortuna volet, fies ex Rhetore conſul, Si volet hæc eadem, fies ex conſule Rhetor. Verba Munſteri ſic ſe habent: Otho ſecundus ſublimauit Ducatum Poloniæ in regnum. Sed rex eius paulo poſt, cum rebellis eſſet Romano Imperio, iterum degradatur, & ex rege fit dux ſub tributo ſeruiens. Hæc ille. Obſeruet lector quomodo ſcriptores iſti ſcindunt ſeſe in contraria. Qui res Romanas illuſtrare volunt, Papæ id attribuunt, quòd offenſus Boleſlai crudelitate ob cædem diui Staniſlai regnum ei abrogarit. Iſti contra, qui in partibus Imperatoris ſunt, ſibiipſis Polonos regios honores vendicaſſe, tributaq; denegaſſe aiunt; inde, degradatur inquit, ab Imperatore, & ex rege fit dux. Sciebant probè Imperatores & eorum ſcriptores, regios honores Polonos non ſibi priuata autoritate vſurpaſſe, vt dicit Saffnaburgenſis. Sed cum ad Pontifices confugerent recuperaturi denuo regium decus, Imperatores ea re offenſi nolebant eos pro regibus legitimis agnoſcere. Eò quòd derelictis ipſis Imperatoribus, à quibus ab initio autore Othone id conſecuti erant, ex manu Pontificum id obtinere annitebantur. Itaque exaſperati crimen læſæ maieſtatis eis impingebant. Hanc puto cauſam ea in re diſſidium inter hiſtoricos illos peperiſſe.

De dignitate regũ Poloniæ diſſidium hiſtoricorum.

Munſterus.

WLADISLAVS PRIMVS.

Anno ab orbe condito 5044.
Anno à Christo 1082.

POloni Wladislaum Hermanum fratrem Boleslai regem designant; quod munus ipse diu subire detrectauit: cunctis tamen instantibus recusare non potuit. Tergiuersationis huius duæ causæ referuntur: altera quòd fratrem adhuc rediturum sperabat: altera quòd interdictum illud Pontificium aliquid noui propediem editurum suspicabatur. Recens enim exemplum seueritatis in Henricum à Pontificibus editum cunctorum regum animos vehementer pupugerat. Itaque cum esset Princeps pacis, quàm belli, amantior, dubium decus armis periclitando quærere nequaquam volebat. Sed vbi vrgeri se Pomeranorum incursionibus vidit, ope diuina confisus expeditionem contra eos adornat, signisque aliquoties collatis, ipsos ad deditionem compulit. Tradunt autem eum fuisse religioni ita deditum, eiusq; cerimoniarum ita pertinacem, vt certis diebus festiuis, more Machabæorum, pugnam inire detrectaret, malletq; quoduis periculum subire, quàm solennitatem festi contemerare. Qua tamen in re animi potiùs pius affectus quàm ipsum factum laudandum videtur. Inter reges porrò felices Wladislaus numerari posset, cum propter victorias celebres, tum propter filium Boleslaum Criuoustium, cui vix parem inter reges Polonorum reperimus, nisi ad extremum instabilis fortuna ciuili bello eum implicasset. Nam cum aliud consilium ei non restaret, nec multorum cohortationes & admonitiones quantumuis humilimæ profuissent, cum filio suo Sbigneno ad Crusficiam populosam tum vrbem & celebrem ita cruento bello conflixit, vt aqua vicini lacus sanguine tincta propemodum rubesceret. Victus filius & postmodum patri reconciliatus vtcunq; in fide permansit: sub finem tamen vitæ suæ simulatam iram suam celare non potuit. Pomeranos etiam idem rex ad Drzuuaczam fluuium profligauit. Habuit autem tunc Siecciechum virum impigrum manu & consilio, quem copiis præficiebat. De cuius moribus D. Cromerus multa tradit. Tandem Wladislaus placida morte anno 1102. quiescit, & in basilica Plocensi sepelitur. Quod attinet res exteras, Huius ætate Constantinopolis suburbia Turcę primùm inuadunt; quos tamen Iohannes Imperator cum præda reuertentes vnà cum Bulgaris excipit & opprimit. Huius quoque ætate Croatæ gens Heneta, sicut & Bulgari, progressi vsque ad regiam vrbem populabundi, prędas agunt ac tandem in Liburnia sedes

Bellum cum Zbigneno.

Vladislai mors & sepultura Plociæ.

burnia ſedes ſuas figunt. Quod ideo commemoro, vt ſeries hiſtoriæ Slauonicæ & conuerſionis dominii eorum in Europa continuari & melius animo concipi poſsit. Alexius etiam orientis Imperator à Boſsinis bello petitus & victus, fœdus cum eis pepigit pacem mercatus: parteque ditionis ad Moglennam eis conceſſa mulctatur. Alani etiam eiuſdem ſtirpis Henetæ populi conſederunt eadem ætate ad Conſtantinopolim, vbi ad hanc diem manendo reliquias eccleſiæ Chriſtianorum, & ipſum Patriarcham ita ſuſtentant, vt meritò ſoli patroni eius ptædicentur ab illo clero Græcorum. Ita imperium orientis Henetorum armis attritum & Turcorum ſubdolis artibus labefactatum ægrè ſe tum intra muros ſuſtentabat.

Croatæ in Liburnia hæſerunt, quando.

Boſini ad Moglennam.

Alani ad Conſtantinopolim.

Annotatio.

Hic rex Wladiſlaus Henrici quarti Imperatoris Romanorum, qui cum Pontificibus Romanis vario euentu plus ſatis conflictatus eſt, filiam viduam (nam antea Hungariæ regi Stephano deſponſata fuit) duxit, ex qua filias tres ſuſcepit. Hæc propter illos addo Hiſtoricos Germanorum, qui hac ætate Germanos Imperatores duriùs ſe geſsiſſe, quàm antea vnquam erga Polonos & Poloniæ reges memoriæ prodiderunt; quod nequaquam circumſtantiæ rerum patiuntur. Nam hic Henricus ſupramodum implicatus tunc erat diſcordiis cum Romanis Pontificibus. Præterea cum affine viro præclariſsimo non eſt veriſimile eum inimicitias quæſiuiſſe.

Wladiſlaus gener Henrici.

Refutãtur; qui Polonos obnoxios imperio faciunt.

De initio, & origine regni Bohemiæ, nam & hi Slauones ſunt.

Wratiſlaus primus Bohemiæ rex coronatus eſt 17. Calendas Iunii ab Eugelberto Archiepiſcopo Treuirenſi in Eccleſia Pragenſi, anno 1086. quinto verò huius Wladiſlai regis Poloniæ. Æneas Syluius vno anno variat. Liquet igitur, regnum Bohemicum longè poſteriùs Polonico cœpiſſe, idq; Pontificia auroritate extitiſſe, non autem Imperatoria, vt Polonicum.

BOLESLAVS CRIVOVSTVS.

Anno à condito mundo 5056.
Ano à Chriſto nato. 1193.

OB celebritatem & amplitudinem nominis tanti regis cuperem, ſi modo poſſem, omnia acta eius clarius comprehendere; ſed vt dixi non eſt mei inſtituti ſingulis immorari. Tamen nequid reticeatur ex eius pręclarè factis, imitabor methodum

thodum Suetonii,qui,vt exactiùs describeret historiam suorum Imperatorum,singulis ætatibus,& insignioribus eorum gestis, suum caput, & paragraphum attribuit.Hoc igitur & ego faciam in describendis rebus gestis huius Boleslai.

De nomine Boleslai Kriououstii.

Boleslaus nomen,vt similia alia,declarat veterem conatum & institutum regum Poloniæ, qui cum præcipui tutores essent Slauonicæ confœderationis, eò quòd præcipuam arcem belli in Polonia Slaui sibi erexerant,& ex hoc loco meridiem versus,attestante Blondo, ad alias remotiores regiones processerant,Slauorum appellatione ita delectabantur, vt ab illa, nomen sibi & suis liberis libenter imponerent. Hinc igitur nomen quoque Boleslai originem ducit.Diutiùs autem huius parentes absq; posteritate,ac matrimonii fructu permanserunt; ita vt iuxta persuasionem priscorum ad Ægidii Abbatis subsidia recurrere,ad illudque monachorum sodalitium donaria afferre impetrandi huius nati causa coacti fuerint.Tum demum eorum pias & deuotas preces exaudiuit Deus,huncque filiolum eis donauit.Quod verò Kriououstius vocatur, ferunt eum aliquomodo retortum os habuisse,eiusq; Symptomatis vlcus quoddam causam fuisse.

De puericia Boleslai.

Anno decimo tertio regni Wladislai decretum est bellum contra Bohemos, qui nouo titulo regio elati, quem ante nouem annos adepti erant,iam obliuiscebantur cognationis & stirpis veteris Polonorum, pleraq; vetera pacta conuenta violabant. Rex ipse Wladislaus ob aduersam valetudinem ad eam expeditionem proficisci non poterat, sed Sieciechum vniuersis copiis præficiens mandata,iam adornanti iter, quo pacto se gerere deberet, dabat. Aderat Boleslaus filius nonum agens annum,attentoque animo omnia hauriebat, & in leonini catuli morem, qui teneris etiamnum vnguibus laniatu tamen iam gaudet,generosum pueri pectus belli gloriæque cupiditate impendio exardescebat; neq; diutiùs animo conceptam flammam ferens, genua patris amplexus, & collo eius implicatus,vix magnis precibus, osculis,& blandiciis eum exorat,vt cum Sieciecho ad id bellum mittatur.Sieciecho itaque pueri cura mandatur. Vbi ad exercitum ventum est, puer singula quæ fiebant curiosius obseruare, versari inter ordines,omnibus arridere,vigilias cum Sieciecho obequitare,aliaq; multa præter ætatem facere, ferreque,ita vt indoles illa,studiumq; pueri futuram eius

Indoles Kriouustij.

turam eius magnitudinem non obscurè portenderet. Cum esset duodecim annorum iuuenis patrem obnixè cum lachrymis sollicitat, vt sibi copias ad arcem quandam recuperandam committeret, cuius audaciam prouidentiam animositatemq; rex admirans, legionem vnam, certis adiunctis rectoribus, illi commisit; cætero exercitui Siecciechum Palatinum Cracouiensem præfecit. Arcem itaque obsessam fortiter oppugnarunt; sed quia in loco munitissimo sita erat, ideo incassum laborabant. Qua de causa dux exercitus obsidionem soluere suadebat; sed Boleslaus regius filius à proposito eum retraxit, & militibus confirmatis domos & tuguriola circa arcem hyemis tempore imminente, erigere iussit, vt videretur arcem per hyemem oppugnare velle. Qua re conspecta, Pomerani obsessi ad Boleslaum cum muneribus supplices veniunt, se & sua ei offerentes, quos ille liberos dimittens arcem recuperat, prudentiaq; sua omnia damna à Pomeranis illata resarcit, ad patremque cum ingenti præda ouans reuertitur.

De adolescentia Boleslai.

Anno 1103. ætatis verò eius decimo octauo post mortem Wladislai Hermani patris regni gubernandi habenæ ipsi traduntur, quem statim bella Morauica & Bohemica exceperunt. Et vix Bohemicis sopitis, Pomeranica aggressus est; de eius autem pugnaci ingenio & animo strenuo scriptores multa tradunt. Ex quibus Guagninus ad hunc modum: Accidit autem, dum post insignem victoriam in festo dedicationis templi apud quendam nobilem conuiuium celebraret, recreationis gratia centum duntaxat equitibus cinctus venatum processit, vbi in tria millia Pomeranorum insidiantium incidit, in quos ipse rex veluti leo rugiens primam impressionem fecit, tribusque interfectis, suos animosiores reddidit. Quidam verò Pomeranus in ipsum regem collimans equum sub eo transfixit, attamen à persequendis hostibus altero equo nacto haud destitit, donec multo cum labore à tam obstinata audacia vix retractus fuerit, victorque ad suos conuiuantes profligatis hostibus redit.

Bellicosum ingenium Boleslai.

De bello Germanico quod à Boleslao Kriuoustio cum Henrico Imperatore eius nominis quinto, Anno Christi 1109. gestum esse prædicatur.

Nostri histo-

Noſtri hiſtorici cauſam iſtius belli explicantes narrant, quòd Poloni Hungaros hoſtes tunc Imperatoris auxilio & commeatu iuuabant, militesque Bohemos ei obſtrictos ad ſua caſtra pelliciebant: ſed hæc occaſio belli potiùs dicenda eſt. Ipſam autem cauſam veram tam funeſti belli aliam fuiſſe rerum circumſtantiæ detegunt: nimirum quòd reges Poloniæ contra Henricos Imperatores in illis diſſidiis cum Pontificibus Romanis non obſcurè ſentire videbantur. Vehementer igitur Imperatores ringebantur & Polonis indignabantur, quòd tam cito, veluti obliti beneficii accepti ab Othone tertio Imperatore, qui hanc gentem regni titulo patrum eorum memoria inſigniuerat, ad Pontificum partes tranſiſſent, ab eisque ex eorum manibus reſtitutionem dignitatis regiæ tanquam à legitimis diſpenſatoribus tantorum honorum, duce Wladiſlao Hermano, præteritis & poſthabitis Imperatoribus Romanis, mendicaſſent. Propterea H. Mutius referens cauſas huius belli, primam narrat fuiſſe quod tributum Imperatori debitum dare recuſauerint, regemque ſibi elegerint, ipſique coronam impoſuerint. At Poloni vt ante dictum eſt, nulla vnquam tributa Imperatoribus pependerunt. Coronam etiam non ipſimet ſibi, vt ait Mutius, ſed Otho tertius eis impoſuerat. Neceſſariò igitur hæc intelligenda ſunt de illa repetitione & recuperatione regiæ dignitatis, quam Wladiſlaus Hermanus magno ſudore & ſumptibus à Gregorio ſeptimo Pontifice conſecutus eſt. Exercebat igitur dolor ſtatus Germaniæ, ſibi ius hoc & prærogatiuam quaſi è manibus eripi & regium decus ab iis & adimi & reſtitui, quorum minimè intererat ſe huiuſmodi rebus implicare. Hinc eſt quòd poſt modum prædictus Mutius addit. Qui, inquit, ſummus contemptus erat Imperatoris. Vtrùm autem hoc deliberato conſilio fecerint Poloni, non eſt meum tanta de re iudicium ferre. Addam tamen deplorationem & querelas cuiusdam Germanici ſcriptoris neoterici, ex quo quilibet intelligere poterit, quàm valde offenſi fuerint & etiamnum ſint Germani depoſitione eius amicitiæ, quã cum Othone tertio & gente Germanica ante 600. annos Poloni inierunt. Eleuata eſt, inquit ille ſcriptor, & in contemptum adducta apud vicinos reges autoritas Imperatorum, & incitati ſunt hi, vt illis cum rabie Pontificum conflictantibus paulatim ſeſe ab obedientiæ & veterum pactorum legibus ſubducerent, & ab Imperio auellerent, cui certis conditionibus ita paruerunt hactenus, vt annua tributa ſubiectionis teſtificandæ cauſa pendere ſint coacti. Hæc tributa Imperatoribus detracta, & controuerſias omnes inter vicinos reges, Pontifices ad ſe, tanquam ſupremum Chriſtiani orbis iudi-

Carſa cur Imperatores infenſi Poloniæ Regno.

Mutius refutatur.

Cauſa diſſidii inter Imperatores & Pontifices.

Controuerſiæ inter Reges.

ani orbis iudicem tranſtulerunt, quod non ſolùm opum causâ, ſed multò magis autoritatis Romanis profuit & regibus libertatis nomine gratiſsimum. Imperare enim regibus Monarchæ, & conſenſum atque coniunctas vires orbis Chriſtiani augeſcenti potentiæ Pontificum opponere ampliùs non poterant. Addit poſtea, Sed & regibus noui compedes & noua ſunt vincula iniecta, qui quærentes, vt metu Imperatorum eſſent ſoluti, in grauiora pericula inciderunt. Nam & poſtea iidem reges commiſsi ſunt cum Imperatoribus, & vt ſecum ipſi digladiarentur effectum eſt. Nam extenuata & eleuata Imperatorum autoritate, reges cum non haberent quem reuererentur, autores fuerunt bellorum inteſtinorum. Sed & ſolutio hæc Hierarchiæ eliſit multoties conatus optimos Imperatorum, qui magno apparatu belli ſtudebant infringere potentiã Turcorum, &c. Sed digreſsiuncula hac omiſſa litteras Henrici ad Boleſlaum, & Boleſlai ad Henricum priùs præfigemus, vt ex eis intelligi poſsit vera cauſa ſequentis belli ad quod deſcribendum mox accedemus.

Literæ Henrici Cæſaris Glogouia ad regem Boleſlaum miſſæ.

Henricus Cæſar Boleſlao Duci Poloniæ gratiam & ſalutem; Tanta probitate comperta meorum Principum conſilio adquieſco, & trecentas marcas recipiens hinc pacificè remeabo, hoc niſi ſatis ſufficit ad honorem, ſi pacem ſimul haberemus & amorem. Si autem tibi placuerit hoc approbare in ſede Cracouienſi. Cito me poteris expectare.

Ad hæc ita ei reſpondit Boleſlaus.

Henrico Cæſari Boleſlaus Dux Polonorum, Pacem quidem ſed non in ſpe denariorum, veſtræ quidem Cæſareæ poteſtatis nutu conſiſtit manere vel redire, Sed apud me præ timore vel conditione nullum poteſtis vilem obolum inuenire. Malo enim oram Poloniæ regni ſalua libertate perdere, quàm ſemper pacificè cum infamia retinere. Ex iis litteris apparet Henricum nouo exemplo & antea inandito tributum à rege extorquere voluiſſe. Quod antequam concederet Boleſlaus, extrema quæque pati paratum ſe declarat. Iam ad ipſum bellum explicandum veniam. Henricus ergo Quintus coniunctis viribus cum Suatoplugo rege Bohemiæ validiſsimas copias contra Boleſlaum in Sylleſiam duxit Lubaſaq; ciuitate expugnata Glogouicen vrbem fruſtra acerrimè oppugnauit magna ſuorum militum ſtrage. Boleſlaus autem, *Pugna ad Glogouiam.*

cum ad eum expectata auxilia confluxissent, propiùs hostem accedit; nec tamen pugnandi copiam, quamuis flagitantibus suis, faciebat, sed è latebris & insidiis hostilem exercitum carpebat, pabulatores & alios quauis causa egressos per submissos milites excipiebat ac trucidabat. Sæpius intempesta nocte cum clamore & clangore tubarum hostium castris adequitabat; excubias aut opprimebat aut è stationibus depellebat, nonnunquam prandentes aut quiescentes tumultuariè adoriri, persequenti hosti cedere, recipientem se rursus persequi. Exurebat etiam circumiacentes villas; obsidebat itinera; sæpe reuertentibus prædam excutiebat. Celebre his rebus erat Boleslai nomen inter hostes, totaq; castra laudes & virtutes eius compositis etiam ad id carminibus personabant. Angebatur Cæsar, cumq; vndiq; vrgeretur, obsesso quàm obsidenti similior erat. Tentata fuit per legatos pacificatio, sed Cæsarem præposteri affectus trahebant. Cum enim conditiones, quas Cæsar proponebat, vt indignas nostri auersarentur, ille, arca aperta, thesauros suos eis monstrabat, additis his verbis: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Cui Scarbicus vnus ex Oratoribus regiis, notans iactantiam Cæsaris, respondit, annulo, quem in digito gestabat, in illum ipsum thesaurum proiecto. Auro, inquit, adiiciam aurum. Quo scommate Cæsar intellecto, gratias egit, inquiens lingua Germanica, Hab danck/ quod significat Gratias ago. Vnde familiæ nomen Habdanckorum mansit, & insignia eorundem, quæ hanc figuram referunt, W, adhuc Hab danck à Polonis vocantur. Cum igitur Cæsar nec periculis nec conditionibus iustis ad tranquilliora consilia perduci posset, Boleslaus instructa acie in diluculo ei occurrit, collatisq; signis, impetum in eum facit. Committitur atrox pugna quæ ab ortu solis vsq; ad horam pomeridianam durauit. tandem, cuneo iuxta militarem scientiam instructo, cum latera Cæsarianorum inuasisset, subitò solui eorum acies cœperunt. dilabebantur demum cuncti, nequicquam eos Cæsare reuocante. Qua re animaduersa & ipse Imperator sibi consulens salutem quæsiuit, vno duntaxat seruo comitatus. Itaque Poloni exultantes, & exuuiis interfectorum ditati, victoria ouantes receptui canunt. Fuit hæc pugna commissa in campis Vratislauiensibus miliare vnum ab ipsa vrbe; quem locum hactenus accolæ caninum campum vocant, eò quòd isthuc post cladem illam multitudo canum ad cadauera confluxerat; & longo tempore ob eorum rabiem vix prætereuntes tuti transire poterant. Rediit tandem Henricus ad mentem meliorem. Nam commissurus se itineri Romam versus Boleslaum demisse & perblandè rogat, vt, certis conditionibus

Scarbina.

Habdanci.

Caninus campus.

Expeditio Henrici in Italiam.

conditionibus, habita Imperatoriæ dignitatis ratione, animum ſuum ad pacem faciendam flectat. Conuentum eſt Bambergam; mutant animos hoſtiles; ſcribuntur conditiones pacis. Obſeruabant tunc prudentiores in Cæſare, an poſt illa ſæuiſsima bella & tonitrua irarum animus eius integrè placatus eſſet, an ſigno aliquo animi dolorem teſtaretur, anq; externa membra ſenſibus interioribus in eo obtemperarent; ſed omnia integra reperta ſunt, omnia ſanata. Impetator enim prorſus amicum ſe Boleſlao declarat; ſororem ſuam Adleidem ipſi, filio verò eius filiam ſuam Chriſtinam in matrimonium deſpondet. Ita poſt bellorum tumultus omnia læta eſſe, omnia ſerenaſcere cœperunt.

Finis belli matrimonium & auxilia exprimere.

De bello Ruſsico.

Memineranr Ruſsi paulò ante à Rege Boleſlao, non ſine maximo probro, ſtrategemate quodam plagiario Iaropelcum ducem Halicienſem opera Vloſtouocii Comitis Xiaznenſis abreptum & ad regem vſq; in Poloniam deductum. Igitur, vt par pari referrent artemq; arte compenſarent, ſollicitè quærebant. Mittunt igitur cum perblanda & veriſimili narratione nuncium inuitatum regem, vt in Ruſsiam quamprimùm veniat reducturus reſtituruſq; ad ſedes ſuas principem Halicienſem, qui gratitudinis ergo pollicetur ſe deinceps in poteſtate eius permanſurum. Additi ſunt alii colores, quibus veluti fuco poſtulata ſua, vt veriſsima viderentur colorarunt. Rex Boleſlaus, vt erat natura apertus & credulus, dictis fidem adhibet, aliquotq; cohortibus ſtipatus venit ad condictum locum. Interea Ruſsi obuiam procedunt tam quam cõgratulaturi honoris & officii cauſa. Interim regem cum eius comitatu circumfundunt & hoſtiliter inuadunt. Rex autem aſtutiâ Ruſſorum animaduersâ, milites ſuos, qui pauci erant, ad reſiſtendum hoſti fœdifrago facunda oratione confirmauit. Sed Palatinus Cracouiẽſis admonitione regia minimè motꝰ, cum præcipua ala equitum, cui præfectus erat, inter primum tumultum aufugit. Rex verò aliter fieri non poſſe videns, ſtrenui militis & Imperatoris officium agit. Primò cum ſuæ aulæ equitatu Hungaros aggreſſus eſt, quos ſtrenuè repreſsit & proſtrauit. Viribus deinde reſumptis, cum validis Ruthenorum copiis manus acriter conſeruit; iamq; Ruthenorum acies inclinabantur, cum recentes copiæ auxiliares validiores, Polonos vndiq; circumdederunt, vireſq; eorum perfregerunt. equus ſub rege ipſo ita confoſſus eſt, vt inteſtina ex eo profluxerint; alium tamen equum, qui ipſi aderant ſuppeditant, ſicq; vix, à ſuis non tam perſuaſus quàm compulſus, illæſus

Bellum cum Ruſsis.

Credulitas Boleſlai.

Fuga Palatini

sus,illæsus euasit. Quapropter mœstus animo angebatur,non tam Ruthenorum fœdifragorum insidias,quàm Palatini Cracouiensis perfidiam turpissimã execrans; cui rediens pelliceum leporinum & colum-,id est instrumentum,quo mulieres fuso fila ducunt, liniq; fasciculum & restim misit, indicans eum lepori in fugiendo similem fuisse,& quòd non dignus esset pro viro sed pro muliere haberi,resq; muliebres non autem viriles tractare,suspendiumq; quod resti indicabat esset commeritus. Palatinus itaque iste desperatione adactus,in campanili vbi oratorium suum habuit, fune campanæ sese suspendit; cuius nomen ad posterorum dedecus vitandam in Chronicis reticetur. Attamen posteriores historici nomen eius inuestigarunt; vocatumq; fuisse Wsebor scriptis iam patefecerunt.

Erga religionem quàm fuerit propensus.

Liberalitas Boleslai erga ecclesias.

Quietem igitur nactus Boleslaus Basilicam Cracouiensem humilem etiamtum & neglectam in augustiorem formam redegit, excitatis altius muris eius,ac duabus turribus ad latera eius adiunctis. Supellectilem quoque eius veste pretiosa, auroque & argento facto maiorem in modum- auxit. Posthæc quamuis magnis in ornatum templorum & in alimenta sacerdotum, atq; egenorum impendiis atque donationibus, iugique precatione & lachrymis, & aspero tenuique victu & cultu corporis, cilicio pro veste vtens, & cinere sese aspergens, ægrotorumq; mendicorum pedes subinde manibus suis abluens, admissum in Sbignenum fratrem facin⁹ sedulò expiaret,aliisque satisfaceret,tamen ipse sibi minimè satisfaciebat, nisi & laborem longæ & molestæ peregrinationis voto conceptæ adiiceret. Itaque solenne Christianis quadraginta dierum ieiunium, pane tantùm & aqua gustandis,cilicium- indutus, cum exegisset,paucis sacerdotibus & aliis piis hominibus comitatus,ad Ægidii tutelaris diui sui sepulchrum peregrinationem priuati hominis habitu suscepit, atque id iter magna ex parte nudis pedibus cõfecit;nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, nullum deniq; sacerdotem aut mendicum præteriens,quin liberalitatem & munificentiam suam in eum declararet. Quindecim dies apud diui sepulchrum ieiuniis & supplicationibus vacans commoratus, cum in Poloniam reuertisset, & reliquum illius anni temp⁹ quieti dedisset, vere proximo in Hungariam ad diui Stephani sepulchrum alteram peregrinationem ex eodem voto

Signa pœnitentiæ.

D. Ægidius pro patrono habetur.

eodem voto instituit, eaque religiosè & pedestri item itinere peracta,& quidem non sine molestia,propterea quòd splendidè & supramodum honorificè contra animi sui sententiam à Stephano rege genero suo, & à primoribus Hungaris acciperetur ac deduceretur, Gnesnam etiam eiusdem voti exoluēdi causa adiit, vt videret diui Alberti reliquias,quas paulò ante Iacobi Archiepiscopi operâ in propatulum prolatas è latebris sciuerat.Nam diu post captum & vastatum à Bohemis id oppidum,paucis rei conscius, delituerāt. Adhæc octoginta pondo auri & multas gemmas in vrnam eiusdem diui tunc simul contulit.

Moriturus ecquonam modo disposuerit domi suæ.

Vbi mortem appropinquare sibi sensit, conuocatis procerib⁹ qui officii causa vndique conuenerant,& quatuor filiis astantibus de concordia apud eos verba fecit, partitusque omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis,inter quatuor filios,principatum & summam rerum penes Wladislaum natu maximum cōstituit, cæteros eius autoritatem sequi iussit. In partitione quintum filium,qui superiore anno natus erat, præterierat. Id proceres eum obliuione feciſſe existimabant. Itaque admonent,vt ne illum exortem patrimonii relinquat. Respondit princeps:Iam illi quoque portionem suam esse designatam.Admirantib. cunctis, non aduertitis inquit in curru inter quatuor rotas quintam esse partem currus cui homines insident, & onera imponunt,quæ quidem à rotis sustentatur atque portatur? Eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit,illisque suo tempore succedet. Diuinitus ne id quod futurum erat,præsciuerit, an vt solent homines instante morte alienati mente diuinare,an verò discerpere in plures principatum voluerit,dicere non habemus. Nec ita multò post sacris Christianorum mysteriis ritè procuratus vita excesit,maximo totius Poloniæ desiderio,cum regnasset post patrem annos triginta sex,vixisset quinquaginta tres. Funere Ploscum solenni pompa elatus est, & iuxta patrem sepulcro conditus. *Kriuoustius in Ploſco tumulatus.*

De habitudine corporis eius.

Fuit autem Boleslaus hic habitudine corporis satis firma, vegeta & laborum patiente, colore fusco,statura mediocri.os ei carbunculus ab ineunte adolescentia distorserat, atque inde Kriuoustii cognomentum habuit. Animo verò excelso fuit, & periculo-

rum contemptore; iusti & æqui obseruantissimus: ad iram, gratiam, misericordiam ex æquo pronus: ad credendum perfacilis, quæ res ei multarum aduersitatum, & ad extremum exitii causa fuit. Ad beneficentiam & liberalitatem cum in omnes, tum præsertim in eos, qui in re militari præstabant, prōptus: modestia & clementia singulari, laudis & gloriæ cupidus, pacis artium non expers, verùm belli studiis longè præstantior: ad quæ à teneris, quod aiunt, vnguiculis toto animo ferebatur. Itaque omne ferè sui regni tempus bella gerendo exegit, miles strenuus & audax, dux prouidus, solers, animosus, & felix.

Res notatu digniores exterarum gentium, quæ incurrunt in eius seculum.

Caloioannes Imperator.

Lotarius Imperator eodem anno est mortuus aut certè vno tantùm anno anteuertit Boleslaum. Eodem tempore Caloioannes orientis Imperator, memorabili exitu vitam finiuit, manu in venatione ad digitum minimum venenatæ sagittæ illapsu leuiter læsa, quam vnà cum aliis aper ab eo sauciatus subito iusultu phare tra excusserat; ex læsa parte veneno celeriter in omnes corporis partes discurrente. Vir hic eximius fuit, qui aliquo modo Græcorum nomen instaurauit, & celebrius reddidit. Tartaros, qui hac ætate Europam vastabant, submouit. Hunnos ad Istri & Saui confluentem profligauit. Locus ille Francis etiam fatalis fuit, eos enim Hungari ibidem deleuerant vnde φραγκοχώριον in historiis, ob Francos in eo profligatos is locus dicitur. Eiusdem Boleslai temporib. Suatopelcus Monarcha Russorum Kiouiensium, socer Boleslai mortuus est anno 1112. Multas & præclaras victorias per id tempus Rusi ex Polouuciis, qui Gothorum reliquiæ esse censentur, reportarunt. Sed omnium nobilissima illa prima censetur, in qua ad viginti duces Polouutiorũ interfecti sunt. Accidit autem hoc anno Christi 1103.

Phrancochorion,

Tres gentes nobilitatæ hoc tempore.

Eiusdem regis nobilissimi temporibus tres non minùs claræ, quàm nobiles gentes in Polonia efflorueruut. Labeciorum, qui pro insigni cycnum gestabāt, ob fidem & summam animi propensionem erga Poloniam & Poloniæ reges, cum ipsi essent origine Dani. De his lege latiùs in historicis Polonicis. Secunda stirps, quæ honoribus est aucta, fuit Habdanckorum, ob legationem ad Henricum Imperatorem, quam tum summa cum dexteritate & gloria nominis Polonici ei⁹ stirpis princeps obiuit. Tertia ea est, quæ vocatur Woynia ob bellicam virtutem, quòd regem Boleslaum à Rusis

um à Ruſsis circumſeptum cum ſummo diſcrimine vitæ ſuæ planè è faucib. hoſtium liberarit. De qua re eſt ſuperiùs annotatum. Inſigne huius gentis eſt compoſitum ex cruce & anſa aheni.

De ceſsione iuris Imperatorii ab Henrico quinto.

In huius tempora incidit Henrici quinti ingreſſus Romam, vbi veniens duos Pontifices vi cepit, & cum Cardinalibus ſede deiecit. Sed tandem excommunicatus cum fulminis vim ſuſtinere amplius non poſſet oneri ſuccubuit. Iura enim Romanis remittit, & patrimonium ſancti Petri concedit, vt Carolus Sigonius in ſua hiſtoria refert. Adhæc iurat Pontifici idem Imperator, vitam, membra, honorem, regalia ſancti Petri tueri. Hæc cum Vormatiæ in magna hominum frequentia publicata eſſent 1122. Anno. Nono Calendas Octobris magnº applauſus conſequutus eſt in plebe ob ſpem futuræ tranquillitatis. Sed epiſcopi valde territi erant. Timebãt enim, ne qui per baculum & annulum inueſtiti erant, beneficiis priuarentur.

Hunc caſum ſcriptor hiſtoriæ Germanicæ iſtis verbis ita deplorat.

Ita ergo conſtituta ſancitaque à Carolo Magno iura Imperatorum, & annos trecentos conſeruata ac defenſa, ſeditio domeſticorum & Pontificum cõſpiratio vno momento eliſit & euertit, &c. Alius etiam Germanicus ſcriptor Ioannes Leuenclaius de bello Moſchouitico ſcribens inuehitur in Pontifices, vocans eos non ſacros ſed execrandos, quòd æmulatione laborantes paulatim tum temporis reges & maximè Poloniæ regem ab obedientia Imperii abduxerint: vt ita eos obedientię ſuæ ſubiicerent, conditionibusq; quibuſdam iuris ſui facerent, legibus certis circumſcribendo.

Hic quinquaginta pugnauit prælia, ſignis
Collatis, caſu non variante fidem
Pugnauit quoties toties & vicit eorum
Nomina, quos vicit quod breue claudat opus
Cæſaris Henrici magnas fudiſſe cohortes
Sat ſibi, deeſſent cætera, laudis erat.
Mœrore interiit, quod prorſus inermis ab hoſte
Fœdifrago victus fraude doloq; ſemel
I modo, Pompei numera mihi Roma triumphos,
Nos Boleſlai prælia, maior vter?

Pompeium Cæsar bello prostrauit aperto:
Fraus potuit nostrum vincere sola ducem.

WLADISLAVS ET BOLESLAUS Crispus.

Anno ab orbe condito 5101
Anno à Christo 1140.

BOleslaus cum quinq; filios reliquisset vni ex eis Wladislao regnum cessit. Verùm is, cum sibi arrogantiùs in reliquos fratres sumeret imperium, pecuniamque eorum subditis imperasset, & mel, oua, anseres, & triticum eos ad sua granaria deferre cogeret, nec se à quoquam ac ne à Senatoribus quidem à suo institutodeduci pateretur, vnà cum vxore Christina motus est regno, cumq; aliquantulum restitisset Senatusque consultum spreuisset, profligatus mox in perpetuum abiit exilium.

Wladislaus motus regno.

Egit posthæc apud Conradum Imperatorem, egit & apud Barbarossam, vt quam sibi illatam putabat, vlciscerentur iniuriam, regiæq; sedi ipsum restituerent. Sed oblata capita accusationis facilè qui successerat Boleslaus, diluit, & Imperatoribus satisfecit. Fuit postea regnum Polonorum tranquillius vsq; ad annum 1171. Iam quæ domi & foris euenerunt, dum isti fratres regni gubernacula tenebant, non abs re fuerit paucis consignare. Istis remporibus increbuit & inclaruit fama illius in toto orbe terrarum celeberrimæ expeditionis quæ vocabatur Pro recuperatione terræ sanctæ. Qua fama excitatus Henricus dux Sedomirienſium frater regis Boleslai, etiam ipse se Germanicis & Gallicis Argonautis illis adiunxit, excitatusq; & expergefactus paternis virtutibus vnà cum eis ire perrexit. Hunc secutus est quoq; vir magni nominis Iaxa de gente Gryfiorum, qui postea principatu Pomeraniæ potiti sunt. Qui cum in bello strenuum militem se præbuisset, domum quoque reuersus non minorem laudem pietatis & moderationis meruit. Ne verò nudis verbis, qualis esset ostenderet, etiam rebus ipsis id testatum fecit. Duo cœnobia erexit: alterum Miechouiæ, cuius oppidi situs persimilimus Hierosolymitano prædicatur, alterum Andreiouiæ. Iure quidem suo gloriari possunt Germani & Galli ob recuperatam terram sanctam, sed non soli: Aderant ibi & nostri, qui pars magna laborum fuerunt: Proinde suis meritis fraudari non debent. Hos autem conatus Christianorum adiuuit etiam Boleslai Proceri virtus. qui etiam Fridericum Barbarossam Imperatorem cum aliàs, tum circa oppugnationem Mediolanensem sub signis eius militando non mediocriter adiuuit.

Expeditio pro terra sancta.

Iaxa.

Boleſla. Proceri virtus ad Mediolanum.

Laudatur

Laudatur Friderici ipsius factum, quòd armatus & equo insidens flumen ad Mediolanum traiecerit, meruitque ob id ῥυϕοκύνδυνος vocari. Laudetur, inquam, Fridericus. Sed & Boleslai Proceri factum non est dissimulandum. Nam cum eques quispiam vasto corpore, gigantea mole, prodiens vrbe Mediolano identidem Cæsarianos ad singulare certamen vociferans, contumeliosis verbis prouocaret, & cuncti propriæ cuti, vt dicitur, cauendo, post principia starent: ipse non ferens totius exercitus ignominiam, inconsulto licet Imperatore, prouocatorem aggreditur, in oculisque cunctorum, qui ab vtraque parte spectatum prodierant, vt euentum duelli viderent, equo deiecit, desiliensq; confestim obtruncauit. Redit tandem ad suos spoliis, quæ hosti detraxerat, sibi impositis, & ab omnibus cum summa gratulatione & applausu, vt fieri solet in tali casu, excipitur, vniuerso exercitu Boleslai virtutem ad sidera efferente. Quo quidem eius heroico facto Cæsar ita fuit delectatus, vt eum Torquato illi Romano, qui primus hoc nomen inuenit, perblandè compellans comparauerit. Ex eo autem tempore magno in honore iuuenem apud se Imperator habuit, & cum alia documenta suæ beneuolentiæ erga eum dedit, tum in restitutionem eius, reconciliationemq; cum fratribus, maiore studio, confecto Mediolanensi bello, incubuit. Et quando egressus syluis vicina coëgi, vt Poëta inquit, Petri quoque Dunini probitas & calamitas simul, quam expertus est fortuna aduersa, commemorandæ essent. Verneri etiam Episcopi Plocensis mors miraculis quibusdam insignis enarrãda esset, nisi leges breuitatis, quas mihi ipse semel imposui transilire nollem. De Sylleſiæ etiam nomine cum alii hoc loci inquirant, mihi quoque aliquid dicendùm esset, nisi superius iam hoc præstitissem. Addam tamen hîc annotatiunculam quandam ex Chronico Wratislauiensi, quam cum ibi hospes essem, in summo templo inueneram descripseramq; Valterus inquit nonus Episcopus Wratislauiensis, ordinatus est anno domini 1148. & tempore huius Episcopi Poloniæ Canonici, & sacerdotes habuerunt vxores legitimas. Et facti sunt generi & soceri nobilium. Et erat magna inter clerum & nobiles concordia. Tempore dicti Episcopi ædificata est murata ecclesia sancti Iohannis Wratislauiæ. Hæc ad verbum bona fide descripta sunt.

Vernerus Plocensis Episcopus.

Status Ecclesiæ sub hoc rege.

De regno Bohemorũ sub annum 1154.

Fridericus Barbarossa, pace facta cum Polonis, anno sequenti expeditionem in Italiam persequutus est (vbi cum Alexandro tertio Pontifice, quid negotii Venetiis habuerit, passim tradunt autores) Bohemorum & Polonorum auxiliis adiutus. Ratisbonæ autem in ipso

tem in ipso procinctu Wladislao Bohemorum Principi regium diadema imposuit,& pro nigra aquila,leonem album duplicata cauda,vt posthac hæc insignia eius essent,dedit. Erant antea Reges Bohemi coronati, sed à Pontifice. Innouatio autem coronationis & insignium mutatio respiciebat eò, vt Pontificibus adimeretur ius coronandi Reges. Id enim sibi proprium vendicabant Imperatores,& hæc fuit non postrema causa belli & dissidiorum inter Pontificem Alexandrum & Imperatorem. In hæc tempora incidit illud bellum atrox in Bauaria & expugnatio oppidi Vaisberg, vbi cum Imperator Fridericus edixisset,vt Velphus cæteriq; equestris ordinis viri,vincti in custodiam traderentur, oppidum à militibus diriperetur, ciues vitam ac libertatem redimerent: tunc mulieres quæ fuerunt in vrbe,antequam portæ aperirentur,petiuerunt vt sibi saluis abire liceret,portantibus de suis rebꝰ quantum vnaquæque posset,quod cum à generosi animi victore facilè impetrassent, capiunt consilium pium & memorabile. Nam cumhostes aurum eas ac gemmas mundumq; muliebrem,aut pecuniæ aliquid secum ablaturas putarent, illæ omnibus his rebus militum prædæ relictis, maritos suos in humeros sublatos, & paruos liberos in sinu atque amplexu tenentes,vrbe asportarunt. Imperator ingeniosa pietate mulierum mirifice delectatus, omnibus cõuiuio exceptis, clementer ignouit.

De transitu Conradi Imperatoris per Poloniam,cum exercitum duceret in Asiam pro recuperatione terræ sanctæ, ex Miechouiensi.

Antiquitus humanitas maxima in regibus Poloniæ.

Boleslaus Crispus cum Germanis Mieczlao & Henrico,in metis ei personaliter occurrentes,cum magna veneratione prẽfatum Romanorum regem & ipsius exercitum per Poloniam conducentes,omnes sumptus & expẽsas liberaliter tribuerunt,pontes & passagia refecerunt, ad extremumque Constantinopolim versus deduxerunt. Henricus autem vnus ex filiis illis Kriuoustii, dux Sedomirienſis & Lublinenſis, refutatis nuptiis, quoniam celibem vitam elegerat, cum voluntariorum militum delectu,in pulchro apparatu ad tuendam terram sanctam (quoniam illa tempestate à regibus Christianis ipsius quærebatur recuperatio) profectus est.In profectionis articulo,ecclesiam parochialem in villa Sagosc,ad fluuium Nida cum bona dote fundando,& terras Sedomirienſem & Lublinenſem Boleslao Crispo ad gubernandũ commendat,postq;

vnius anni

vnius anni lapsum, sospes in patriam rediit, militibus suis nonnullis morte & periculis absumptis. Ducibus Poloniæ aliquot annos tranquillè & sine bellis vitam agentibus.

Quo pacto Emanuel Cõnenus Imperator orientis Conrardum Imperatorem occidẽtis cum toto exercitu Christianorum hospitio exceperit.

Fuit Emanuel affinis Conrardi, propterea fiducia amicitiæ securiùs se, transmisso Hellesponto, Asiæ commisit. At ille insigni perfidia, penè grauiùs hostibus ipsis, afflixit eius exercitum, ferro, fraude, ad extremum & veneno copias eius populat⁹ est. Magnam enim partem militum eius perdidit, submissis panibus, qui parati erant ex farina, cui gypsi tenuissimus puluis commistus erat. Sed hanc perfidiam Rogerius Siciliæ Rex cito vltus est, Corcyra, Ætolia, Acaruania, Corintho, Acrocorintho, aliisque locis ac prouinciis, Emanuelem exuendo. Postea classem regiæ vrbi admouit, & impetuin eam facto, suburbia flammis iniectis exusit. Ægrè sese cum Imperii titulo intra mœnia, Imperatore conseruante, quin & ipse non ita multò post, fatis concessit, cum attigisset annum tricesimum octauum Imperii sui. Imperii finem hoc versu prædictum ei tradunt.

ἀλλ' ὑτάτη σε κερδαίνει λαβὴ λόγου. *quem versum ego sic verterem,*
Verùm rapit te nominis pars vltima.

Postremæ enim literæ nominis ΕΜΑΝΟΥΗΛ Græcis triginta octo significant. Multa de curiositate eius naturæ differunt historici: Cum enim ingenio valeret & eloquentia, delectabatur monstrosis opinionibus, & ostentatione ingenii, in disputationum conflictibus. Conrado mortuo, Fridericus Barbarossa Imperator in Poloniam est ingressus, vt ita subsidiaria auxilia à Boleslao extorqueret. Quia verò videbant Poloni institutum Friderici esse honestum, nequaquam difficiles se in ea re præbuerunt. Statim enim Boleslaus, dictus proceræ staturæ, qui filius Wladislai maioris natu erat, se ei adiunxit: & præclarum illud virtutis suæ specimen, quod ante commemorauimus in exercitu ipsius apud Mediolanum edidit, exercitu Boleslai virtutem ad sidera efferente. *Emanuelis nomen.*

1162. Bellum Vandalicum cum Danis, in quo Henricus Leo Danis auxilio fuit, Crantius quinto & octauo capite.

1165. Item Vandalicum bellum cum Danis renouatur. Belli Vandalici cum Danis meminit etiam Cromerus.

MIECISLAVS SENEX.

Anno ab orbe condito 5076.
Anno Christi 1174.

SEnatus cunctiq́ue ordines cum persoluissent iusta Boleslao Crispo ad Mieciſlaum regnum deferunt, partim eam ob causam quòd maior natu esset, partim quod morum peculiari quadam grauitate apud eos commendabilis erat. Sed is iudicium senatus & opinionem cito fefellit. Nam grauitas morum, quæ præter ætatem in adolescentibus elucere videtur, sensim intyrannidem vt plurimum degenerare vertiq́; solet. Hoc verum esse exemplo quoque Mieciſlai experientia docuit. Nam cum omnia sibi permitteret, monentes contemneret, & omnia pro libidine agere cœpisset, redargutus est priuatim à Gedeone Archiepiscopo. Sed illa admonitione deterior factus, in vitia Reipub. noxia indies magis ruebat. Proinde cum priuatis admonitionibus nihil profeciſſet, publicè etiam expostulare cum eò aggressus est Gedeon; assistentibus & gestu annuentibus cæteris: modestè is quidem, vt is, qui quomodo erga reges sese gerere cum regibus agere deceat, probè nouerat, sed tamen non absque aculeis. Materiam orationis ei subministrauit occasio Mulieris cuiusdam, quæ contra priuignum coram Rege querelas protulerat. Aderat enim tunc forte Gedeon, & exemplo Prophetę Natan, qui ficta narratione de oue erepta, Dauidem criminis conuicerat: ipse quoque vt sese Rex agnosceret, & resipisceret, efficere est conatus. At meliore euentu Natan id confecit. Is enim effecit, vt Dauid pœnitentiam seriam ageret. Sed Mieciſlaus nullum fructum receptæ admonitionis edidit: imò in vetita magis ruebat, negataq́; concupiscebat. Itaque cum neq; priuatis, neque publicis admonitionib⁹ quicquam profeciſſent, lege Traiani Imperatoris contra eum agunt. Electus hic ad imperium, strictum gladium Romanis porrexerat, vt si malè imperasset, eo contra ipsum vterentur. Et iurisconsulti quidem illam legem magis castrensem esse volunt, vbi dux in tyrannidem ita notoriam prolaberetur, vt res nec probatione nec vllo teste indigeret. Nam in castris in puniendis admissis comperendinationes locum non habent. Vt vt tamen se res habet, exponaturq́; lex vt lubet, certè Senatus ampliſsimus regni huius, satis prudenter & longanimiter se gesit erga Principem suum, præeunte Archiepiscopo Gedeone. Quamquam postmodum cum seditiones & bella ciuilia metuerent, & admonitionibus nihil planè profici viderent, ad consilia acerbiora eos decurrere necesse fuit: Mieciſlaum igitur regem summo magistratu mouent, & Cazimirum Sedomirien-

Lex Traiani Imperatoris fuerit ne castrensis & an tenenda.

Sedomirienſem fratrem iuniorem, licet inuitum, & moras nectentem in locum eius ſurrogant, ac per Stephanum Palatinum Cracouienſem regem nominant. Ita Mieciſlaus cum vniuerſum negotium proteruia ſua coniuncta cum ferocia corrupiſſet, regno priuatus eſt. Libertas hæc ſenatus Polonici prudentiâ temperata, eò magis eſt laudanda, quòd adhuc ſub illa ſeruitute viuentes, cum auenam pendere regi, & gallos gallinaceos, ouaque apportare annuatim cogebantur, apertè tamen ſe pro Repub. opponere non formidauerint, maximè cum nullum aliud remedium eis reſtaret, contra hominem, obfirmato animo, in præceps ruentem: Diligentiſsimè tamen cauendum eſt ea in re, nequid nimis. Extremum enim hoc debet eſſe remedium.

Nominatio regis noui per quem.

CAZIMIRVS SECVNDVS.

Anno à condito orbe 5140.
Anno Chriſti 1178.

CAzimirus, fratre exautorato, nequicquam exterorum auxilia implorante, rerum potitur: Defectio autem à Mieciſlao, qua magiſtratu ſupremo ſummotus, & ex rege extorris factus fuit, à filio maiore natu Othone initium ſumpſit. Labentibus enim rebus parentis, Otho ne ſibi deeſſe videretur, inuaſerat in poſſeſsiones patris, maioremq; Poloniam occupauerat. Vtque tutius ei ſic eſſe liceret, miſsis ad Cazimirum legatis, ſe fore in poteſtate eius & deinceps imperata facturum promittit. Obtinuit à patruo rege id quod optabat, maiorisque Poloniæ principatum adipiſcitur, Gneſna excepta, quam ad retinendam amplitudinem nominis, autoritatemque tuendam, vt pote priſcorum regum domicilium antiquius & auguſtius, ſibi vtilem fore iudicabat. Othonis exemplum Pomerani ſecuti, ſimiliter ſe Cazimiro dedunt, quos in fidem & clientelam recepit, eisque Boguſlaum de gente Gryfiorum præficit, cuius opibus & clientelis poſteri confiſi, excuſſo iugo nomen ſibi principis vſurpauerunt, cum antea præfectu ræ nomine tantum imperitarent. Nunc pro clientibus regum Poloniæ aliqua ex parte ſe gerunt, tantùm ratione Bithomiæ arcis & Lemburgi. Conatus eſt Mieciſlaus recuperare priores fortunas, & regi Cazimiro magna ex parte perſuadet. Iamque aliquoties infrequenti ſenatu mentio horum facta fuit, inſtinctu Cazimiri, ſed nullo profectu. Ipſe demum rex cum acrius intercederet pro eo, oratio eius à ſenatu non obſcuro murmure excepta fuit. Cum ergo apertè nihil profeciſſet, clam ei per internuncios indicat, ſe non aduerſaturum, ſi aliquomodo ſaltem ſe poſſet inſinuare abſq; magno rerum tumultu. Nec moratur ille, primoque Poſnaniam paucis poſt die-

Otho filius Mieciſlai defectionis principium caput.

Boguſlaus Gryfius, non à rege tantùm, ſed à regno deficit.

Lemburgum et Bitomia.

Cazimirus non ſyncerè agit cum Senatu.

cis poſt dieb⁹ ipſam Gneſnam intercipit. Interea Cazimirus de legibus quibuſdam, quæ abrogandis quibuſdam moribus barbaris ſeruiebant, ad Senatum & ordines rogationem facit. quam rogationem cuncti ratam faciunt, vtque in maiore autoritate leges illæ haberentur & retinerentur firmius, etiam à Pontifice ſummo Alexandro illo qui Barbaroſsæ Cæſaris Venetiis ceruicem pede preſſit, eas comprobari petit & impetrat. Commemorantur hîc Cazimiri victoriæ de Ruſsis partæ. Expugnauerat tum is Chelmenſem Belſenſemque & Breſtenſem, Droicienſemque tractum, & in prouincias redegerat. Primus hic Ruſsis talionem reddidit pro illa perfidia, qua vſi ſunt erga Boleſlaum Kriououſtium, cum eius exercitum toties victorem non virtute ſed fraude vltimò diſsipaſſent. Hæc apud Vincentium Cadlubkum eius ſynchronum, nam ei à commmentariis fuit, latiùs reperies. Sicut enim Polybius Scipionem, Procopius Belliſarium, ſic Cazimirus ſecundus Cadlubkum voluit eſſe rerum à ſe geſtarum, à commentariis. In hæc ferè tempora incidit expeditio Barbaroſsę, quam ſuſceperat Hieroſolymã, ad vindicandam terram ſanctam. Nam hæc cauſa, huic inſtituto prætexebatur. Sed qui intimos eorum ſenſus explicare poterant, aliam occultiorem huic rei ſubeſſe obſeruabãt: nimirum regnum & prolationem regni & imperii, videlicet vt Cæſar & Pontifex Romanus recuperata Hieroſolyma, in Aſia non modò occidentis, ſed etiam orientis deinceps reuera vocaretur hic Pontifex, ille verò Monarcha. Nec amplius duo Imperatores, ſed vnus, non quatuor patriarchæ, ſed vnus & ſummus Pontifex diceretur, cui vtrumque imperium pareret. Et hæc eſt cauſa cur Græci Imperatores aduerſabantur huic expeditioni. Non quod nollent barbaros à Chriſtianis quàm longiſsimè arceri, ſed quod defendenda Hieroſolymâ ſe per latus peti, ſibiq; ipſis pericula creari ægerrimè ferebant. Hinc eſt quòd aliquando Gallos, & Germanos, Italoſq; cruce ſignatos orientem petentes, vi & armis adoriebantur, quod gypſum farinæ immiſcebãt, fontes veneno intoxicabant, vt ſi videlicet aperto Marte non poſsent, occultè tamen eorum quàm maximè inſtitutum impedirent. Noſtri tamen Poloni ſyncerè Chriſtianos in eo conſilio adiutos cupiebant. Nam eodem tempore imperata pecunia, ex decimis colligebatur, mittebanturque ſubſidia. Sed quod noſtri pio conſilio factitabant, inſtar eleemoſynæ liberrimæ ad eum vſum pecuniam contribuentes, hoc illi & eorum ſcriptores ſiniſtrè interpretati ſunt. Affirmant enim, tum Polonos ex pacto tributum Imperatori ſolitos fuiſſe pẽdere. Quaſi verò Princeps feliciſsimus Cazimirus, qui aliis tributa imponere ſolebat, tributum ſibi imponi paſsus fuiſſet. Vixit Cazimirus annos quinquaginta ſex,

Statuta regni Pontifici confirmanda offeruntur.

Expeditionis pro Hieroſolyma recuperanda aliquot cauſæ.

An Polonia ex neceſsitate ſubſidia Chriſtianis Imperatorib⁹ mittebat.

ginta sex,regnauit septemdecim.Post illa bella reliquum vitæ tem pus legibus,& emendãdis ciuium moribus insumpsit.Fueruntque isti Cazimiri,& ille primus,& hic posterior principes salutares Re ipub. & homines frugi.Testantur hoc bella vtriusque & opera pietatis,quæ dum viuerent,erga indigos exercuerunt.

Res exterorum quæ hoc tempore contigerunt.

1181. Alexius Comnenus alter orientis imperio præerat, sed hunc Andronicº patris frater patruelis oppressit, cum vix annum attigisset decimum quintum, neruo arcº gutture eliso immaniter strangulans, impositumq; arcæ plumbeæ in mare demersit, acclamantib. cædis sociis illud Homericũ:Imperitare malum multos, rex vnicus esto. Vltus est autem Deº breui tantum scelus atq; iniuriam Alexio illatam. Nam à Wilhelmo Siciliæ rege vindicante iniustam cædem,prælio victus est Andronicus. Et cum ob immanem sæuitiam publico flagraret odio,dum fugam parat,à multitudine comprehensus est,abscissaq; altera manu & oculo effosso camelo insidens,facie ad caudam versa,per vrbem circũductus, vulgiq; vncis & harpagonibus, frustulatim concerptus fuit. Ita pœnas dedit parricidii. Hæc euenerunt quinto ferè anno regni Cazimiri.

Supplicium per neruum arcus.

Andronici Comneni tyrannus.

De Pontificij legati aduentu in Poloniam ex Miechouiensi, lib. 3. cap. 4.

1189. Iohannes Cardinalis cognominatus Malabranka,à Clemente Papa tertio missus, in Poloniam venit. Et habita synodo Cracouiæ propter reformationem cleri,tam Episcopis,quàm vniuerso clero pro recuperatione terræ sanctæ decimam imposuit.

Malabranka Legatus Pontificis.

De origine Cruciferorum ordinis Teutonici.

Friderico primo Imperatore in Asia pro recuperãda terra sancta bellum gerente,& Ptolemaidem obsidente, ciues Lubecenses & Bremenses multa pietatis officia præstiterunt militibº,qui aut telis icti, aut alia ratione vulnerati ab hostibus erant, aut relicti à sociis in castris oberrabant.Horum enim opera isti sub papilionibus ex velis nauium in terra expansis, reficiebantur ac recreabantur. Accidit verò vt Imperator Fridericus deambulans per castra hanc eorum beneficentiam cum pietate coniunctam videret, qui collaudata

collaudata eorum virtute, ſuſpiriis ex imo corde ductis, dixiſſe fertur: Ciues hi beneficentia & pietate omnes principes, qui adſunt, longè ſuperant. Hoc enim officium erat omnium, qui alios facultatib. antecellunt. Arreptaq; inde occaſione rem totam ad comitia caſtrenſia defert. Fuitque autor, vt ordo Germanorum militum ex nobili proſapia electorum inſtitueretur, quorum officium inprimis eſſet curam pauperum in terra ſancta exiſtentium gerere. Erant tunc confirmati Templariorum & Ioannitarum ordines. Ex horum inſtitutis medium quiddam eligitur, vt eſſet norma addicentium ſeſe huic regulæ. Placet hoc cunctis Imperatoris conſilium, conceditúrque eis ex regis largitione domus hoſpitalis Hierosolymis. Effectumq; eſt, vt Pontifex Celeſtinus tertius, qui nuper Pontificatum inierat, hoc inſtitutum ordinis huius confirmaret, qui dedit eis veſtem albam, nigra cruce inſignitam, vt dignoſcerentur. Conceſsit etiam eis facultatem creandorum equitum Auratorum, vt vocant, qua autoritate ipſis quodammodo regib. ſunt comparati. Hi quomodo in Pruſsiam fuerint delati, quidue negotii cum noſtris gentibus habuerint, ſuis locis annotabimus. Georgius etiam Sabinus mihi quondam coniunctiſsimus, iis de rebus aliquid conſcripſit. Hic autem ordo inſtitutus eſt anno quarto ante mortem Cazimiri Iuſti regis Polonorum.

Modus inſtructionis exercitus Cazimiri contra Ruſſos ad Haliciam.

Cazimirus vt milites ad prælium ineundum incitaret, commemorat breuiter ante paucos annos, in iſdem locis ad Haliciam cæſos milites patris Kriouſtii non virtute, ſed dolo ac proditione, quib. vt perfidioſorum hoſtium ſanguine parentare velint, hortatur & monet. His animatos verbis in aciem educit, & ſiniſtro cornui Palatinum Cracouienſem præficit, ipſe verò dextrum adminiſtrandum ſuſcipit. Nec mora, ſigno dato, pugnandi poteſtatem facit. Explicant & Ruſsi ſuas acies, concurritur infeſtis armis & animis, ac durum prælium committitur. Premebantur noſtri in ſiniſtro cornu à ſagittariis, nec iam ſatis ſuos ſeruabant ordines. Ibi Cazimirus re intellecta, ſubſidium ſuis laborantibus ſubmittit. Atque adeo ipſemet, vt ſcribit Vincentius, magno ſuæ vitæ periculo ſuccurrit, & inclinatam aciem vix reſtituit. Reprimuntur ergo feroces Ruſsi, & mox, commutata fortuna, pedem referre incipiunt. Inſtant noſtri acriùs turbatis & trepidantibus, & cohortati ſeſe mutuò in fugam eos coniiciunt. Quo animaduerſo, cæteri, qui dextrum cornu noſtrum adhuc ſuſtinebant, terga vertunt &

cunt & ipsi. Persequuntur nostri, maiorem longè in fugientibus, quàm dudum in resistentibus stragem edunt, permultos viuos capiunt, duces hostium commutando equos euasere. Deinde reuersi nostri castra opulenta diripiunt. Halicienses mox deditionem fecere. Cazimirus autem magnam rationem habuit expeditionis Hierosolymitanæ, nec summo iure est vsus cõtra suos hostes Hungaros ad Haliciam, sic enim Platina in Clemente tertio. Poloniæ autem rex saluti Christianorum cõsulens, Hungaris pacem dedit, quò omnibus facilius proficisci ad tantam expeditionem liceret.

De morte Cazimiri ex Cromero.

Ad quartum nonas Maii anniuersaria diui Floriani celebrabantur. Ibi Cazimirus totum eum diem rei diuinæ in æde diui & piæ in egenos & afflictos largitioni dedit. Quod ferè omnibus festis diebus facere consueuerat, neque temerè eos lusibus & conuiuiis contaminabat. In sequenti die grande conuiuium instruxit, proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruente conuiuio, exhilaratis conuiuis, & multa de præteritis atque periculis inter se conferentibus, & principis res gestas & felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animæ, atque cœlitum beatitudine nõ ineptè in medium protulit. Erat enim ab ineunte ætate non pessimè educatus & institutus. Deinde hausto mediocri poculo, subitò concidit, & paucis horis animam exhalauit. Subitusne morbus eum inuaserit, an venenum à muliercula, quam deperibat, præparatum hauserit, incertum est. Nam & hoc sermone hominum diuulgatum fuit.

Conclusio.

Habent apud scriptores suas laudes Chobrius & Kriuoustius reges Poloniæ; sed Cazimirus secundus, etiamsi laudatur, tamen cur non ita alacriter commendetur à nostris historicis, valde miror. Pomeranos siquidem hic in ordinem redegit. Podlasios domuit, Prutenos gloriosè subegit, Russos potenter bis debellauit. Cum his quatuor hostibus illi duo bellatores cruenta bella gesserunt; non tamen eorum maxillis fræna ita iniecerunt, vt rebellare postea non possent, quod omnino præstitit hic iustus, hic pi⁹ princeps, exteris admirabilis, suis reuerenter amandus. Et si Kriuoustium cum Cazimiro, patrem cum filio componere licet: Kriuoustium compararem Iulio Cæsari, vi & robore militari conspicuo. Cazimirum verò Cæsari Augusto conferre possem. Hic enim forsan natura non fuit bellator, sicuti & de Augusto referunt; sed tamen fortuna vbique à partibus eius stetit. De hoc enim propriè dici po

 test, quòd

test, quòd solus suo æuo post illas victorias celebres, cum finitimis pace firmata & longa quiete stabilita Iani templum occluserit.

LESCVS ALBVS.

Anno ab orbe condito 5157.
Anno à Christo. 1195.

POloni meritorum Cazimiri patris memores, Lescum eligunt in regem. Aderat quidem Miescus senex, aderant SYLLESII, & Opolienses duces, qui iure quodam suo ad principatum adspirabant. Sed tantus amor patricii regis tunc cunctos tenebat Polonos, vt non dicam Germanum aut Italum, sed ne Sylleſium quidem, ac neque Mieſconem ex maiori Polonia vellent eligere. Cunctorum enim tum persuasio hæc occupauerat animos, nequaquam ex re atque dignitate Cracouiensis & Sedomirienſis conuentus fore aliunde sibi principem accersere. Licet autem lex naturæ atque etiam diuina suadeat, ex sua gente eligendum principem, tamen exemplo hoc demonstratum est, electionem domesticorum regum ciuilia bella facilè concomitari, maximè si candidati complures sint, qui æquum ius suæ ambitioni prætexentes per factiones & inconcessa media rem agant. Cum enim audiuisset Mieſco, se neglectum esse, statim accurrit, corrogatoque vndique exercitu, ita atrox ciuile bellum & mox prœlium ad Mozgauam flumen, septem à Cracouia, quatuor verò ab Andreiouia miliaribus distans, excitat, vt de salute Reipub. admodum dubitaretur. Et iam fusi fugatiq; Mieſcouiani erant, cum superuenientibus Wratislauiensibus, Opolienſibusque, denuo instauratur pugna. Fuit hoc cruentum & funestum prœlium. Periit in eo Boleslaus Mieſci senis filius: ipse sucius domum lectica reportatur. Ab altera parte Romanus Russus, pluribus vulneribus acceptis medio è prœlio excedit. Palatinus verò Sedomirienſis Gonoricius viuus capitur. Dum æstuat Polonia ciuilibus bellis, venerat huc Cardinalis Capuanus, elaborauitq; sollicitè in abrogando rescindendoq; matrimonio sacerdotũ, quod ad eam diem in vsu retentum fuerat, Autor est Dlugosius, Pambertus Saffnaburgenſis, ac etiam ipse Martinus Cromerus id multis verbis adstruit. Miechouiensis id de concubinis intelligi vult, sed dominus Cromerus & de vxoribus legitimis adiecit, idque ex sententia Dlugosii, q expresse vxores nominat. Quod verum esse chronicon Wratislauiense comprobat superiùs à me adductum.

Ad Mozgauam ciuile bellum.

Cardinalis Capuani aductus in Poloniam.

Mieſco quarto postquam apud Mozgauam malè pugnauerat, anno Christi 1195. Anno ab orbe condito, 1195. Cuiauiensem oram Lesconi

ram Leſconi tum iuueni eripit, mox maiora auſus, vbi pollicitationibus credulæ matris Helenæ animum expugnat, & proceres in ſuam ſententiam pertrahit, regiam ipſam vi & armis occupat, nec tamen ea, quę liberaliter promiſerat, exoluit. Trāſactionem enim cum Helena & proceribus huiuſmodi fecerat: Si regem ſe nuncupari paterentur, filio Helenæ, vbi adoleuiſſet, regni habenas rurſus ſe daturum. Cum autem animos Cracouienſium ſæpius offendiſſet, nec vlla ſpes reſtaret, eum pactis conuentis, quæ cum matre Leſci ſanxerat, ſtaturum, cuncti veluti ſigno ſublato contra eum conſpirant, Leſcoque debitum & olim deſtinatum ac delatum regnum arcesque deferunt. Mieſcus vbi minimè rem ioco agi vidit, ad ſolitas artes confugit, inſtructusq; variis verborum blanditiis Helenam accedens, eamque affinem ſuam cariſsimam appellans, non tam mihi inquit eſt hoc imputandum, quàm tuis clientibus, &c. Atque ita crimen hactenus ei non præſtitæ fidei amouere à ſe nititur, totamque culpam in Nicolaum Palatinum Cracouienſem reiicit, quem ſeditioſum hominem vocat, eiq; notam illam inurit, quòd illi vſitatum ſit principes pro libidine inſtituere, & rurſus deſtituere; vtque ipſe ſub alieno nomine dominaretur, hoc ſemper ſpectare. Vbi finem ſermonis feciſſet, mulierem ſuis artibus pedetentim ab inſtituto deducit, ſeque ad regnum iam tertiò inſinuat. Nicolaus Palatinus conſiderata leuitate mulieris inſanabili, profectus Poſnaniam ad Mieſcum regem, tempori ſe accōmodat, tranſitionemque facit. Interim rex vario ſucceſſu fortunæ defatigatus, cum iam ageret ſeptuageſimum tertium annum, inopinata morte opprimitur, Caliſiæq; ſepelitur in templo Pauli Apoſtoli. Verùm poſtea vrbe in alium locum tranſlata, ſepulchrum eius in ſuburbio relictum eſt. Ita qui viuus variis tempeſtatum caſibus iactabatur, etiam poſt mortem deſertus, & ludibrio fortunæ expoſitus remanſit, dum ſepulchrum eius ab iniuriis cœleſtibus minimè liberum, tecto concamerato, more aliorum regum, non dignatur. Commiſereri eius ſane debuit vel ipſum Vagrouienſe monaſterium, quod ipſe erexit & opibus locupleuauit. Res admodum exilis erat, ſui patroni oſſa, ſi non exornare, at ſaltem contegere, vt ſe memores beneficiorum acceptorum hac ratione teſtarentur. Temporibus huius regis hiſtoria mentionem facit quoque regum Polocenſium, ex quibus celebratur Volodomir. Quod ideo annotaui, quia creberrima hodie fit mentio Polocenſis expeditionis, quando rex Stephanus ſumma vi & virtute militum illam arcem expugnauit, & totam prouinciam in poteſtatem ſuam redegit.

Helena credula.

Mieſcus blanditijs Reginam circumuenit.

Mors Mieſconis.

WLADISLAVS LASCONOG.

FLectio Lasconogi præ aliis est admirabilior, quippe in qua non armis, non technis, sed virtutis & mansuetudinis excellentia inter principes decertatum est, dum singuli regios honores cum iniuria alterius capessere detrectant. Nicolaus Palatinus leuitatem Helenæ iamdudum auersatus, etiam ad eius filium Lescum Album principatum deferre tergiuersabatur primò, tandem, reliquis consentientibus, & ipse in eorum sententiam concedit, ea tamen lege, vt priùs Gonoricium Palatinum Sedomirienſem æmulum suum in exilium mittat. Fuit enim ei ita infensus, vt licèt aliquoties reconciliatio inter eos tentata & in speciem perfecta fuerit, tamen cum nunquam, quoad vixit, amare potuit. At Lescus, cum vidisset sibi leges præscribi, & quasi compedes iniici, potiùs quàm Gonoricium fidum consiliarium & sibi amicissimum prodere velit, ipsos regios honores susscipere dedignatur. Contra Gonoricius, qui vnicè Lescum suum dominum diligebat, ne sua commoda negligat hortatur, se licet senem imbecillum libenter in exilium iturum, & quidem alacriter, modò occasioni ipse ne desit, regnumq; sibi debitum in alienam familiam transferri non patiatur, non commotus est Gonoricii oratione Lescus, sed quantò efficaciùs documentum beneuolentiæ ipsius erga se considerat & admiratur, tantò pertinaciùs in priore sententia persistit; proinde alium sibi Cracouienses Proceres istis legib⁹ regem quærant, denunciat. Quem nuncium ab animo excelso Lesci profectum dum Proceres examinant, Wladislaum Lasconogum regem renunciant. At is quoque se declarat non esse ita regnandi cupidum, vt principatus causa ius & vinculum consanguinitatis violare velit, debitumque regnum fratri interuertere. Interim Lescum de Senatuconsulto Cracouienſium certiorem facit, nihilq; se aduersus animi ipsius sententiam pacturum promittit, modò sibi deesse nolit; id quod non modò hortatur, sed etiam iubet. Vides priscos homines de re tanti momenti, vbi non datur bis errare, rarissimo exemplo sinceritate & integritate decertantes. Quod si nunc aliquid tale eueniret, certe à nuperis hominibus is, qui ita se gereret, tanquam intempestiuus virtutis cliens irrideretur, & nisi fallor etiam exibilaretur. Enimuero pro honoribus non satis est, hac tempestate igne & ferro decertare; confugitur ad illicita media, propinantur & toxica, obiiciuntur venena sensibus tactus, gustus, visus, superstitibus & adhuc spirantibus, qui aliquo munere, præfecturarum funguntur, iam noui gregales, non secus ac vultures de successione solliciti, conuolant. Talem tantamque animi in

Lescone mo-

Leſcone modeſtiam Deus comprobauit illa victoria celeberrima ei conceſſa, de principe Ruſſo Romano, quem ad Zaichoſtiam debellauit. Monſtratur inſula illa, vbi eſt traiectus nobilis in flumine à nautis, vbi pars exercitus Ruſsorum diſsipati & compulſi ſeſe receperat, plurimis poſt pugnam deſideratis. Regiam etiam dignitatem, cuius adipiſcendæ ſpem ſibi iam ipſe præcidiſſe videbatur, iterum recuperat. Commemoratur hoc Laſconogi tempore, Liuonum conuerſio ad fidem Chriſtianam, de qua in noſtra hiſtoria rerum eccleſiaſticarum fuſiùs tractatur. Commemoratur & victoria eius Ruſsorum de Lituanis parta.

LESCVS ALBVS.

LEſcus tertiùm rex creatur. Cadlubkus primus ſcriptor hiſtoriæ Polonorum præmium laborum & eruditionis Epiſcopatum Cracouienſem conſequitur. Fuit autem ſynchronus Innocentii Papæ, qui decretalium libros promulgauit. Eodem tempore Haliciæ in Podolia, ſeu Galatiæ regnum inſtituitur, cuius regem idem Cadlubkus primus inaugurat. Sed euentus breui docuit, hoc regnum non bonis auſpiciis inſtitutum fuiſſe. Rex enim Colomanus victus à Ruſsis cum Salomea vxore, ſorore Leſci capitur, & annum in cuſtodia aſſeruatur. Qua re Poloni audita, indignabundi vndiq; confluunt, & mox talionem reddunt, de Ruſsis inſigni victoria reportata. In ea pugna decem Duces inſignes Ruſsi capiuntur, & adducuntur ad regem Leſcum viui. Incidiſſe etiam in hæc tempora narratur primus Tartarorum in Ruſsiam aduentus, & clades ab eis illa recitatur, quam Cometes inuſitatæ magnitudinis prænunciauit. Libertates etiam & immunitates, exemptionesque eccleſiaſtici ordinis tum auctæ ſunt: elaborante ea in re maximè omnium Henricho Archiepiſcopo. Hoc etiam tempore Cruciferorum nomen in his oris innotuit. Vocati erant hi ad ferendum auxilium, tandem pro dominis ſe gerere cœperunt. Imitati ſunt forſan in eo facinore Turcos. Nam & iſti eadem prorſus occaſione vocati à Marco orientis Imperatore, nimirum vt ipſi opem ferrent, mutato cõſilio Græciam occuparunt. Leſcus hic à Pomeranis dum balneat ſecuriùs, interficitur, exemplum relinquens mortalibus, quàm verum ſit dictum Philoſophi: μέμνησο ἀπιτεῖν.

Regnum Galatiæ.

Libertates Eccleſiaſticæ.

Cruciferi.

Turci à Marco Imperatore euocati.

Anacephalæoſis hiſtoriæ chronologica, vſque ad Boleſlaum Pudicum.

Quia hîc ſeries hiſtoriæ perplexa eſt, ob Mieſci ſenis & Leſci Albi

trinam, aut quaternam resumptionem principatus, ideo seriem historiæ in ordinem chronologicum hoc modo redegimus.

1185. Valachi Isaaco Orientis Imperatori rebellant, cum quibus is infeliciter congreditur. Prima hîc mentio fit Valachorum, quos Græci scriptores Blachos vocant. Dixi autem Traiani acta persequens de Valachorum origine. Sed non desunt, qui potiùs à Genuensibus Italis, qui ad ostia Danubii confederant in vicinia, vel in ipsa sede Valachorum, eorum linguam immutatam esse putant. Cuius rei tres rationes non contemnendas habent: Primò, quòd Valachi in sua lingua non tam Latinorum quàm Italorum sermonis corruptelas habent. Verbi gratia: Passa pro trãseas, Curciani pro cortigiani, id est aulici, & consimilia. Quorum omnium expers erat ætas Traiani, quę adhuc incorruptam linguam habuit. Secundò, quòd illæ coloniæ Traiani Romanorum, ab Adriano, & aliis reductæ rursum fuerunt ex Dacia in Italiam. Tertiò, quòd, si reliquiæ essent exercitus Traiani, non obliti fuissent historiæ Romanæ scriptores, eos vocare ex corrupto nomine Italicorum, Valachos seu Blachos. Sed nusquam per mille annos fit mentio Blachorum, nisi ab illo tempore, quando Genuensium coloniæ Kiliam, quæ Achyleæ etymon redolet, occuparunt. Cõpone hæc, quæ nunc dicũtur, cum illis, quę in Traiano à me sunt commemorata, & rem planam habebis. Nec desunt, qui eiusdem generis Italos hac via in Litvvaniam ab ostiis Danubii per Valachiam transiuisse affirmant, & tales paruifaciunt illam narrationem de Libone, qui in Litvvaniam adueniisse dicitur. De Columnensium autem aduentu ad illas regiones inferiùs dicemus.

Cause cur non à latinis sed ab Italisqui post corruptam linguam latinam in ys regionibus versati erant Valachi orundi.

1194. Nicolaus Palatinus cum fratre Episcopo Cracouiensi in tutorem Lesconi Albo designatus, iuramentum ab ordinibus Poloniæ eiusdem modi, sicuti & regi præstare solent exigit. Metuebant enim fluxam fidem plebis, suspectamq; habebant leuitatem multitudinis, ne ab eis aliquando vel ad Miescum senem, vel ad Opolienſem Ducem deficerent.

1195. Mozgauiense bellum ciuile sic Miechouiensis describit lib. 3. cap. 27. Habet enim interdum gratiam antiquus stylus, quo vsus est Miechouiensis. Ad Mozgauam fluuium à cœnobio Andrzeiouiensi quatuor milliaribus distantem, cum Sedomirienses, Lublinenses, Brestenses, supra Bug, Mazouitæ, & Romanus Mscislauicz princeps Wladimiriæ, quæ Lucensis appellatur, sororinus Ducis Kazimiri nouissimè mortui, ad Mozgauam applicuerunt, progressum Mieczlao impedituri. Ordinatisque aciebus anno domini 1195. Nicolao Palatino Cracouiensi dextrum cornu, Romano duce Wladimiriæ siniſtrũ tenente, & Gonoricio Palatino Sedomiriensi

Ciuile bellum ad Mozgauam ex Miechouiensi.

no Sedomirienſi in ſubſidiis relicto cum Mieſcon e ſene conflixerunt, mutua ſe cæde obtruncando, perinde ac ſi inter infeſtiſsimos & perpetuò diſsidentes bellum gereretur, neutraq; parte gradum referente, ſtrages horrenda cadauerum vtrinque edita eſt. Ad duces quoque ipſos clades peruenit. Boleſlaus ſiquidem filius Mieſconis ſenis in conſpectu patris lancea traiectus, ex equo delapſus occubuit. Mieſco ſenex à quodam milite gregario impetitus, morti deſtinabatur frequēti ictuum ingeminatione, ni magno clamore ſe ducem Mieczlaum aſſeruiſſet, & caſsidis detractione veneranda canicie militem terruiſset, quapropter miles educens illum ex acie, ne ab aliis violaretur, fugere conſuluit.

1198. Wladimiro Halicienſi mortuo, Romanus memor meritorum ſuorum, quo pacto Polonis, & Leſco Albo implicatis ciuili bello ad Mozgauam inter maiores & minores Polonos nauaſſet operam, Halicienſem principatum ambit, eumque depoſcit. Abhorrebant autem Halicienſes à Romano, crudelitatem eius veriti. Itaque decreuit frequens ſenatus, vt Romanum Nicolaus cum exercitu eò deduceret. Ibi Leſcus orare, vt ſibi cum exercitu proficiſci illo liceret. Pertæſum ſe iam eſſe mollis & ocioſæ vitæ, quam hacten⁹ inter cœtus muliebres apud matrem exegiſſet. Cupere ſe, deinceps armatum inter armatos viros verſari, & quæ principis eſſent munera, vſu condiſcere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum ſe vſum in exercitu præſtiturum, quem ſigna ſua præſtarent. Quod ſi non impetraret, tamen vel cum vno comite caſtra ſecuturum ſe eſſe.

Leſci Albi alacritas ad bellum.

Educatio muliebris.

1199. Quarto anno Mieſco ſenex, poſtquam malè pugnauerat ad Mozgauam, vt ſibi præſtrueret viam ad principatum Poloniæ, Cuiauiam Cazimiri filiis præripit ac præoccupat. Ita primum, terrore iniecto, tandem cum Helena matre, & cum iis, qui ei fauebant, vulpina induſtria tractat de conditionibus pacis. Negat Leſcum principem rite creatum, aut ſe inuito, certum ſtabilemque principatum obtinere poſſe. Non deeſſe ſibi conſilia, & auxilia externa. Leſcum puerum eſſe. Curatores eius inuidia laborare: Bonam nobilitatis partem clam ſecum ſentire. Verùm ſi ſibi principatum concedat, redditurum ſe eſſe Cuiauiam filiis eius. Se ſane ſenem eſſe, nec diu viuere & regnare poſſe. Interim Leſcus fieret princeps, ſe in ordinem, & politiam meliorem redacturum regnum.

Mieſco ſenex Cuiauiam occupat.

1200. His inducta & perſuaſa credula mulier, annuentibus tutoribus, cum eo tranſigit: iure iurandoque die Diui Bartholomæi memoriæ dicato tranſactione confirmat. Deinde vnà cum filio Sedomiriam ſecedit. Mieſco potitur rerum. Tunc ſecundò regnaſſe dicitur. 1220. Quod atti-

1220. Quod attinet res exterorum, Anglia & Hybernia insulæ Romano Pontifici tum vectigales factæ sunt. Alexius orientis Imperator pulsus, Haliciam ad Romanum, qui Polonorum opera princeps factus fuerat, confugit. Hic, credo paulòpost ab Alexio Duca cognomento Murziphlo, ob coniuncta ac veluti oculis imminentia supercilia, sic dicto, plebi insanienti obiect⁹, periit tumultu. Tyrannus autem ipse Murziphlus deinde alibi comprehensus, post effosos oculos, Constantinopoli de turri præcipitatus fuit, promiscua plebs in cadauer sæuiit.

Alexius Murziphlus.

Cistercienses Monachi.

1201. Monachi Cistercienſium è Portensio monasterio euocati in Poloniam, delicatum genus malorum secum attulerunt, quæ etiam nunc deporta vel deporti vocantur.

1201. Miecislaus promissa non seruat, cumque Lesci mater importuniùs instaret, fidemque datam in eo requireret, & iusiurandum præstitum ei obiectaret, nihil dissimulans, respondit, pactis & iureiurando contra ius gentium se minimè teneri. Ita Helena dimissa, ingenti animi sui dolore, crudelitatem suam damnare, procerum suorum dicta & consilia, licèt serò, probare cœpit. Offenderat iam Miecislaus non leuiter animos procerum, & equitum, propterea quòd nonnullos possessionibus certis & antiquis deturbarat, easque quibusdam è maiore Polonia asseclis donarat; quodq; eisdem magistratus mandabat, indigenas præteriens. Itaque quasi conspiratione facta, Miesco cum suis principatu deiicitur. Nicola⁹ omnia ad matrem & pupillum iure tutorio transfert.

Honores præposterè distribuit Miecislaus.

1202. Irrequieto animo Miescus existens, tertiò molitur dolos, & quidem propius admotis technis rem agit: Quòd promissa non impleuerit, dicebat non per se, sed per Nicolaum Palatinum stetisse, qui subolfaciens, quòd filios Cazimiri adoptare in animo haberet, se à tutorio munere excludendum ratus, nihil omisit, vt eum in suspicionem adduceret. Cæterum illum vt seditiosum hominem amouendum; vtpotè qui se erga teneram Lesci ætatem ponem aulicum, & erga se, qui paterno animo & matri & filio faueret, iniustum censorem præstaret. Probè enim intelligebat Miecislaus, eum fuisse maximum obicem & aduersarium consiliis suis, quem reliquus conuentus Cracouiensis sequeretur. Itaque his artibus elidere eius consilia satagebat. Nec in casum cadere conat⁹ eius videbatur: Iam enim labefactauerat animum mulieris, maximè inuidis æmulisque Palatini animum eius irritantibus. Itaque, re tota intellecta Nicolaus Posnaniam ad Miecislaum, quamuis infensum sibi hostem magnis itinerib⁹ contendit, ac saluti incolumitatiq; suæ prospecturus, vlturusque ingratam mulierem, ei omnia, quæ prodesse, quæue obesse eius instituto videbat, aperit. Qua re erectus ani-

Nicolai Palatini consilium & transitio.

erectus animo senex ad solitas artes suas refugit,& apertè iam postulata Helenæ refutat,seque opera Nicolai adeptum esse principatum gloriatur. Toto autem negotio iam in hanc, iam in illam partem titubante, Miescum inopinata mors opressit, cum ageret annum septuagesimum tertium. Inter fundationes (quas vocant) eius, illud inuentum fuit ipsi⁹ magis peculiare, quod Wagrouiensi monasterio instituto, sanxit, vt non nisi Germani, iiq; Colonienses, in illud cooptarentur. Causam instituti addunt, quòd quondam honorificè habitus esset à Colonien sibus, cum eò adolescens religionis ergò veniisset. *Mors Miesci.*

1202. Comitia Cracouiensia eligendi regis gratia indicuntur; in quibus detecta sunt vana studia hominum & contentiones potissimùm inter Nicolaum,& Gonoricium Sedomirien sem,Palatinos,interq; Lescum Album, & Lesconogum regulos.Et illud quidem par, maleuolentiâ,istud verò reuerentiâ & honestate inter se decertabat. De qua re in historia nostra iam dictum est. Ad extremum Wladislaus Lesconogus eligitur;quem à gracilitate pedum sic dictum esse putant.Laudat hunc Miechouiensis à peritia artis pugillatoriæ: peritissimumq; in ea arte ab ineunte ætate fuisse ait,dum in Germania commoraretur. *Lasconogi corporis dotes.*

1205. Lesconis Albi ætatem ac principatum,plurimùm ornauit victoria,de Romano duce Russorum parta,quam Miechouiensis ita describit.Itaque ingressus Romanus cum copiis pugnatorum,primo æstatis tempore Lublinum obsedit,& cum non prosperaretur, probè enim à Polonis defendebatur,in terras Sedomiriæ grassando descendit,& flumine Istula superato, circa Zaichost consedit. Principes verò Lesco Albus & Conradus,ex omnibus terris suis Sedomirien. Lublinen.Mazouia,& Cuiauia bellatores ex nobilib⁹ & plebeis circa Sedomiriam collegerunt, & eis Christinum Comitem Palatinum Plocensem præfecerunt,qui industria et astu,decima nona Iunii oriente,appropinquauit Russorum exercitui.Romanus verò vix tumultuariè suos ordinauerat. Sagittarii Polonorũ in necem ducis Romani fidefragi conspirarunt, globoq; militum facto, in ducem Romanum,& eum protegentes insiluerunt: equo igitur sub ipso telis confosso,& eum deiicere satagentibus, ad ripam Istulæ per medias acies cucurrit,dextrarioque cadente,ac fœta equa sibi administrata, Istulam tranauit. Et gratus equæ de salutis ministerio,inter alios dispersos & fugientes,pedes promiscuus cucurrit.Ab insecutoribus Polonis miles gregarius existimatus, occisus est, in Sedomiriamque relatus, à duce Lescone fuit sepultus.Vnde post à Ruthenis & proceribus Wladimiriæ mille marcis argenti & restitutione omnium captiuorum Polonorum redemptus, in Wladimiriam ductus *Lesci albi victoria de Romano ad Zaichostum*

est,ibi tumulandus.Cromerus autem libro septimo hæc scribit. Fertur item, idem Romanus nocte ea, qua prœlium consecutum est, somniasse,multitudinem passerum à longe minore numero acanthidum,ab ea parte, quæ ad Sedomiriam vergit, aduolantium dilaniatam esse.Idque somnium cum amicis manè narraret,senioribus atq; prudentioribus triste & mali ominis visum esse.Dies,quo apud Zaichostium pugnatũ est fuit 13.Cal.Iulii.Miechouius causam isti⁹ belli refert, quòd Romanus Lesconi dare negarit tributum; aitque susceptorum eam expeditionem in Poloniam,copiisque ex vniuersa Russia contractis,ad suæ religionis Episcopum, quem Wladicam vocant, dona misisse,vt sibi in Poloniam inuasuro, eamque treiennio vastaturo,autoritate Pontificia benediceret.Qui,spretis eius donis, benedictionem,tanquam ad iniquum & execrabile properanti facinus, denegauit, inquiens,Iniusta bella mouentes,in patriam non redire viuos.Comminatus autem ei erat Romanus tyrannus conclusi onem, si ei benedictionem denegasset,&c.

Somnium Romani.

1205. Hoc tempore Litvuani à Russis victi. Quam victoriam Cromerus sic describit: Post hoc tempus Litvuani, gens sylvestris & obscura Russorum agros prædis agendis infestare cœpit, cruento prœlio victi,subera, restes,& fasces frondeas,quibus ea gens in balneis sudorem prouocare solet,tributi nomine deinceps pendere iussi sunt.

1205. Hoc anno ordo Gladiferorum fratrũ in Liuonia cœpit, autore Alberto Rigensi Episcopo. Vestem albam, rubenti gladio cum stella insignitam, gerebant.Regula eis cum templariis communis erat. Priuilegia à Papa innocentio adepti, vt omnes,quas in Liuonia & circum circa,terras subigerent,possiderent. Horum virtute magna pars Liuoniæ subacta. At, cum Cruciferi fratres ordinis Teutonici in Prussia potentes fierent, deposita sua regula,Pontifice annuente,Teutonicis sunt vniti(chron. ord. Teut.) Apud Plescouienses tum Vuoldemarus regis munere fungebatur, cui etiam Liuones tunc parebant,& tributa pendebant.

Ordo Liuoniensium.

1206. Lescus Albus ad principatum reuocatus, Wladislao modestissimè id non modò ferente,sed etiam,cognito consensu conuentus, discessione sua Posnaniam,approbante. Hoc anno & Nicolaus Palatinus mortuus est. Ideo Lesconis negotia, tanquam obice sublato,prosperiùs succedere cœperunt.Eodem anno Fulco seu Pelka Episcopus Cracouiensis vita excessit, qui sibi, & suis successoribus prærogatiuam loci,& suffragii secundùm Archiepiscopum Gnesnensem ab Innocentio tertio impetrauit.

Mors Nicolai.

1206. Eodem tempore sacrum collegium,liberam Episcopi liberis suis suffragiis electionem principibus non immiscentibus sese huic rei,à

huic rei,à Pontifice per Iohannem Archidiaconum impetrat:Et hoc modo Vincenti⁹ Cadlubkus genere Roſeus,vir doctus,vt tunc tem pora ferebant,electus eſt à collegio quamuis ipſe præſens non adeſſet. Hic primus, cum regeret eccleſiam Cracouienſem, Polonicam hiſtoriã gentis ſuæ conſcripſit. Quam ita incipit:Tres tribus ex cauſis theatrales edere ſolennitates, &c. Hæc ita non ſine traductione quadam Miechouienſis,vt is,qui elegantiorem ſe ſcriptorem eſſe putabat,refert.Moxque de eius ſtylo iudicium fert: Plura, inquit,de exteris, quàm Polonorum geſtis, nodosè & inuolutè in primis libris perſtringens, &c.Præfuit is eccleſiæ aliquot annis:tandem abdicans ſe epiſcopatu,in monaſterio Andreiouienſi profeſſus,ex bono factus eſt optimus:ſic autem de eo Miechouienſis. Tandem poſt quinque inquit, annos ergaſtulo carnis ſolutus, in domino quieuit, in monaſterio Andreiouienſi ſepultus eſt.

Roſeus.

Cadlubcij hiſtoria.

Iudicium Miechouienſis de ſtylo Cadlubcij

1206. Colomanus Andreæ regis Hungarorũ filius,Halicienſem principatum adeptus eſt; vbi & ſolenni pompa inunctus eſt,coronatus,& rex Galatiæ ſeu Haliciæ appellatus à Cadlubco Epiſcopo Cracouienſi,aſſiſtente ei Iuone Cancellario Poloniæ,gente Odrouaſio. Quid verò iſthic egerint iſti duo, diſſerit Cromerus ibidem.

Coronatio Regis Halicienſium.

Circa eadem tempora Concilium,Lateranenſe ſeptimũ celebratur, in quo 412.Archiepſopi,& 1300.Epiſcopi congregantur.In eo Concilio, cum immenſa multitudine monachorũ mund⁹ laboraret, & in dies nouorũ monaſteriorum fundationibus; inſanisque ob eam cauſam profuſionib⁹ Reſpub. exhaurirentur,marſupiaq; locupletiorum exinanirentur.Itaque ſtatutum fuit,Canone 13.Ne quis de cætero nouam religionem ſeu regulam monachalem inſtitueret,ſed quicunq; voluiſſet ad religionem conuerti,vnam de approbatis aſſumeret.Præuidebant enim tum Patres,ſi ſeculũ diutiùs ſtaret,& quoties nouæ hæreſes,ſicuti domin⁹ eas futuras ad finem mundi prędixit,orirentur,nouæ quoq; ſocietates monachorũ profligandis eis inſtituerentur,facilè futurũ,vt per eam occaſionem maior pars orbis ſub poteſtatem & ditionem eccleſiaſticorum deueniret. Atq; ita medicina morbo ipſo eſſet deterior.Ideo non ita multò poſt iſtud Concilium Conrardus Dux Mazouiorum, autoritate huius ſacri conuentus, & diſputationib⁹ illius ſeculi,quę tum paſsim ea de re ferebantur mot⁹, cautè & circumſpectè Culmam,Toruniam & alias poſſeſsiones ſuas, Cruciferis donat:nõ quidẽ videlicet iure ſempiterno,ne quid menti Concilii derogaretur,ſed ad temp⁹,quoad nimirũ,hoſtes Chriſtianorũ ſeptemtrionales debellarentur,quibus ſublatis,alia ratione cũ ipſis Cruciferis tranſigere ei liceret:hoc min⁹ eſt adhuc quàm ius feduciarũ,ſeu fœudi.Huic exemplo,ii quibus nũc cordi eſt nouas regulas monachorũ introducere,deberent inſiſtere.Nam ſi idcirco eas introductas fuiſſe vo-

ductas fuisse volunt, vt hæreses subingressæ confutarentur, conuictis & resecatis hæresibus gladio verbi Dei, possessiones illis datæ, ad priores possessores deberent iterum redire, aut ad alios publicos vsus conuerti, iuxta alium canonem, illi autem professioni alicui iam antea receptæ se addicere. Si inquam, hoc incommodum euitare vellent, quod solerter tum illud Concilium præuidebat.

1211. Circa hunc annum Hungari à Russis victi, Colomanus rex cum vxore captus. Poloni quidem, qui Hungaris commilitabant, Russos primò superarunt; sed cum onusti præda domum redirent, à Russis excepti sunt & trucidati. Nam cum nostri cedere cœpissent, Russi vexillum nostrorum captum erexerunt, ad quod conuersi Poloni acurrebant. Interim Polouucii cum Russis prosiliunt, obuios quosque interficiunt.

1211. Elati victoria Russi, adiunctis etiam sibi Litvvanis, crebris incursionibus Poloniam vexarunt. Quo facto motus Lescus Sulislauum cum expeditis copiis mittit, qui, collatis castris, Russos magna clade profligarunt. Et quinque duces captos bello ad Lescum adduxerunt. Ita cõpensata fuit Hungarorũ & nostrorum clades superior.

Tartarorum prima incursio in istas terras.

1202. Secundum alios 1188. Tartari Scythica gens cum antea vltra Caspiũ mare habitassent, in eas oras primò peruenerunt. Et Russis Polouuciisq; bellum intulerunt, sed Russos, quos Tartari non dissiparant, Polouucii ipsi excepere. Diserunt hîc, Miechouiensis, & Cromerus de Polouuciorum origine, & consentientes tradunt, fuisse eos Gothorum veterum reliquias. Et mox Cromerus de lingua Polouuciorum disserẽs, aiserit eos locutos fuisse Russorum lingua non valdè diuersa à Polonica. Hæc refert libro 7. in Lescone Albo. Quæ si ita sunt, argumentum haud leue habemus, Gothos veteres lingua Slauonica vsos fuisse, quandoquidem Polouucii, eorum scilicet posteritas, eadem hactenus vtitur. Hæc adieci ad illustranda ea, quæ superiùs de Gothis à nobis dicta sunt. Sigismundus verò Eberstinus Polouucios à Poloczko, vbi sedes habuerunt, vocatos esse putabat.

Polouuciorum origo.

1204. Post hanc cladem Russi debellati & subacti sunt, ita vt non modò tributa penderent, & iussa facerent, sed etiam seruis prædæ essent. Hæc Cromerus.

1227. Inuisente Lesco cunctas regiones ditioni suæ subiectas, Pomeranis, ne longiùs à principe disiti, quererentur se patrocinio destitui, Suetopelcum præficit, & amplissimam potestatem & iurisdictionem, etiam in Palatinos, qui tum duo erant, nempe Gedanẽsis & Suecensis, & in cæteros magistratus concesit. De redditibus autem totius Pomeraniæ, mille pondo siue marcas argenti quotannis fisco principis Polonorum, vt penderet, constituit.

1220. Cum ageret duos de triginta annos, rogatu procerum vxorem

xorem duxit Grimoslauam Russam, ex qua Boleslaum Pudicum in arce Corcinensi editum, deinde Salomeam, suscepit. *Pudicus & Salomea Lesci nati.*

1220. Circa eadem tempora Henrichus Barbatus Dux Wratislauiensis ex Heduigi vxore filia Bertholdi, Ducis Carinthiæ & Marchionis Morauię, Henrichum & Conradum suscipit. Hæc Heduigis postea inter diuos relata est.

1221. Hoc anno Balaklei Soltanus Princeps Zauologensium Tartarorum, inuitatus dissidiis domesticis Ducum Russiæ, eorum terras inuadit. Cecidit etiam tunc Olha, atauus Ducum Prunsciorũ, quorum origo descendit indubitato tramite à Iaroslauo, qui fuit vnus ex duodecim filiis Wladimiri monachi dicti, quos Russi augusto nomine Bohatiros, id est heroas vocitant. Et tunc arces illæ tres Czapczakley Oslam & Balakley de nomine ipsius Ducis dictę à Tartaris ad Borystenem & Bohum excitatæ sunt. Harum fundamenta tantùm hodie visuntur. Vlti sunt, non ita multò post Russi, eam iniuriam vnà cum Skirmuto Duce Litvvaniæ, fuso, fugatoq; ipso Balakleio ad Koidanouum. Cui⁹ belli causa fuisse narratur, quòd Litvvani legatos Scythicos tributum eis nomine Ducis volentes imponere, amputatis nasis & auribus, non sine grauissima cõtumelia, ad dominum ipsorum remiserunt. *Origo Bohatirorum, qui vere Bohatiri ob susceptam Christi fidem & heroica facta vocari debent.*

1222. Ærarium Basilicæ Cracouiensis tactum de cælo conflagrat; vbi & supellex vniuersa Cadlubci absumitur. Itaque Episcopatu Cracouiensi se abdicat, aduersante Principe, & dissuadente collegio sacerdotum (incompatibile tum fuit, vt annotant, monachum & Episcopum esse) & in Andreiouiensi monasterio reliquos quinque suæ vitæ annos exegit. *Aerarium ecclesiæ Cracouiensis conflagrat.*

1222. Diuus Hyacinthus inter diuos relatus. Iuo Episcopus parœciam Cracouiensem ad templum primarium in foro vrbis fundat. Nam antea Trinitatis templum loco parœciæ erat. Sed eâ translatâ, cum sodalicio Dominici commutatio illa facta fuit.

1226. Idem Iuo Kacicense monasterium Cistercienſium, Mogilam paternum rus, locum Vandæ reginæ sepulchro nobilem transfert, & magnificè locupletat. Eodem tempore ptochodocium sancti spiritus dictum, fundatur.

De immunitatibus, & libertatibus ecclesiastici ordinis.

Henrichus Archiepiscopus Gnesnensis, Theodorici ducis Bernensis ex Eudoxia Polona filius, bonam & ipse in hoc pietatis studio nauauit operam. Perfecit enim diligentia & autoritate sua, vt Principis, atque omnium ducum, procerumque Polonorum consensu, &

vniuersi conuentus constitutione, sacer & ecclesiasticus ordo omnis cum ascripticiis etiam & subditis suis, ab omnium profanorum iudicum, etiam ducum, atque adeò ipsius summi principis iurisdictione prorsus liber esset, ita vt ne per exceptionem quidem vllam, aut reconuentionem pertrahi ad vllum profanum siue laicum (vt vocant) forum possent. Eamque constitutionem Pontificis maximi & sedis Apostolicæ autoritate confirmauit. Sacerdotes verò omnes ex decreto Synodi à se conuocatæ, vxores & concubinas, quas retinebant adhuc plerique, post edictum legati Pontificii abdicare coëgit, iureiurando ab eis exacto. Hic etiam obtinuit à sede Apostolica Archiepiscopis Gnesnensibus perpetuæ legationis munus. Hæc ex Miechouio, qui idem sic scribit, Wladislaus ergo inquit, Othonis, tota maiori Polonia possessa, diuinam miserationem & sui sublimationem recolendo, libertates, & priuilegia binis cathedralibus ecclesiis suis principatus, Gnesnensi, & Posnanensi contulit, villas ecclesiarum, & earum incolas ab omni seruitute & contributione, quæ olim cameræ Ducis soluebatur, absoluendo, & ab omni iurisdictione ordinaria & extraordinaria Palatinorum, Castellanorum, & cæterorum officialium. Donauit item vtrique Pontifici autoritatem in bonis ecclesiæ venandi, & monetam fabricandi. Præterea donauit Paulo Posnanensi Episcopo & eius successoribus villas: Sulkouam, & Krobiam, ratione suæ & patrum suorum sepulturæ. Hæ libertates ferè se æquant Ducum potestati. Sed quò maiores libertates consecuti sunt ecclesiastici, eò res tota magis in odium & inuidiam tunc fuit versa, Miechouio sic referente: Occasione itaque inquit, harum libertatum edax liuor corda nobilium maioris Poloniæ peruasit, & clandestinis contra Wladislaum Othonis qui & Plvvacz dictus est, machinari cœperunt insidias.

Laicum et profanum forum opponitur ecclesiastico.

Cælibatus inuectus.

Si moneta à sacerdotali ordine cudebatur, quomodo quidam pecuniam tunc incognitã fuisse Polonis dicunt?

1220. Punitiones Dei epidemicæ consecutæ sunt. Fames intolerabilis, pestisq; acerrima quæ ferè triennio grassata est. Anarchia quoque & bella ciuilia, in quibus & ipse Lescus princeps periit. Creditumque est à multis hæc accidisse ob illa diuortia & diremptiones matrimoniorum in statu ecclesiastico, cum mariti cogerentur abdicare coniuges legitimas, iureiurando de non repetendis vnquam illis per vim præstito. Ita diuulsi à parentibus filii, & matres abiuratæ, lamentis omnia implebant. Fieri enim non poterat hæc discessio ac separatio absque lachrymis & suspiriis ab imo pectore profectis.

Commendatur hîc summè pietas Iuonis Episcopi Cracouiensis, qui in illis pestis & famis calamitatib. memor, se non dominum, sed dispensatorem esse bonorum concreditorum, plurimos subleuauit, multisque eius liberalitas saluti fuit.

Liberalitas Iuonis Episcopi Cracouiensis.

1222. Conradus Mazouiorum Dux, cum Pruthenorum excursionibus

sionibus cohibendis per se ipse par non esset, cruce signatos Teutonici ordinis, quos nostri Cruciferos nominant, per quendam monachum sectæ Cistercienſium, vndique in subsidium euocat, Prussisq; opponit, datis & concesſis eis possessionibus in finibus Mazouiæ & Prussiæ. Hoc tempore Torunia ab eis excitatur olim Tarnouia dicta, Quidzinum, quod illi Rissenberg postea dixerũt, Papouia item quod Dobrinum. Atque ita illa ora prorsus eis conceditur, quæ interiecta est inter Mazouiam & Prussiam, vt essent, si diis placet, defensores aduersus incursiones.

Occasio introductorum Cruciferorum.

Cruciferi per monachos introducti.

Toruna, Tarnouia.

1227. Comitia habentur Gansauiæ in maiore Polonia propè Znenum (villa est Abbatis Tremesenſis) quorum causa prętexebatur, vt componerentur inteſtina diſsidia Ducum maioris Poloniæ. Reuera autem ideo habebantur, vt Suatopelcum præfectum Pomeraniæ, qui tributa negarat, horum occasione euocatum, sine armis & bello opprimerent. Sed ille, consilio principum explorato aliud cogitat, occasionemque rei gerendæ obseruat, vt id, quod animo proposuerat perficere posset. Itaque, cum post illas graues deliberationes Lescus, & Henricus se ad balneum conferrent, ipse cum expedita suorum manu adest, & in diuersoria tentoriaque proxima irrumpens, obuios quosque rei nouitate attonitos, facilè aut obtruncat, aut propellit, & ad balneum, vbi eos esse acceperat contendit. Resciuerat iam Lescus de hoste, itaque exilit, equumq; nactus cum paucis fugæ se mandat, sed hostibus eum assecutis, cum aliquandiu inermis cum armatis, vnus cum multis contendisset, fortiter dimicans apud Marcinouum pagum occubuit. Henricus autem, qui ætate grauis fugam desperauerat, sauciatur in balneis, & nisi eum aulicus quidam, cui Peregrino cognomen fuit, supra eum prostratꝰ protexisset, idem, quod & Lesconi, ei hauddubiè accidisset. Sed vtcunq; reptans ad suos euasit, ac in lectica Wratislauiam delatus est. Ex eo tempore Suetopelcus pro Duce ac domino Pomeraniæ se gerere cœpit. Chronologus quidam Germanus non postremæ autoritatis, describens hunc casum principis Lesconis, Suatopelcus inquit, Pomeraniæ præfectus defecit, Pomeraniæ ducem se constituit, regeq; bello occiso, ducatum confirmauit, qui hodie à Poloniæ regno auulsus. Mirari satis non possum hominis leuitatem. Comitia, ô bone, tum rex celebrabat, non bellum. Adde, cum præfectum eum ipsemet nominet, quodnam bellum inter regem & præfectum, inter dominum & seruum esse potuit? In balneisne bellum geritur? Aut quem autorem eius commenti de hoc bello habuit? sed breuitatis causa iam missum hoc faciam.

Lescus in balneis.

Aulicus cui nomen Peregrino Henricum ſeruat.

De Suatopelci ducatu commẽtum cuiusdam historici.

Epitome Chronicorũ Lituanicorum, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Mazouiæ & Liuoniæ, vbi diſcutiuntur quædam dubia occurrentia in eis. Ita autem res vtriuſque gentis collatæ interſe melius, vt purpura iuxta purpuram, dignoſcentur.

SCriptores belli ſacri pro liberando ſepulchro domini, expeditiones omnes Chriſtianorum Principum quæ decem fuerunt, enumerant: Optimè ſanè illi, ſic & ego hîc enumerans eorundem militum expeditiones in Pruſsiam, Lituaniamq; contra gentes ſeptemtrionales, in re ſimili operæprecium me facturum putaui. Quum regnum Polonicum nondum diuulſum inter filios regum eſset, totam molem belli contra Pomeranos, Pruſsos, Lituanos, Iazygas, Tartaros, & alias idolatricas gentes quæ in circuitu erant, ſuſtinebat, vt teſtantur bella regum Kriuouſtij & Chobrij, qui vindicaturus cædem Diui Alberti, grauiter in Pruſsos animaduertit. Quo nomine apud populos Chriſtianos valde ſe comendabiles reddebant, & meritò quidem. At regno hoc diuiſo, & in aliquot tetrarchias & ſatrapias ſciſſo, vires eius fatiſcere cœperunt. Vnde & Conradus Mazouiorum Dux, deſtitutus ſolito præſidio & auxilio, coactus eſt Cruciferos in has regiones euocare. Iam enim gens Boruſſa patriam eius Maſouiam ita vaſtauerat, vt Plockam etiam ſedem eius ſæpius tentaret atq; adoriretur.

Prima expeditio.

Conrardus igitur per Ciſtercienſem Monachum Chriſtiernum Cruciferos vndique conuocat, quibus Ducem Sylleſiorum Henrichum & Wratiſlauienſem, Lubeſenſemq; Epiſcopum adiungit & præficit. Commiſsum eſt atrox prælium. Sed eo remoti, non ſublati ſunt hoſtes è medio. Hic ergo procinctus expeditio prima à nobis vocabitur.

Secunda expeditio.

Vt durabili ſtabiliq; præſidio bellum illud duceretur, accerſitur ex Liuonia & aliud genus Cruciferorum, quos Albertus Archiepiſcopus miſerat. Commiſsum eſt prælium acerrimum, quod duobus diebus durauit: &

uit: & fusi profligatiq; sunt Liuonij Cruciferi, & ad paucos ita redacti, vt ex illis tantùm quinque domum repedauerint.

Tertia expeditio.

Post illam cladem appuleruut huc & alij Cruciferi Mariani dicti, Roma vsque à Gregorio nono missi, duce Hermano de Salicen, quibus Culma, & Torunia cum amplissimis territorijs, iure propemodum fœudi, ad tempus tamen, attribuuntur. Sed conditiones certè non absurdæ huius donationis apud scriptores reperiuntur quæ si cum alterius generis Monachis seruatæ fuissent hoc seculo à nostris, non ita oneri Reipub. illi essent. Tunc duæ arces illæ ad Toruniam Rogouia, & alia eo in loco, vbi Catedralis est ecclesia, à Prussis extructæ erant. Sed Pipinus Dux eorum extractis intestinis atque exenteratus, crudeli morte necatus fuit à Cruciferis.

Torunia Mazouiæ prouincia fuit tum, Episcopoq; Plocensi parebat.

Quarta expeditio.

Hac Marianorum inaudita in Pipinum crudelitate, præsertim in ipsis initiis eorum aduentus commissa, fortuna mutata est, & exasperatæ vicinæ gentes: Curlandi, Lituani, Samogitæ & Prussi (omnes tum gentiles, & ab eadem stirpe orti, vt quibusdam placet) atrox bellum excitant ad S. Georgij arcem in Curlandia. Mindocus tunc apud Lituanos regnabat, qui Pontificis Romani autoritate in regem creatus erat. Nam spem fecerat se religioni Christianæ adhæsurum. Sed cum promissis non stetisset, perfidiæ pœnas non ita multò post luit. Noctu enim dormiens nihilq; tale prorsus suspicans à Troinata filio suo oppressus et iugulatus fuit, haudduhiè quòd res diuinæ lusui & ludibrio ipsi essent. Mariani igitur confisi auxilijs regis Daniæ, & Liuoniensium Cruciferorum copijs, quas sibi tum recenti fœdere, & imitatione rituali vestis, insigniq; permutatione adiunxerant, contra tot gentes procedunt, sed aliquoties fusi, fugatiq; de retinendo suo statu valde desperant. Tunc etiam Lituani post victoriam, Hirchum illum militem strenuum Magdeburgensem, in oblationis hostiam Diis suis armatum, ita vt in equo vitali (vt vocant) in prœlium descenderat, captusq; ab eis fuerat, igni flagranti subiecto, equo subsultante & hinniente, viuum vnà cum armis ipsisq; calcaribus cremant: Valdè tum luctuosum tempus fuit Cruciferis. Nam præter alia quæ amiserunt, illud fuit damnum irrecuperabile, quòd opinionem virtutis militaris, de qua tantopere gloriabantur, prorsus apud vicinas gentes perdiderunt. Vnde illa verba Dursburchij qui res illorum conscripsit: Tres inquit, vel quatuor hostes centum Christianos tum, cum magna verecundia, fugabant. Proinde fracti

inde fracti animo ingeminabant orantes illa verba Psalmi, veluti cum Deo expostulantes: Ecce domine quomodo confortati sunt inimici nostri, &c.

Simili quoque genere oblationis paulò post Sambiensem præfectum, viuum, pariter equo feduciali (vt loquuntur) insidentem, iidem Lituani post victoriam combusserunt. Simile quid de Germanis ipsis apud Cornelium Tacitum legitur, sicuti eis Lotticus rex Poloniæ descensurus in prælium cum eis ad Plawno, pagum exprobrat: Humanas hostias, inquit, quondam Diis offerre soliti. Ecce tibi legem Radamanthi. Si quis, inquit, talia patitur, qualia fecit, pœna iusta putanda est.

BOLESLAVS PVDICVS.

Anno ab orbe condito. 5190.
Anno à Christo nato. 1226.

IVtorium (vt sic loquamur) regnum seu potiùs interregnum quindecim annos durauit. Quæ autem mala interuenerint interea, per annorum seriem enarrare magis commodum erit. Septem ferè annorum erat Boleslaus, cum est patre orbatᵘˢ, ideo principatus eius gubernationem ad se rapiebant propinqui. Vnde bellum ciuile inter Henrichum Barbatum Wratislauiensem, & Conradum Mazouium exarsit. Conflictus fuit primus ad Skalam, in quo Conradi filius Præmislus cecidit, itaq; Conradus receptui iubet canere, & pro victo abit. Secundus ad Wrocyrisum pagum. Sed & ibi profligatus Conradus, cessit ad syluas proximas, & inde Mazouiam. Paulò pòst Henrichum in villa Spitcouiensi diuinæ rei vacantem capit. Sed Heduigis Henrici pia coniux cum liberat, & parricidiale illud bellum sapientiâ componit. Henrichus tutela, & regni administratione se abdicauit, iureiurando interposito.

Bella Conradi ad Skalam. Ad Wrocirysum alter conflictus.

1228. Boleslaus Pudicus adoptatur à Wladislao Duce maioris Poloniæ, quamquam incertum an à Lesconogo potiùs, vel Sputatore sic dicto, qui multas possessiones & illas prærogatiuas ecclesiæ Gnesnensi & Posnanensi donauit. Vacationem nimirum omnium laborum, immunitatem pensionum, facultatem cudendi monetam, venandi in syluis. Ad hæc, ab omni quarumuis personarum præfectorum, Palatinorum, atque adeo ipsorum principum iurisdictione. De hac re D. Cromerus libro octauo.

Monetæ cudendi facultas.

Non ita multòpost, cùm Conradus Dux Mazouiæ, &c. concedente & abdicante se Henrico, quemadmodum superiùs narrauimus, pro tutore & primate se gerere cœpit, IVO EPISCOPVS CRACOVIENSIS siue Henrici voluntate, siue sua sponte, & metu odioque Conradi, cui aduersatus erat, sedulò profectus ad Pontificem maximum Gregorium eius nominis nonum, cum quo adolescens in Aca-

lescens in Academia Parisiensi coniunctè & familiariter vixerat, acceptusque ab eo Parisii honorificè, relaxationem per vim exacti iurisiurandi Henricho impetrauit. Et proximo iam erat pubertati Boleslaus & à Cõrado patruo alienus, in Henrichum prono studio pariter cum matre ferebatur: atque adeo iam iuris sui esse cupiebat. Hæc vbi ex obscuris indiciis & signis intellexit Conradus, Boleslaum vnà cum matre per speciem colloquii capit. Cirskumque quæ arx est in Mazouia, asportat, ac de necando puero cogitat. Deinde, mutata sententia, suasu Wladislai Sputatoris, & Marci Palatini Cracouiensis operâ, in Seciechouiense monasterium, quod in tractu Sedomiriensi supra Vistulam situm est, eos transtulit, & asseruari iussit. Thuronium & Colima Prussiæ vrbes primum fundantur à Cruciferis. Conradus Prussiam longè & latè igni vastat.

1234. Fratres Cruciferi cum Henricho Marchione Misnensi Pruthenos ad fidem compellunt. Et Gregorius Pontifex Polonos ad delendos Pruthenos instigat.

Circa hæc tempora Boleslaus Pudicus cum matre Grimaua, inebriatis & sopitis custodibus, effugerat: quem Henrichus Wratislauiensis reducit, Sedomirienseque ei Palatinatum attribuit. In loco vbi templum diui Andreæ est, munitionem castelli statuit Conradus, & arcem Cracouiensem obsidet.

Henrichus Barbatus maritus D. Heduigis, dum curam agit Boleslai Pudici, Opatouiam Lubussensi Episcopo donat, Borcumque, & Cazimirium. Iuonis Episcopi Cracouiensis de loco cum Laurentio Wratislauiensi Episcopo, qui postea ex rosarum odore decesit, contentio exorta. Basilica Cracouiensis, fortuito incendio in turri, quę ex testamento Iuonis plumbo tecta erat, excitato, conflagrauit, quã Vislaus postea instaurauit, & aliam turrim excitauit.

1237. Fratres Gladiferi Liuoniæ cum fratribus Cruciferis Teutonicis vniti, Hermanus Balbi primus Liuoniæ Magister. Elblina etiam Prussiæ ædificata.

1238. Henrichus Barbatus rediens ab obsidione Gnesnensi Crosnæ grauiter ægrotare cœpit. Nec multò post, hoc ipso anno diem clausit extremum. Cuius corpus ad Trebnicienſe monasterium ab Henricho filio, cui Pii cognomen, datum est. Nam Heduigis vxor in ipso monasterio degens, neque ægrotum visere, neq; mortui funus deducere, aut ei obuiam prodire voluit, ne quo rerum humanarum commercio animus eius à diuinis auocaretur. Quinetiam, cæteris viris iuxta ac mulieribus plangentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctissimi mariti mortem tulit, impium esse voluntati diuinæ aduersari sæpius affirmans. Ac ne viuentem quidem, illum sæpe adiit, nisi fortè, vt egenis & iniuria affectis opitularetur. Com-

muni enim consensu totos ferè triginta annos disiuncti, & continentes vixere. Ex quo tempore Henrichus barbam promisit, atque inde Barbatus vocitatus est. Eodem anno disidia inter Pontificem & Imperatorem Fridericum secundum arsere. Pontifex voluit eum regno exuere, ille Cardinales, Episcopos, & Abbates, qui petebant Romam, itineribus præclusis, cœpit, & alios mari immersit, alios in carcere detinuit.

1239. Boleslaus Kunegundam Belæ filiam in vxorem ducit, puellam moribus & sanctimonia vitæ nobilem. Dos eius quadraginta millia marcarum fuit. Tali autem coniugio beatus Boleslaus, tamen primis nuptiarum diebus eam non attigit. Imò, confirmata religione, postea mutuo consensu ambo perpetuam vouere continentiam, hinc Boleslao Pudici nomen inditum fuit.

1240. Circa hæc tempora Ioannes Czapla Scholasticus Polocensis iuris peritus, Wratislauiensis atq; Ducalis Cancellarius, & moderator pueri Conradi, quasi aliquorum consiliorum conscius, à Conrado Mazouiæ Duce in patibulum actus vnà cum Dominicano monacho. Excommunicat⁹ ab Archiepiscopo Gnesnensi, Louitium ei sempiterno iure donat, ea conditione adiecta, vt libram siue marcam auri Duci Mazouiæ eorum bonorum nomine quotannis penderet. Atque ita à Gregorio vndecimo absolutus est. Hoc eodem tempore diui Francisci Assisiatis nouo tunc instituto viuentibus monachis cœnobium Cracouiēse à Boleslao Pudico fundatur. Per eadem tempora illa fatalis controuersia reuixit de dignitate Pontificali & potestate Imperatoria, inter Pontifices Romanos & Friderichum 2. Imperatorem. Scripsit Petrus Vinea tum librum pro potestate Imperatoris, cui respondet Innocentius quartus. Lege Volater. post lites verborum etiam ad strepitum armorum recursum est. Nam factio Guelphorum pro Pontifice, Gibelinorum pro Imperatore sese opponebat acriter.

1241. Tartarorum sexcenta millia, duce Bathi, in Poloniam, Russiamque venientes, vtramque regionem crudeliter vastabant, ciuitatibus villisque succensis, indeque captiuos educebant. Rex igitur Boleslaus, cum & Henrichus Dux maioris Poloniæ, cæteriq; principes contra Tartaros vnanimiter progressi, prœlium cum eis acre commiserunt. Iamque Tartarorum inclinabantur acies, sed quidam Vexillifer Barbarorum cum vexillo processit, in quo erat scripta græca littera tali modo X. superiùs verò in cuspide hastæ erat caput quoddam terribile infixum, arte magica confectum & efformatum, ore fumum vaporemque sordidum in Polonos euomens, quo velut peste quadam & incantationum infascinati, vires amiserunt. Sicque funditus à Tartaris, non secus atque à grandine segetes prostrati sunt.

Pugnæ huius

Pugna huius rationem & instructionem amborum exercituum qui volet scire,inueniet inferiùs in libello camppiductorię graphicè rem descriptam. Pugna hæc fuit acerrima:Nec incruenta Tartaris victoria cessit, ita vt fracti viribus pedem retulerint,nec vlteriùs progredi ausi sint. Atque ita fortitudine Polonorum ducum Germania defensa fuit, vt incolumis remaneret.Sicut olim Græcia à trecentis Lacedæmoniis aduersus exercitum Xerxis. Periit in eo prœlio Henrichus Pius Heduigis & Barbati filius:quem deductum ad alterum arcus iactum à loco conflictus, incondito clamore sublato Barbari capite plectunt. Corpus eius agnitum fuit ex sexto pedis digito. Nam caput fuit abcissum à Tartaris. Periit ibi & Magister Cruciferorum Prussiensium, & alii quàm plurimi.

1243. Boleslaus Pudicus rerum potitus,ex Hungaria,quò ob Tartarorum irruptionem fugerat, reuocatus eo anno. Ita enim Miechouiensis dicit: Quapropter vox & clamor tribulatorum ascendit, quòd post miseras Tartarorum clades miserabiliùs & grauiùs à propriis opprimerentur, à Conradi videlicet exactoribus. Missique ex templò in Hungariam &Morauiam crebri nuncii,vt BoleslaumPudi cum quærerent quò afflictæ patriæ subueniret, tanquam hæres, qui non est reuersus vsque anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio,&c.Heduigis eodem anno moritur.Cromero sic referente:Altero post maritum anno obiit Heduigis,qui à Christo nato 1243. Septimo Idus octobris. Corpus eius, quod croceum,dum vixit,propter rationem victus duram atque tenuem, assiduaque ieiunia fuerat, post mortem insolito splendore coruscasse fertur, Deo perhibente testimonium sanctimoniæ, & pietatis eius.

1246. Daniel Russorum dux filius Romani, qui ad Zaichostium perierat, à legato Apostolico coronatus,in sede Colomani Hungari sedet.

1248. Litvvani victi à Cruciferis cum Mendaco eorum duce, qui postea rex creatus fuit. Et Curetes populi auxiliares pariter cum eis conciderunt. Eodem ferè anno Svvatopelcus Pomeranus ille Gryfius occisor Albi Lesci,Prussis se ducem adiunxit,& omnes Cruferos potestate exuit. Hic etiam vt stabiliret suum principatum Bohemiæ principis filiam duxerat. Magister tunc prouincialis vel Marsalcus, vt illi vocant, Cruciferis præfuit. Eodem tempore Magdeburgum à Cruciferis arx in Prussia excitatur munitissima & admiratione digna, quanquam Annales Cruciferorum & Miechouiensis ad annum 1280. id referunt.

1247. Conradus Dux Mazouiorum prœlium cum Boleslao ad Iarosinum commisit,in quo Boleslaus, & Sedomirienses in magna trepidatione erant.Mox prosequens victoriam Conradus Cracoui-

am ducit exercitum. Cumq; copiam pugnandi Boleslaus ei non dedisset, arcibus duabus excitatis, vna ad Thinec, alia ad Lelovv, domum reuertitur. Atque ita, cum multas turbas in vita sua excitasset, & bella non necessaria cum cognatis, extremum vitæ diem clausit. Hoc anno hic, vt dictum est, Cruciferos in suam & totius Poloniæ perniciem primus, animalia inquam, illa in iis terris nondum visa adduxerat, cum quibus quàm atrocia bella gesserit Loctic⁹ rex, Wladislaus Iagello, & Cazimirus postea dicetur.

1250. Guelphorum & Gibellinorum factiones, à Pisis initio facto, in singulis ferè vrbibus excitantur. Nam altera pars sequebatur Pontificem, altera Imperatorem. Ita magna laniena secuta est, sed hoc Chronicarii Germanici in annum 1238. reiiciunt. Sensit & Polonia huius dissidii incommoda. Venerat enim legatus Pontificis Innocentii in Poloniam, habitaque Synodo Wratislauiæ, imperauit Episcopis quintam partem redituum dari Pontifici, quò iam debilitatas vires suas aduersus Fridericum Imperatorem inde confirmaret. Pro hac verò intempestiua humanitate, vt vocant, Polonorum relaxauit eis ieiunii magni vinculum. Nam, cum nouem hebdomadis, veteri Pontificum instituto, vulgò seruaretur (& à Russis hactenus seruatur) indulsit, vt esset deinceps hebdomadarum tantùm sex & dimidiæ. Hinc natum est nomen, Stáry miesopuſt, sicuti & nunc post reformatum anni cyclum vetus natale, & vetus Pascha vocatur, abscisis nimirum decem diebus currentis anni 1582. quo hæc accidit Kalendarii reformatio.

Vetus quadragesima.

1252. Salinæ Bochnenses repertæ. Id beneficium Kingi vxori Boleslai pietatiq; eius acceptum referunt. Ex inde damna sarciit, quæ ei Tartari intulerant.

1252. Sacer Stanislaus inter diuos relatus, reclamante Hostiensi Cardinali, & in Fastis seu Martyrrologio exinde connumeratur.

1255. Mindacus dux Litvvaniæ magno astu à Cruciferis persuasus, ad religionem Christianam perducitur. Cum enim armis ab eis esset attritus, vt etiam domesticis inuisus redderetur, ob nouam videlicet religionem, eum (si sic loqui fas est) in Christianisant. Vt ita foris & intus conuulsis eius viribus, magis obnoxius eorum iniuriis redderetur. At non ita multò post, re animaduersa, ad sua idola resiliit. Meminit tamen historia, Litvvanos iam tum ante Iagellonem aliqua initia habuisse religionis. Iamque ante aliquot annis Episcopi Litvvanorum, Gerardus, inquam, & Vitus, in illa festiuitate aderant, quando D. Stanislaus in numerum sanctorum ascribendus promulgabatur, hoc est septuagesimo & quinto anno post eius mortem. Anno autem Christi 1253.

1556. Poloni Morauiam & Opolienſem terram vastant. Hageki errorem

geki errorem hîc noſtri ſcriptores confutant. Vide D. Cromerum. Othocarus Bohemorum dux (nec dum enim diadema regium acceperat) Pruſsiam perdomuit. Tum Kinisberga, id eſt Regius mons ad ſinum maris Balthici excitatur, & à regis nomine, Othocari videlicet, ſic eſt dictus. Detegit etiam hîc triplicem errorem D. Cromerus Æneæ Syluii, qui, vt captaret beneuolentiam apud Bohemos, fingit, contra conſenſum hiſtoricum, hunc Othocarum debellaſſe has regiones inter Bohemiam & Regium mõtem. Secundò quòd dicit, ab eodem Tartaros debellatos. Tertiò, quòd aſſeuerat id ſuis viribus eum confeciſſe. Aut, inquit Cromerus, oſtendat quando Bohemi eas terras amiſerint, tunc credetur ei, quòd eas ſubiecerit. Sed ſi hoc non poteſt oſtendere, neq; igitur eius narrationi relinquitur locus. Brandeburgũ etiam in Pruſsia in memoriam Marchionis Brandeburgenſis excitatum fuit ſub idem tempus. Eodem ſeculo fit mentio oppugnati Raciązy oppidi à Svvatopelco illo defectore, qui primus in eas regiones artificium inuexit veterum Romanorum, teſtudinis ex clypeis cõficiendæ, vt milites ſub tali propugnaculo tutiùs poſſent verſari, & mœnia aggredi atq; ſubire. Et hoc artificio in expugnando Naclo vſus eſt. Ibi ei exprobatum fuit defectionis illud ſcelus. Tum ex arce audita fuit vox, quæ ad aures eius vſque peruenit: Plures, inquit, adſunt, qui à fraudulentis victoribus pœnas expedituri ſunt.

1257. Richardus rex Angliæ, rex Romanorum pronunciatus, priuilegium Teutonico ordini conficit. Hyacinthus etiam hoc tempore ab exilio huius vitæ in domum cœleſtem commigrauit. Verba ſunt hiſtorici. Eodem tempore Boleſlaus Caluus excommunicatus, ob captum & ad ſubuculam vſq; exutum Thomam Epiſcopum Wratiſlauienſem. Deſcribunt hîc hiſtorici noſtri modum cruciatæ emittendæ, hoc eſt diplomatis, qua cruce ſignatis permittitur reges ac duces vnà cum eorum regnis diripere, ſicut acciderat huic Boleſlao Caluo. Ad hunc videlicet modum. Scripſit inquiunt, Pontifex maximus, Alexander quartus, ad Archiepiſcopum Gneſnenſem, vt coadiuratis Cruciferis Polonis, concitaret eos contra Boleſlaum. Eodem modo traditur ad Magdeburgenſem Archiepiſcopum mandatum dediſſe, vt à Germanicis quoque Cruciferis idem curet fieri. Ita Boleſlaus Caluus diſtractus, dum in hanc & in illam partem oculos dirigit, à fratre per dolum capitur.

1258. Bella ciuilia in maiore Polonia inter duces, qui 24. tunc numerantur fuiſſe. Prædicatur Boleſlai Pii, ducis Caliſienſis audacia, quomodo cum aulico comitatu, exercitum magnum hoſtium diſsipauit ad Opatkouicam. Extremis enim perturbatis & primos impellentibus, omnibus maior, quàm erat, viſus eſt numerus copiarum.

propterea

propterea quòd ſylua lõgiorem proſpectum adimebat, clamantium verò hominum ampliorem ſonitum reddebat. Daniel etiam Ruſsorum Dux arcem Lublinenſem capit, & monaſterium Zaichoſtenſe, vbi pater eius perierat diripit, Sedomiriam incendit, vnà cum Tartaris, quibuſſe ducem præbuerat. Cracouia ab eiſdem incenſa, ita vt Boleſlaus iterum cogeretur profugere in Hungariam. Sed alii hanc Sedomiriæ incenſionem in annum 1260. referunt. Ideo Sedomiriæ ad eum vſq; diem illa martyrum ſtrages anniuerſaria celebritate poſtridie Calendas Iunii magno populi cõcurſu recolitur. Ita Daniel, ſe illa perfidia vltum eſſe cladem Romani patris, quam ad Zaichoſtiam acceperat, gloriabatur.

Daniel Romanuides.

1260. In hoc etiam tempus noſtri ſcriptores (quanquam in viginti annis circiter diſcrepant) Danielis Romanidis coronationem referunt. Dicuntque eum, poſtquam ſatiatus eſſet cædibus & effuſionibus ſanguinis Polonorum, quas Tartari paſsim ediderant, ſubiugaſſetque magna ex parte Ruſsiam Auſtralem, ſpe erectum ab Opiſone legato apoſtolico in Polonia tum agente per nuncios petiiſſe, vt ſibi & ſucceſſoribus ſuis titulum regium impetraret; ipſum verò ſancte promiſiſse, ſe cum vniuerſa gente ſua ad Romanæ & eccleſiæ catholicæ ſocietatem ſiue vnitatẽ acceſſurum, & chriſtianas regiones aduerſus Tartaros, qui iam ingentem formidinem omnibus principibus chriſtianis incuſſerant, defenſurum. Diſsuadebat id Opiſoni legato Predota Epiſcopus Cracouienſis, & nonnulli alii, ſed nihil profecerunt: obtinuit Daniel quod petebat. Sed quod contrà promiſerat, non ſeruauit, quin potius fidei & iuriſiurandi religionem violauit, & priſtinæ religioni pertinaciùs poſtea adhæſit, chriſtianos verò non modò non defendit, ſed etiam cum Tartaris, pariter infeſtauit. Cum Litvvanis etiam contra noſtram gentem ſenſit, eiſque commilitauit. Cur autem Pontificibus vltra Poloniam tot reges creare in mentem venerit, nunc non diſputo. Quidam dicunt, hac ratione voluiſſe eos ſedis Romanæ maieſtatem condecorare, tribus regibus ſimul adiectis præter eos, qui iamdudum regum nomine appellabantur. Alii dicunt hæc facta eſſe in barbam (vt vulgò loquuntur) Imperatoribus occidentalibus. Negabant enim Imperatores, Pontificem habere poteſtatem creandi reges. Contrà, Pontifices vt & reipſa & verbis demonſtrarent, ſeſe & velle, & poſſe reges creare, tres brevi tempore inaugurant, Halicienſem videlicet, Litvvanicum, Mindacum, & Polocenſem Wladimirum; quorum nunc regna à rege Poloniæ tenẽtur, & in prouincias redacta ſunt. Et, ſi multitudine regnorum gloriari liberet, vt plerique Monarchæ faciunt, certè Polono non deeſſent occaſiones titulum ſuum augendi, & infarciendi regnorum nominibus, vt ita Rex quinque magnorum regnorum: Poloniæ nimirum,

Principatus Poloniæ quinque regna.

ænimirum, Lituaniæ, Haliciæ, Polociæ, Kiouiæq; diceretur. Cuncta enim hæc dominia à Pontificibus regiis titulis sunt cohonestata insignitaq;, ceremoniis solennibus adhibitis, & priuilegiis ad id traditis. Sed quis tandem effectus fuerit multiplicationis tot regum, non est difficile cognitu. Barbaræ quidem gentes, Scythæ, inquam, & Turcæ, qui iam satis exasperati erant, ita vt istas regiones vastarent, & cateruatim sæpius sese in eas infuderent, certè regum ista institutione non parum commoti sunt ad res nouandas. Timebant enim, ne istæ duæ res nouæ, nimirum cruce signatorum exercitus, qui orientem versus sæpe procedebant, & regum nouorum inauguratio aliquod ipsis exitium accelerarent.

Malus exitus consilij de augendo numero regum.

Dixi, circa hæc tempora, quando videlicet differunt historici de clade Sendomirienſium & coronatione Danielis, discrepare inter se in 20. circiter annis. Quod accidit puto propter bella & turbulenta tempora illius ætatis. Vnde fit vt & historia eius æui plerisque in narrationibus erroris suspicione laboret. Conqueritur etiam hîc domus amplissima Sieneniorum, Olesniciorum, Pozovviorum & aliorum, qui signo vtuntur Debno nominato, de Monachis sodalicii illius, qui vitæ institutum sequuntur cœnobii S. Crucis. Nam volentes historiam suæ societatis speciosiorem magisque figuratam reddere, multa confinxerunt, quæ pugnant cum historia familiæ eorum, quam per manus à maioribus suis traditam accepere. Certum est autem, & pro confesso tenendum, Dembrotem, qui signum sanctæ Crucis reduxit, Polouucium fuisse; qui Polouucii ab illis Gothis Italiæ vastatoribus originem ducunt: habitasseque in eadem plaga Russiæ, vbi nunc est solitudo, & coloniæ nonnullæ ipsorum. Et credibile est, ideo ipsum ac Polouucios omnes Tartaros vocatos fuisse, non quòd Tartari essent: sed quia cum Ducibus Russorum Leone & Romano, qui vindicaturi clades superiores venerant à Polonis acceptas, duces itineris Scythis in Poloniam se præbuerant. Inde, inquam, factum esse reor, vt per inuidiam Tartari vocarentur. Præsertim cum etiam in vicinia Tartariæ habitarent. Non minùs autem scitè, quàm verè, à Ptolomæo dictum est: Finis vnius rei participat de appellatione alterius. Quam ob causam, confinii videlicet ratione, Sarmatæ, atque etiam Germani interdum ab autoribus Scythæ appellantur, de qua figura sermonis luculentiùs libro primo huius operis à nobis disputatum est. Sed & aliæ coniecturæ non desunt, quib⁹ docetur eadem res. Neque enim alioqui, si Dembrotes Tartarus seu Scytha fuisset, signum sanctæ Crucis per eum remissum fuisset. Nam ad primum conspectum à Sendomirienſibus fuisset discerptus, & illi, qui cognatos suos nõ ita pridem crudeliter ab eo trucidatos meminerant, cupiditate vindictæ, sanguine eius suis parentassent: Sed

Origo Dembrotiorum inter quos frequentiores Sienenij habitãt.

quia eum & generis Gothici antiquitas, & religionis vnitas, linguæ que Ruſsicæ vſus cõmendabilem apud noſtros, vt ipſius populares, reddebant, ideo hunc præ aliis idoneum putabant, qui tutò & commodè ad ſuos veluti contribules ſacrum illud ſignum ferre poſſet. Et virgo Adleida Debniades ideo in nuptias eius faciliùs conſenſit, quòd hominem ſuæ religionis eſſe, nec ita multum à ſe diſsidere perceperat. Præterea (pace ſodalitii illius dixerim) apparet hanc hiſtoriam minimè ſecum conſentire. Nam ſi anno 1260. ſub Boleſlao Pudico, fuit crux relata, & rurſus ſub Cazimiro magno, anno 12. vbi latebat, demonſtrata, quomodo ab eodem reportata & demonſtrata credetur, quandoquidem prius tempus à poſteriore propemodum 100. annis differt? Per quod temporis ſpatium tres reges interceſſerant: Præmiſlus nimirum rex, Venceſlaus Bohemus, & Wladiſlaus Loticus, & bona pars regiminis Cazimiri magni. Iam autem, cum Sendomiria vaſtaretur, dux cohortum nuncupatus eſt, & agmen ducebat. Ideo 40. aut paulo minus annos is tunc natus fuiſſe coniicitur. Sed coniectura hac omiſſa, ad inſtitutum reuertamur.

Circa hæc tempora vrbs Cracouienſis iure Teutonico, quod & Sredenſe vocatur, vti cœpit. Condonet lector, quòd breuiter & ſuccinctè capita rerum enumeramus, neque enim noſtrum propoſitum eſt ea, quæ alii prolixè tradiderunt, largiùs proſequi: ſatis eſt, quòd primam partem hiſtoriæ noſtræ ab aliis neglectam tradidimus. Porrò capita rerum in hac ſecunda parte tantùm proponere ſufficiat, vt ſaltem complementum hiſtoriæ habeat lector.

1260. Circa hæc tempora Michaël Palæologus Græcorum Imperator auxilio Guilelmi ducis Genuenſium occcupat Byzantium; inde inuaſit imperium Orientis, Balduinumque cum Gallis expulit. Huius progenies Conſtantinopolim obtinuit annis ferè ducentis. Interim Bulgari, Raſcii, Seruii, & aliæ gentes Slauonicæ ſuis parebant regibus, & Deſpotis. Et qui antea amici aut confœderati Conſtantinopolitanis erant, mox hoſtes facti, aſsiduis incurſionibus Thraciam & Macedoniam infeſtant.

1263. Boleſlaus Pudicus, cum videret Iazygas, gentem ferocem, ſæpius ipſius terras infeſtare, regionem eorum agmine compoſito ſemperque inſtructo, 22. menſis Iulii ingreditur. Sciebat enim, gentem indomitam, atque aut mori, aut vincere animo obfirmatam, ad pugnam quamuis iniquiſsimam accurſuram. Nec eum opinio fefellit. Nam ſtatim, illuceſcente ſole, vbi ſe noſtri in conſpectum eis obtulerunt, magna alacritate ad eos contendunt. Producit Boleſlaus ſuos in aciem; Concurritur infeſtis armis. Cumq; aliquot horis Marte dubio pugnatum eſſet, tandem inſtantibus noſtris, ad paucos redi guntur Barbari, ducemque ipſum Cunhatum inter primos pugnantem amittunt,

tem amittunt, & tamen pedem non referunt. Ita fortiter dimicantes occidione occisi sunt,&,qui remanserant ex militari ordine, religio nem Christianam, capitali pœna proposita,susciperе sunt coacti. Ta metsi autem de Iazygum origine plerique hæsitant, tamen Sarmatas fuisse nemini dubium est; Sarmaticaque lingua eos locutos, vel inde eu inci potest, quòd hactenus tam hi, qui in Podlasia habitant,quàm illi, qui ad Tibiscum in Hungaria hactenus manent,lingua Slauonica, licet paulo difficiliore, quàm Russi,vtuntur. Et hic dux eorum, Cunhatus de quo modò diximus,nomen prorsus Russicum habuit. De iis autem quum iam aliquoties dixerimus,superuacaneum est de iisdem luculentiùs differere. Tapia eodem anno in Prussia excitatur. *Iazygum origo.*

1263. Ecclesiam parochialem Mariæ Magdalenę Posnaniæ fundatam Miechouiensis tradit.

1264. Monasterium in Brzescie Cuiauiensi fundatur.

1264. Russi & Tartari fusi & profligati à Polonis ad Pietã campum. Dux autem Russorum erat Suarno. Nam Daniel Romanides paulò ante mortuus erat, licèt Miechouiensis mortem eius in annum 1266. referat. Victoria hæc accidit Iunii mense eadem die,qua antea ad Zaichostiam à nostris prosperè pugnatum fuerat. Res primò eminus scorpionibus, & arcubus gerebatur, sed dum Scythæ in eo genere pugnæ exercitatos se declarant,inuehuntur nostri in acies eorum,& cominus hastis atque gladus res geritur. Referunt pedem hostes; instant nostri. Nitebatur Suarno restituere suorum aciem, sed, cum nihil ageret, in fugam se coniicit, atq; ita vniuersa acies hostium conuertitur, & mutuò sese impellit & impedit: Ita nostri plena potiuntur victoria. Existimatum est tum piis precibus principis Boleslai, & religiosæ coniugis Kunegundis, impetratam fuisse illam victoriam, magis quàm humanis viribus, cum numero hostes quadruplò nostros excederent. Nam certò narratur,Kingi Reginæ astitisse tum duos candidatos angelos, qui futuri belli euentum ei prædixerint. Vnde videre licet, vt iam aliquoties dictum est, regna primordialia magis peculiari cura tutellaque à Deo cœlitus defendi, quàm ea, quæ proximis seculis suppullulasse creduntur. Numerantur autem iuxta Mosem à Lyrano 73. vt sunt Iberorum, Celtarum, Tuisconum, Sarmatarum,& consimilia.

1264. Hoc anno Cometes dirus & Luridus arsit,in occasum se se porrigens, durauitque tres menses, quo etiam tempore Vrbanus Papa, vt Miechouiensis refert,festiuitatem corporis Christi instituit. Eodem tempore Boleslaus Dux Calisiensis, atauus Cazimiri Magni priuilegia & libertates indulsit Iudæis, quas scriptores historiæ Polonicæ & Priluzius, vt legibus contrarias,reprehendunt. Quod cum ego senioribus Iudæorum aliquoties obiicerem; ad hunc modum respon-

dum reſponderunt: Si hæc ita ſe haberent, vt Priluſius dicit, certè nos non tuliſſent Reges, non modò per hoſce trecentos annos, ſed ne per tres menſes quidem. Adieceruntque, ſe habere confirmationes ſuarum libertatum & priuilegiorum non ſolùm à regibus Poloniæ, qui ordine alter poſt alterum vixerunt, ſed etiam ab Imperatoribus, ipſisque denique ſummis Pontificibus Romanis, quorum exemplo Dux Boleſlaus maioris Poloniæ & Cazimirus Magnus, cæteriq; Reges eaſdem confirmarunt, corroboraruntque.

Quinta expeditio.

1263. *Dux Brusſingæ, & Margrauius Morauiæ cum filio, & Landgrauius Turingiæ magnam vim militum contra Pruſſos adduxerunt, vt vlciſcerentur mortem Helmerici Magiſtri, quem in Lubuſouienſi terra cum exercitu ferè occidione occiderant. Superiore autem anno Wilauum arcem, à Regio monte triginta millibus paſſuum ſitam, Lituani, adhibitis variis bellicis machinis, magna contentione oppugnant.*

1266. Predota Epiſcopus Cracouienſis mortuus eſt.

1266. Arcem Cracouienſem, totum montem complectendo, Boleſlaus Pudicus reſtaurat. Circa eadem tempora Salome Halicienſis Regina, Boleſlai Pudici ſoror, vxor verò Colomani in Zaichoſtienſi monaſterio vixit, deinde in Skalenſi vitam exegit. Funus eius Cracouiam ad D. Franciſci templum illatum eſt.

Sexta expeditio.

1266. *Nec minus etiam celebris fuit Otthocari regis Bohemiæ expeditio in Pruſſiam hoc anno. Erant enim in illo exercitu Poloni, Bohemi, Sylleſii. Sed & Ruſſi eodem tempore Nadrouitas, & Scalouitas, annis 60. ante aduentum Marianorum, ex veteribus ipſorum ſedibus, vbi eſt nunc Ragenta, eijcere contendunt. Cumq; iſti arctiore obſidione in arce quadam premerentur, interrogati, quonam pacto inediam tam diu ſuſtinerent: reſponderunt, ſe viuarium quoddam in area arcis habere, quod illis piſcium copiam ſuppeditet. Subiungit Durſburchius hiſtoriæ illius ſcriptor atque exclamans: Mirum eſt, inquit. Cum gentiles poſſeſſores illius arcis eſſent, viuarium illud tantam copiam piſcium illis affatim producebat, nunc poſtquam Chriſtiani potiuntur iſto loco, tantùm ranis illud viuarium ſcatet. Sed tandem inquit, iudicia Dei ſunt inperueſtigabilia. Demonſtrauimus autem in chorographia noſtra, illius regionis antiquiſſimos fuiſſe poſſeſſores Slauinos, ideo etiã nunc Slauonia illa prouincia vocatur, vnde & Ptolomæus Venedicum ſinum mare illud appellat. Ideo à Nadrouitis Pruſſis Ruſſorum Principes*

tam enixè eam

tam enixè eam vindicare contendunt. Hoc tempore etiam Regiomontana arx fuit excitata, & ad conseruandam memoriam huius expeditionis Otthocari regis Bohemiæ Mons regius est vocata. Hoc quoque tempore apud Lituanos regnabat Troinata, qui Mondocum patrem vnà cum duobus filijs Rukla & Repikascha auxilio Doumantis iugulaucrat. Sed & ipse non ita multò post à Woysilkone comprehensus in venatione excarnificatus fuit. Fuit Woijsilko filius etiam Mondoci, sed monasticam vitam professus in Vronscensi monasterio ad Pinsko priuatim vitam religiosam ducebat. Hunc proceres Lituani diu renuentem cunctantemq; precibus & inuitationibus sollicitantes, ad gubernacula Reipub. suæ, in tanta rerum perturbatione, euocauerant. Kierno niæq; solenni ceremonia inaugurauerant. Euectus ad eam dignitatem, nihilosecius voti sui memor, vestem ritualem monasticam seu cucullum supra Ducalem habitum superinduebat: Sed hunc non ita multò post, Leo Dux Russorum per speciem comitialium consultationum ad interiora Russiæ, Wladimiriam illam vicinam nobis in Volihnia, euocatum post conuiuium quoddam manu sua interficit. Iam enim à conuiuio Leo & reliqui conuiuæ Duces ad sua diuersoria abierant, cum mora parua interiecta, Leo ad curiam Woysilkonis rediens in cubili dormientem excitat, & quasi adhuc comessatiunculæ indulgere volens, elicere conatur. Bibemus adhuc Kumie, sic enim Russi affines suos blandiusculè vocitare solent. at vbi non pareret ille, euaginato acinace, caput eius dissecuit, ita vt cerebro paries proximus aspergeretur. Ita Woysilko miserabili morte vitam, simulq; posteritatem perfidi Mendoci patris, adeoq; stirpis antiquæ Centamorum ab insignibus auitis dictæ, finiuit: continuataq; tamdiu successio in principatu, in aliam familiam Columnarum dictam, electo Vithene, & sede ducali Nouogrodiam translata, isto tempore transiit. Delati ad commemorationem istarum duarum familiarum celeberrimarum Lituanorum, paucula hîc, historicos Lituanicos submonituri, adijciemus. Germani scriptores viri eruditi, & in historica lectione versati, Columnarum, Vrsinorum, Scaligerorum, & aliorum consimilium familias à Germanis non à Romanis veteribus deriuant: Romanos quidem esse fatentur, sed posterioribus temporibus ab Imperatoribus Germanicis Romæ collocatos iusq; ciuitatis adeptos, in eum finem, vt isthîc manentes, tanquam Imperatorum clientes, & alumni (nam redditibus certis & portorijs ab ijsdem aucti erant) autoritatem ipsorum aduersus indignationem Pontificum, si quando oboriretur, tuerentur. Hac igitur ratione familiæ Lituaniæ Columnarum & Centamorum à Romanis originem suam trahere potuerunt.

Woysilko interfectus crudeliter.

Origo Columnarum Vrsinorumq;.

runt: Sed hæc transmigratio vt longè posterioribus temporibus accide-rit, necesse est. quando nimirum Guelphorum, & Gibellinorum factio nes extiterunt & per Italiam Germaniamq; sunt sparsæ. Ex prædictis igitur causis & per prædictam occasionem has gentes ex Germania in Italiam traductas fuisse tradunt. Neque hoc absurdum videri potest. Nam rerum Romanarum antiquiores scriptores Columnarum ac Vrsinorum nullam mentionem faciunt. Fieri autem potest, vt cum Cruciferis, qui expeditionibus frequentibus, terra mariq; viam ex Italia septemtrionem versus aperuerunt, & ab vrbe Roma veteri ad Romam nouam, ad litus Balthicum sitam (sic enim portus ille Curlandicus adimitationem comparationis Romæ Romuleæ cum Roma Constantinopolitana, quæ etiam νεὰ ῥώμη vocabatur, antiquitus nominatus est, & ibidem Pontifex etiam gentilis, Kriuci Kriueto dictus, sedem suam habuit primariam) huc aduenerint. qui demum insinuantes se in amicitiam Lttuanorum, primò socij, demum & domini gentis esse cœperunt. Hanc verisimiliorem originem Columnarum Lituanicorum esse puto. Nam et Dorsprungij nomen & Prosperi magis est cognatum sono Germanicis nominibus, quàm Italicis. De Libone Nauarcho Pompeij speciosior narratio videtur. Sed ego de rebus vetustis iudicium hîc cuiq; suum relinquo. meliora adferentibus subscribam & cedam.

1268. Suatopelcus decrepitus iam, mortuus est, & recordatus defectionis suæ, moriturus filiis mandat, vt Polonos duces omni ratione & beneuolentia sibi deuinciant. quod quia postea obliti sunt facere, magnis se calamitatibus implicarunt.

1270. Ludouicus Von Balderhem Magister prouincialis Prussiæ (erant enim alii Generales) vnà cum Liuoniæ Magistro Plescoui am obsidet, & Rusos ad faciendam pacem cogit.

Paulus Episcopus Cracouiensis.

1271. Paulus Episcopus Cracouiensis ob raptum sacratæ virginis ex Skalensi monasterio, qua abusus esse fertur, Syradiam iussu vel permissu Boleslai ab Othone & Zegota iuuenibus Toporum familia ortis, deportatur, ibique mensem vnum seruatur. Hic diuinitus quadam die de cœlo ob sua scelera increpitus fertur huiusmodi verbis: Væ tibi Paule Episcope. Rursus ferunt, talibus dictis eum in cubiculo compellatum: Ne timeas Paule Episcope, age quod lubet, septimo deinde anno morieris.

1273. Boleslai victoria contra defectores in hunc annum incidit. Huius belli concitator fuisse fertur idem Paulus Episcopus. Ipse tamen Boleslaus non prorsus immunis à culpa fuisse fertur. Nimirum, quòd indulgentia quadam calumnias in iudiciis regnare pateretur; quibus etiam hactenus impunè laborant Causidici nostri seculi. Neque prorsus incorruptus iudex fuisse ferebatur: onerosus item

nobilitati

nobilitati propter crebras venationes. Nam tunc ferunt adhuc nobiles subuectiones prębuisse principibus. Itaque mutatione plerique principis, nouoque domino creato, sperabant se liberatum iri istis malis. Paulus tamen autor fuit conuenticulorum aduersus Principes, semina iaciendo futuri belli.

1279. Hoc anno Boleslaus Pudicus ad quartum Idus Decembris fatis concesit. Cracouiæ apud diuum Franciscum, quod monasterium ipse condiderat, sepultus est in choro templi à sinistra parte. In cuius sepulchro tale epitaphium legitur. ANNO DOMINI MCCXX. OBIIT ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS ET DOMINVS BOLESLAVS CRACOVIENSIS, &c. Sed inscriptio tempore variat à calculo chronologorum nostrorum. Benignus & religiosus Princeps fuit. Cuius illa extant in Cracouiensem Episcopum, & ecclesiam memorabilia beneficia, quibus sacerdotes, eorumque adscripticios ab omnibus pensionibus & teloniis liberauit. Ab omni item iurisdictione magistratuum suaq; ipsius exemit (quod ab Archiepiscopo etiam quodam effectum fuisse supra meminimus) Episcopumque omnino Ducali iure in bonis suis esse voluit. Adhæc pro testatem fecit Canonicis Cracouiensibus senos ex nobilitate aut duodenos ex plebe quos vellent ab expeditione bellica eximendi. Condidit etiam sancti Marci monasterium Cracouiæ. Ciuitatē Cracouiensem iure Saxonico siue Magdeburgensi, quod etiam Sredense & Teutonicum vocatur, vti iussit, constituitq;. Quinquaginta duos annos post mortem patris Kinga vxor virgo permansit, mortemque mariti moderatè tulit. Distractisque cunctis facultatibus in vsus egenorum, diui Francisci professioni & instituto vitæ sese addixit. Postremò Sandeciam commigrauit, ibique reliquum tempus vitæ in monasterio peregit. Non multò post Pudicum mortuus est Boleslaus Caluus Legnicienſium Dux Rogatka dictus.

Epitaphium Boleslai.

Immunitas Cleri.

A bellica expeditione tunc primùm cler⁹ exemptus.

S. Marci monasterium.

Kinga Regina & Ducissa.

De origine Ducum & Archiducum Austriæ.

Rudolphus Albertum filium Augustæ Vindelicorum, in cōuentu principum Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ ducem appellauit. A quo originem duxerunt ii, qui deinceps illis regionibus prę fuere vsq; ad nostra tempora, & Carolum Quintum Imperatorem, Hispanorum, Siculorum, Neapolitanorumque regem, ac Ferdinandum Cæsarem, regem Romanorum, Hungarorum, & Bohemorum, fratres germanos, ac liberos eorum inclytos.

LESCVS NIGER.

Anno ab orbe condito 5345.
Anno Christi. 1279.

SVccessorem Boleslaus accepit Lescum Nigrum Siradiensem Ducem. Hunc enim viuus adoptauerat: præterea ex fratre patruele nepos ei fuit. Patri igitur adoptiuo Lescus iustis persolutis, nemine ex cognatis aduersante, rerum potitur. Inter extraneos Russi primùm duce Leone Danielis filio & Romani illius Halicienſium nepote, adiunctis sibi Tartaris, primò Lituaniam, deinde & Poloniam aggrediuntur. Cum istis Palatini duo ad Goslice pagum altero à Sendomiria milliario temerè quidem, vt qui multò pauciores, sed tamen euentu prospero concurrunt, cõmisso que prœlio, tertia die Februarii eos fuderunt. Nam, cæsis primis, magna trepidatio cæteros inuasit. Sic, abiectis armis, terga verterunt. Cæsa feruntur in eo prœlio hostium octo millia, capta duo, militaria signa septem. Nostri victoria potiti, mox Russiam vastant vsque Leopolim. quæ vrbs ab hoc duce conditore nomen tunc accepisse dicitur.

Prœlium Goslicense.

1281. Bellum cum HENRICHO Wratislauiensi nomine tantùm & non re ipsa, Probo dicto, ob Duces tres captos. Quo anno etiam Siculi Gallos vna hora, dato campanæ ad vesperas signo, per omnes vrbes ex composito trucidant. Hinc in prouerbium abiit: Si culæ vesperæ.

1282. Ius tum Lescus dicebat Cracouiæ, cum audisset Lituanos & Iazygas subita excursione Lublinensium regionem tripartito agmine depopulari. Itaque sepositis omnibus negotiis, armis correptis, magnis itineribus ad eos contendit. Sed hostes iam præda onusti recesserant. Itaque cum lassus animo angeretur, sopore eum inuadente, diuinitus consolatur à quodam, qui speciem diui Michaëlis referebat, in somno ei apparente: qui ei sponsionem certæ victoriæ faciebat, si non desisteret, & persequeretur hostem. Paruit ille: Nam, cum somnium hoc militibus manè exposuisset, dici non potest, quàm eos alacres ad persequendos hostes reddiderit. Itaq; cum recentibus hostium vestigiis insisteret, 13. Octobris ad Naruam & Nemen flumina eos consequitur. Perculsi aliquo modo metu, cum se iam euasisse sperarent; Sed tandem ad arma ventum, Iazygibus arma arma acclamantibus. Modum pugnæ & instructionem exercitus habes à me in libello Campiductoriæ expressum. In summa, victoria nostri potiti sunt glorioſa. Nam & canes nostratium, quos secum iam ducebant Barbari, vt lętiore vlulatu nostris quodammodo gratulabãtur: sic sæuis morsib. Barbaros ipsos impetebant. In eo prœlio reliquiæ Iazygum equestris ordinis, qui à suscepta religione defecerant, penitus

rant penitus extinctæ sunt & deletæ. Lescus victor in Poloniam rediens diuo Michaëli, qui sibi in somnis victoriæ spem fecerat, Lublini templum eius rei mnemosynon condidit.

Septima expeditio.

Tunc Liuonici Ensiferi totis viribus suum robur in vnum conferentes Lituaniam ingressi, cum Doumante prœlium acerrimum committunt in campis Vidriminscijs Gedrociorum, duobus milliarijs à stagno nobili Kiamento dicto. Ibi robur Liuonum concidit, totusq; illorum exercitus deletus est. Vnde campus ille hactenus Caulis vocatur, quod significat bellum lingua Lituanica. Inueniuntur illîc hactenus à colonis fragmenta framearũ, sagittarum, & pili hastarum. Celebratur etiamnum ab agrestibus cantiunculis hic Doumantes. qui tandem seditione, ciuiliumq; bellorum incommodis patria extorris & extrusus ad Plescouienses profugit, à quibus etiam in Principem fuit electus. Hic primùm Plescouiã muris cingere cœpit. Vnde Plescouienses Moschi quandam suorum mœniorum partem, parietem Doumantis hactenus vocant. Sed quia ambiens principatum Lituanicum ad necandum Troidenum Ducem subornauerat rusticos, qui redeuntem à balneis nihilq; tale suspicantem fustibus interemerunt, ideo à Laurasio filio eius prœlio victus, & trucidatus est. Fuit igitur Laurasius filius Troideni Regulæ Lituanorum, qui, vanitate gloriæ huius mundi spreta, in monasterium sese abdiderat. Sed ob cædem patris grauissimè commotus, cucullo abiecto ad tempus, & correptis armis Doumantem persequutus est, exercituq; eius fuso, eum interemit. Postea, vbi iræ suæ satisfeciset, ad institutum regulæ rediit, designato in locum suum Lituanis principe Vithene. Ab hoc se libertates accepisse, gloriatur Lituania. Sed forsan mala fide à principibus, qui Laurasio successerunt. seruatæ, aut ab ipsis met negligenter curatæ & defensæ sunt. Vsque enim ad Cazimirum Poloniæ regem & forsan ad Augustum, ingemiscebant conquerentes, se oppressos seruitute, populi Lituaniæ. Hæc per modum compendij cuiusdam de rebus Lituanorum percurruntur.

Campus Caulis.

1283. Suetopelcidæ Duces Pomeranorum Cruciferis sua donârunt. At donationes illas legatus Pontificius Philippus Episcopus Firmianus, qui tum ex Hungaria malè ibi tractatus venerat, rescidit. Gneuense tamen territorium eis concessit; in quo mox arcem condiderunt, præsidioq; firmarunt. Eodem anno Lescus prœliatus est cum Lituanis ad Lukouiam, qui tum Sedomirtensem agrum vastabant. Laudatur hîc pietas Lesci, qui initurus prœlium, suos milites ad humiliandum se Deo cohortabatur, & sacrosanctæ Eucharistię vsu, pec

Donationum rescindendi ius penes legatum Pontificis.

m catorumque

catorumq; confeſsione ſe communire iubebat. Addidit & cohortatoriam orationem, qua eis ob oculos poſuit, honeſtiſsimum eſſe pro patria mori, gloriæ, quàm vitæ, bonos fortesque viros cupidiores eſſe debere. Irent ergo alacres, cæſorum hoſtium ſanguine ſuis parentarent, & captiuos opem lachrymis & eiulationib⁹ implorantes liberarent. Inſtructionis huius hypotypoſim in Campiductoriæ meæ libello reperies. Apparuit hinc ſumma fortitudo noſtrorū hominum qui, quaſi firmo muro obiecto, denſo agmine acies hoſtium diſiecerunt. Poſt debellatos hoſtes in Paulum illum Epiſcopum Cracouienſem animaduerſum eſt, qui captus, in Syradiam iterum à ſatellitibus eſt deportatus. Creditum eſt enim, eum memorē prioris captiuitatis, quum apud Leſcum detineretur, per quoſdam nobiles ex Sedomirienſibus Lituanos ad illas incurſiones Poloniæ concitaſſe. Magnas enim neceſsitudines & clientellas habuit Paulus in tractu Sedomirienſi; quibus confiſus ſemper rebus nouandis ſtudebat. Illo ipſo tempore Lucardis mors condolenda, vxoris Præmiſli maioris Polonię Ducis, accidiſſe fertur; quę à pediſsequis ſuis iugulata fuit. Nec expers huius culpæ Præmiſlus eſt habitus; eò quòd ne quæſtionem quidem de ſcelere habuiſſet, nec pœnas exegiſset. Vulgari igitur carmine notatus eſt. quod carmen ſua ætate Dlugoſsus vulgò cantari ſolitum eſſe memorat. In hac elegia, vel cantico, oratio Lucardis miſerabilis expreſsa fuit, quæ maritum pro coniugali amore & honore, quem illi ſemper habuiſſet, ſupplex orabat, ne vitam ſibi adimeret, ſed vel vna ſubucula tectam in domum paternam remittat. Cauſa verò huius parricidii Præmiſlo ea fuiſſe fertur, quòd nullos ex ea ſuſciperet liberos. Sed non inultum id ſcelus tulit Præmiſlus. Nam etiam poſt ſecundas nuptias prorſus abſque maſcula prole deceſsit. Erat illud ſeculum corruptum, & Principes plerique illicitis libidinibus dediti erant. Narratur ferè per idem tempus, Alberti Comitis Turingiæ, cum inſigni eius vxoris calamitate ac miſeria exemplum damnatæ libidinis. Duxerat iſte Margaretam Friderici ſecundi Imperatoris filiam, ex qua duos filios ſuſceperat, Fridericum & Ticemanum generoſiſsimæ indolis adoleſcentes. Sed ea nō contentus, exarſit amore pellicis tanto, vt etiam vitæ coniugis inſidias ſtrueret. De quibus illa certiſsimis indiciis edocta, vt cederet furoribus & ſceleri mariti, & vitæ conſuleret, hortantibus amicis prudentibus ac fidelibus, conſilium de fuga cœpit. Oſtenditur adhuc locus in arce Iſenacenſi, vbi non eſt alta magnitudo à ſcopulo extra arcem & feneſtram ex qua domina cum quinque comitibus demiſſa fuit. Nocte cùm migratura eſſet, priuſquam à filiis diſcederet, aſsidebat ad lectulos, & calamitatē ſuam deplorabat. cumq; conſiliarius ſenex & matronæ eam comitantes & hortarentur, vt properaret; tandem valedictura filiis

Lucardis mors miſerabilis.

auellebatur

auellebatur inuita, quòd eorum pericula sciret non leuiora suis, Friderichum natu maiorem, lachrymis & eiulatu, materni doloris magnitudinem ostendens, osculis crebris complexa, postremò mirabili motu genam eius mordicus prehendit ac læsit. Vulneris cicatricem Princeps quoad vixit, retinuit, & cognomẽtum inde Admorsi consecutus est. Mater tandem Francofortum euasit, vbi in monasterio virginum commorata, ne procul à filiis abesset, post paucos annos mortua est. In istud etiam tempus miserandus casus Episcopi Wrati slauiensis refertur, cuius causa hæc fuit: Imperauerat quandam contributionem ordini ecclesiastico Henrichus Pius Wratislauiensis, quæ cum non daretur, ille bona episcopalia occupat, ob quam causam ab Archiepiscopo Svvinka Gnesnensi excõmunicatur. Et quia excõmunicatio secum trahebat interdictionem à sacris, & ceremonia religionis plebi adempta & sublata, murmur, odia, & querelæ excitantur. itaque ille vt istum Gordianum nodum semel præcideret, iratus Episcopum & Sacerdotes omnes ditione sua eiecit, ne scilicet vulgus dum ocioſos Sacerdotes perambulantes videret per vrbem nec sacra peragentes, aspectu eorum magis ad detrahendum ei irritaretur, studiaque in contraria vt fieri solet, scinderetur. Perlata hæc res fuit vsque ad consilium Lugdunense. sed iam prius aures patrum falsis criminationibus Henrichus per legatos occupauerat. Itaque Thomas in quintum vsq; annum exilium perfert apud Ratiborien-sem DUCEM à quo honestè habitus fuit. sed & Ratiborienſem DUCEM bello eam ob causam Henrichus persequitur, agrosq; eius diripit, nil que omittit, quod ab irato hoste in eo casu fieri solet. Cum igitur obsidione aliquãtulum Ratiborienſis premeretur, ne aliqua sibi maiora incommoda ab Henricho accerseret, ipsemet Episcopus indutus Pontificia veste, cum Sacerdotibus ad Henrichum prodit. Attonitus Henrichus, & quasi numine afflatus de papilione exiliit, & obuiam prosiliens ad pedes Episcopi sese abiecit. consecuta est demum reconciliatio. Nam animo ita compunctus erat Henrichus, vt etiam Wratislauiam ipsam vrbem cum territorio sempiterno iure ecclesiæ, & ipsi donaret: sed Episcopus pius eam donationem abnuit & refutauit. Deus tam prudentes & manſuetos procul à maleuolentia Episcopos huic seculo deprauato largiatur. In minore autem Polonia Paulus telam, quam texere cœperat in perniciem Lesci, perfecit. Ita enim ei odia & pericula procreauerat, vt etiam ægrè se Cracouiæ cum vxore sustentaret & defenderet, cunctis contra eum insurgentibus. Nam & ii qui ei fauebant, quique in comitatu eius auli co fuerant, ab eo se subducebant, veriti ne sibi fraudi esset, à publico vniuersi conuentus consensu, qui contra Lescum agitabat consilia, dissidere. Cracouia sola tum in fide Lesci permansit. ipse cum vxore

Exemplum irati principis erga Episcopum.

Episcopi manſuetudo qua fregit pertinaciam Principis.

in Hungariam profugerat. Requisiti tandem Cracouienses à cunctis ordinibus, responderunt, Non licere sibi iusiurandum Lesco semel datum violare. Gratus fuit postea Lescus & memor tantæ beneuolentiæ, quam in duriore fortuna à Cracouiensibus expertus est. Ideo Teutonibus solis regimen vrbis tunc attribuit, habitu quoq; & cultu corporis cum eis conformato, ostendens quanti eos faceret. Hæc anno 1285. gesta sunt. Ac re semel in deterius vergente multæ calamitates tum in Poloniam & Poloniæ principem Lescum coniurasse videbantur. Gostinum à Cazimiro surreptum, Ploscum à Wladislao interceptum, & Sochaczouia. Prussia tum vermes caudis cancrorum consimiles produxerat, qui, quoscunque aculeo pupugissent, intra tertium diem extinguebant. Dobrinum à Prussis incensum. Mazouia Cirnensis à Lesco vastata. Tartari Poloniam depopulātur, à quibus Cracouia ægrè sese defendit. Syradienses fusi & præda exuti à Mazouiis, contrà Mazouia à Syradiensibus. Tartari tum Sedecensi monasterio, pauore, vt creditum est, diuinitus perculsi parserūt. Tanta autem tum præda è Polonia à Tartaris abacta esse dicitur, vt, cum eam apud Wladimiriam recognoscerēt & partirentur inter se, vnum & viginti millia innuptarum puellarum censa esse dicantur. Lescus igitur his aduersis rebus & suggillationibus hominum afflictus ex mœrore & angore animi in morbum incidit, quo tanquam igne deustus & tabefactus vltima die Septembris vita hac misera desunctus, & in templo sanctæ Trinitatis apud sodales Dominicanos honorificè sepultus est. Cui epitaphium tale est inscriptum. HIC SEPVLTVS LESCO NIGER DVX CRACOVIENSIS ET SEDOMIRIENSIS, QVI DIEBVS VITÆ SVÆ HVNC LOCVM ORNAVIT. OBIIT ANNO MCCLXXXVIIII. Bonus & frugi princeps fuit, si vltima prioribus respondissent. Donauit hic Episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnib⁹ metallis in cuiuscunq; solo reperirentur.

Fides Cracouiensium in Lescum.

Calamitates quæ præcesserunt Lesci mortem.

Lesci mors.

INTERREGNVM.

Orbata tunc Polonia legitimis dominis erat, cuius principatus in medium positus erat; quem alii ambiebant iure cognationis, vt Wladislaus Locticus frater Germanus Nigri; alii gratia populari, vt Boleslaus Plocensis; alii & potentia, vt Henrichus Wratislauiensis; qui omissa Bohemia, ad cuius principatum procerum quorundam conspiratione contra Venceslaum inita, inuitabatur, clam accersitus à ciuibus Cracouiensibus cum iusto exercitu aduenit. Venienti ciues, inter quos lanii maximè pollebant potentia, portam vrbis aperiunt. Quod vbi Boleslaus resciuit, Cracouia se, nequicquam eum retinentibus proceribus, proripuit. Wladislaus verò Locticus apud Syradienses

Intestina & socialia bella.

radienſes quieſcebat. ſed cum videret quemque pro ſe agere, indignum putans alienum fratri ſuo Leſco ſucceſſorem in principem quęri, exercitum cogit, & ad Seueriam oppidum ad quartum Calendas Martias cum Henrici copiis ſigna confert. Occurrit tum ipſe Henrichus. ſed Opolienſis ſuis copiis alium ducem copiarum præfecerat. Commmittitur itaq; prœlium multis vtrinque cadentibus. ſed Wladiſlaus victor euaſit, Opolienſisque ſaucius ab eo captus eſt. Victor Cracouiam profectus apertis portis omnium conſenſu & acclamatione renunciatur, pleriſque equitibus fidem eius ſequentibus. Sed & hic non diu principatum retinuit. Henrichus enim minimè deiectus Seuerienſi clade, nihil ad celeritatem reliqui ſibi faciens, nocte intempeſta Cracouiam acceſsit, eamque in poteſtatem redegit. At Wladiſlaus inopinato tumultu perculſus, cum neque numerum, neque genus hoſtium exploratum haberet, proditionem metuens ad Franciſcanos ſodales ſe recepit; vbi ſuos paſsim per vicos palantes cædi & ſe quæri audiens, ſumpto monachi habitu, de muro à Franciſcanis demiſſus euaſit. Graſſatum eſt deinde per vrbem in eius familiares. Interim Wratiſlauienſi tum mortuo, Wladiſlao ad recuperanda amiſſa ianua patefacta eſt; niſi Gryphina Leſci Nigri vxor conatus eius eliſiſſet. Nam hæc de ſua dote ſollicita, ius ſuum principatumque Poloniæ, confictis ad id diplomatis Venceſlao Bohemiæ donat. qui cupidus proferendi Imperii cum exercitu in Poloniam adeundæ poſſeſſionis gratia miſit. Cui Præmiſſus, deducto præſidio, Cracouiam tradidit. Videbat enim cum acri hoſte ipſi impendere inimicitias. Ne igitur duplici bello pariter diſtineretur, validiorem hoſtem ei obiecit. Bohemus igitur, Cracouia accepta, Sedomiriam pergit, & in itinere Oblecomum arcem prope Viſtulam ſitam, vi capit. Ad Sedomiriam vbi venit, à Wadiſlao, multis cæſis, & plurimis vulneratis, repulſus eſt. Itaque Gryphina ſecum abducta, veritus ne ſententiam mutaret, in Bohemiam abiit. At Wladiſlaus re ad Sedomiriam ex animi ſententia geſta erectus, Wiſliciam deiecto hoſte, nullo negotio recuperat. Inde Cracouiam populabundus pergit.

Loctticus ad ſodales Franciſcanos.

Octaua & nona expeditio.

1290. *Commemorari hîc poſſent infinita particularia bella Cruciferorum, & vaſtationes certaminaq; terreſtria, naualia & glacialia cum iſtis gentibus. Multos mortales hæc abſumpſerunt, adeo vt pro maxima & ſtupenda expeditione cenſeri poſſent. Vithenes per dies octoginta Pruſsiam vaſtat. ſed poſtea à Cruciferis in anguſtias compulſus cum ſuo exercitu adeo profligatur, vt ipſemet in Lituaniam ægrè euaſerit. In ſequenti anno Libenteile Cõmendator Ragnetanus Auſtechiam pro*

uinciam maritimam & municipium Romanouo, clarum gentilicia religione, euertit. Ibi enim sedes primaria fuit religionis idolatricæ, & gentium summi Pontifices isthic habitabãt. Hos Kriuei kriueito vocabant. Quod facinus pro scelere nefando ducebant eius sectæ homines. Ideo Lituani, Samogitæ, & alij eius farinæ multa certamina, vt pro aris & focis, terra & mari eis mouerant.

Nouedomani audax facinus.

Memorabile sane & audax facinus commemoratur hîc Lituani cuiusdam militis, cui nomen Nouedomano fuit, qui, vt classem Crucife rorum in flumine Nemen ad nocendum paratam faciliùs delere posset, mulieris miserabilis habitu se ornauit, sedensq; ad fluminis ripam supplices manus nauigantes versus in cœlum attollebat, dolenter lamentando, operamq; implorando, applicarent ad ripam, misererentur afflictæ, vellent eam à popularium suorum vi & tyrannide liberare. Hæc lingua Polonica, cuius peritus erat, cum singultu & lachrymis identidem implorans opem, clamore reiterabat. Illi miserati, applicant classem ad ripam, recepturi eam. Interim ille, rudente manu forti correpto, nauem primam, & cum hac totam classem ei adnexam retinet. Ibi exclamantis signo audito ij, qui in proxima sylua insederant, adiutum accurrunt. ita atroci certamine orto, circumuenti hostes ad vnum contrucidantur. Circa eadem tẽpora Osilia insula à Lituanis oppugnata multos mortales perdidit. Cõsimile et illud memoriæ mandatum est de illa instructissima inusitatæ amplitudinis triremi, quam eodem in flumine Mariani extruxerant. diciturq; per ambitum transtrorum pinnacula habuisse: Ex hac, obseruata occasione, ad hanc aut ad illam ripam, prout videbatur, applicantes, ad prædas agendas prosiliebant. & si quis in eos irruebat, iterum naui à litore reducta, ad alteram partem se transferebant, aut in medio gurgite, iaculantes in hostem, sistebant nauem. Ex hac cum sæpe Lituaniam infestarent, Lituani diu, quonam eam modo arcerent, deliberabant. Nam, etiamsi sexaginta scaphas milite instructas obijciebant ei, nihil proficiebant, donec rudentem arte quadam nacti cum anchora abscinderent. Ita illa machina fluctib. abrepta & demum rectore destituta primò per alueum fluminis fluctuans, tandem in ipsum salum delata depressa mergitur, & cum milite in abyssum Acherontapetit.

1288. Sub idem tempus arcem Carcus ad ostia Treideræ fluminis, quà se mari sociat, Vithenes expugnauit. vbi etiam Brunno Magister Liuoniæ cum 1500. armatis prostratus periit. Eodem anno Strasburgum seu Brodnicium Lituani inuaserunt, & sacra pariter ac prophana euerterunt, ac defœdarunt. Et quidam ex eis scelestus etiam in fontem sacrum aluum expurgauit. Sed Schak quidam strenuus miles ipsos assecutus, mores eos docuit honestiores, fusis, ac profligatis eorum copiis. Schakoues,

is. Schakones, Bazynij, Schorcij adhuc Patricij remanserunt ex veteribus familijs quæ in Prussiam concesserãt. Fuit Sachakus Venceslaus ex eadem puto stirpe, Cancellarius Ducalis Prussiæ, qui cõplures legationes cum laude obiit ad reges Poloniæ. Cum hoc ego aliquot annos exegi in academia & aula Ducis Prussiæ Alberti Senioris. Fuit Vithenes supra alios infestior Christiano nomini, multaq; petulantiùs egit aduersus Christianos. Nam & in Polonia tunc Cathedralem Ecclesiam Lucicienſem spoliauit, multis æditis exemplis contumelioſis in sacratum ordinem. Et anno 1311. magnis copiis Prussiam ingressus, omnes eius prouincias vsque ad Brassergam ferro & igne euertit. Cumq; infinitas cateruas captiuorum secum abduxisset, hierothecã, in qua mysteria sacra Romano ritu aseruantur, arripiens, corã nobilium virginum captiuarum comitatu manibus suis confregit, pedibusq; conspuendo concul cauit, addita exprobratione: Quid sibi vult Deus iste, qui nec vos nec se ipsum è manibus meis vindicare potest? Sexta tandẽ Maij in aurora ipsa, ab Henricho de Plock, legato vel succedaneo Magistri Prussiæ fusus fugatusq; fuit. Multi tunc mortales conciderunt, multi in deditionem accepti. quorum alios Cruciferi laqueo strangulatos suspenderunt, alios in flumina & stagna viuos præcipites dederunt. ita vt ex illo Vithenis numeroso exercitu pauciſsimi euaserint. Quin & ipse duobus tantùm comitatus caput vulneratus, ad suos euadens ægrè vitam seruauit. Huius victoriæ memoriale monasteriũ virginibus sacris ipse Plock Toruniæ muratũ excitauit. Tales multæ clades illatæ et acceptæ Vithenis temporibus enumerantur, quem Regem Lituaniæ Dorsburchius vocat.

Venceslaus Schak Cancellarius Ducalis Prussiæ.

1292. At Bohemus in sequenti anno, coacto exercitu, Poloniam intrat, & in Syradiensem ditionem primùm impetum facit. Habebat quidem Wladislaus exercitum; sed nunquam tamen ad iustam aliquam dimicationẽ veniebat. sed obequitans, hostem continuis incursionibus exercebat, è latebris q; subito prosiliens offerentes se excipiebat; ita vt ii nusquam postea è castris absq; forti equitum præsidio prodire auderent, & in castris excubias nocturnas duplicarent. Ita hostes fatigati, combusta tamen Syradia, ad sua dilabuntur.

1292. Annus hîc nobilitatus est morte Kunegundis Boleslai Pudici vxoris. quæ in Monasterio Sandecensi, plus duodecim annis post mortem mariti exactis, duram vitam ducens, extremum diem clausit. Hanc Paulus Cracouiensis. quem Improbum historici vocant, consecutus est; sed forsan ad sepulchri tantùm foueã, non etiam cœlestis patriæ ianuã. qui cum aliis studiis minimè dignis Episcopo, tum venationi sic fuit deditus, vt venatorẽ, quòd feram imprudens casib⁹ repulerat, venabulo trãsadegerit. Accepit autẽ successorem Procopium de gente

pium de gente Cufflonum,& Gryphinæ propinquum, quæ in Bohemiam abducta fuit. Circa hæc tempora etiam accidit, vt Luticus Pacoslai filius Henrichum Legnicienſem Ducem dominum ſuum balneantem dolo caperet. Erat hic Luticus ex intimis Henrici. ſed patrem eius Pacoſlaum gratia & fauore principis inſoleſcentem, Henrichus capite plecti iuſſerat; quòd is homicidii reus, crimen, fruſtra diſſuadentibus amicis, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici Henrichus dolorem, poſtea collatis in eum plurimis beneficiis. Sed malè curatum ipſi vulnus videbatur, cum ei refricaret cicatricem Cõradus Glogouienſiũ Dux, ſummus Henrici ob interuerſum Wratiſlauienſium principatũ, inimicus. Hic itaq;, cogitans eum in aliquod præſentiſsimum periculum præcipitare, Luticum ad facinus ſollicitat; efficitque vt apud eum plus valeat vetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Henrichum igitur in balneo corp⁹ curantẽ, ac nihil tale ſuſpicãtem Luticus ex balneo extrahit,& vili palliolo tectũ atque equo impoſitum, continuato nocte dieq; curſu, Sanduoithum, quod in ditione Conradi erat, aſportat. Inde vinctus Glogouiã perducitur,& in anguſto vaſe ferreo concluditur; in quo duo parua foramina erant, alterum quo cibum ſumeret, alterum quo aluum purgaret. In eo ſex menſes aſſeruatus dimittitur. ſed tamẽ vires recolligere non potuit. Verùm, tribus ex actis annis, paulatim contabuit. Ita vides, quòd ne vetuſtas quidem, quæ nobis ſimplicior fuiſſe videtur, à dolis & malignitate humano generi innata, libera fuit.

Vithenes ad Sochaczouiam

1293. Anno à Lituanis, duce Vithene, maiori Poloniæ & præſertim Lecycyenſibus clades illata & depopulatio ingens edita; ita vt ex abductis captiuis viginti capita in ſingulos hoſtiũ cederent. Commiſerat prœlium cum Vithene Cazimirus dux, frater Loctici, ad Sochacouiam vadato Bſura amne, magnamque ſtragem in Barbaris ediderat. tandem, cum in confertiſsimos hoſtes incidiſſet, interfectus victoriam hoſti conceſsit. Nam ducis caſu conſpecto, commilitones eius, victoriam proſequi non poterant. Eodem anno Cruciferi, obliti beneficii Mazouiorum, Viſnam arcem eorum expugnant. Exinde pro defenſorib⁹ hoſtes eis redditi, cauſabantur ſe id iure feciſſe, quòd dux Maſouiorum receptaculum Lituanis eorum hoſtibus præberet. Troideni enim ducis filiam in vxorem ſibi acceperat. Itaque indulgendo Lituanis, ſuis præſens exitium creauit. Sed iam ad Præmiſlum veniendum eſt.

Prætext⁹ cur in Patronos ſuos Mazouios Cruciferi ſæuierint.

PRAEMISLVS REX.

PRæmiſlus, Præmiſli prioris filius poſthumus, vir excelſo animo, nihil niſi magnum cogitans, cùm eſſet dux maioris Poloniæ, animos totius Poloniæ, ſua dexteritate in rebus agendis in

agendis in se conuertit, cogitareque secum cœpit de restituendo regno Poloniæ, quod iam ducentis & quindecim annis intermissum in obliuionem venire cœperat. Ad eam rem perficiendam præterid, quòd regio stemate natus, in maiore Polonia, hoc est, sede Lechi primaria, dominii sui fines latiùs protulerat, iuuabat eum quòd etiam ab Henricho Wratislauiensi testamento Cracouiensis & Sedomiriensis Princeps nominatus fuerat. Igitur his opibus & titulis fretus, cuncta sibi prona instituto perficiendo, & minimè impossibilia factu putabat. Igitur indictis Gnesnam vetustam totius Poloniæ sedem Comitiis, anno Christi 1295. rex creatur, & à Iacobo Svvinka Archiepiscopo Gnesnensi tricesimum octauum annum agens inungitur adstantibus Ioanne Gerbisco Posnanensi, Ioanne Ronca Wratislauiensi, Goslao Plocensi & Conrado Lubesensi. Vislaus verò Wladislauiensis Antistes, & Culmensis habebant legitimas causas absentiæ suæ. De Procopio narratur, quòd æger & propinquus morti erat. sed Culmensis laborabat inuidia, quòd iam Cruciferis Rigensique Episcopo addictus esset. De Wladislauiensi ignoratur, quid eum detinuerit. Sed forsan his omnibus consilium Præmisli durum videbatur, cum singuli sua studia aliis Principib⁹ obstrinxissent. Ideo post principia stare & euentum rei domi malebant expectare, iuxta illud: Minùs gaudebis & minùs dolebis. Suscepto regno Præmislus mox cogitationes suas intẽdere cœpit, vt Poloniam vniuersam pacatam redderet, & in concordiam pristinam vnumque corpus omnes Palatinatus, qui tunc pro Ducatibus erant, redigeret. Ac primùm ob præsumptum à se regnum cæterorum Ducum animos blandis ac modestis legationibus demulcere cœpit, & ad sopienda odia, sedandaque dissidia cohortari cæteros non desiit. Et quoniam Cruciferos de occupando Gedano consultare cœpisse, vtque illud fructuosius, quàm cum in manib⁹ Polonorum esset, redderent, cogitasse subolfecerat, idcirco Gedanum munire cœpit, propter euitandas Crucifero-rum machinationes, & (quod multò periculosius prudẽter prȩuidebat) ne videlicet mundo iam ad deteriora prolabente, classes aliquarum gentium, portum illum secundo vento inuectæ, de occupanda Pomerania, & Pomeraniæ adiacentibus prouinciis, consilium nefarium inirent. Interim, quum animus eius magna meditatur, mors inopinata eum septimo aut octauo regni suscepti mense perimit, Marchione Brandeburgensi operam ad eam rem suam, vt creditum est, conferente. Habuit is de Satecensi territorio, quod Polonis pridem surripuerat cum eo controuersiam. sed forsan magis metuebat potentiam principis nouis accessionibus auctam & cumulatam. Itaq;, obseruata occasione, quum Liberalium, vt fertur, seu ipso Bacchanalium die genio indulgeret, eum securum nilq; tale opinantem opprimit.

Deliberationis initium de restituenda regni Poloniæ monarchia.

1295. *Comitia generalia.*

tem opprimit. Strenuè quidem ille, vt decuit fortem virum, hostes re primebat. Sed cum vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, ad extremum succubuit.

Quo tempore, & per quam occasionem Præmislus trucidatus fuit ex D. Cromero.

Otho Longus elector Marchio, cum Othone altero, & Iohanne Conradi fratris filiis ex Constantia Præmisli sorore susceptis, & valida suorum manu, nocturno itinere per syluas & auia profecti, diluculo eius diei, quo Christiani anniuersario cinere capitibus aspergendo præteritorum flagitiorum abdicationem, & vitæ mutationem profitentur, armatis locum circumdant, rati omnibus, qui circum regem erant, longa vigilia & crapula pridiana sopitis, nihil sibi negotii fore in peragendo scelere. Expergefactus tamen tumultu Præmislus subita & inopinata re primò cõsternatus, cum paucis, qui euigilarant, in hostes ad se venientes, nesciens, qui nam, quàmq; multi essent insiluit, & multis strenui fortisque viri operibus in eos editis, cum vnus omnium telis cominus eminusque peteretur, obrutus cecidit. Volebant hunc Saxones equo impositum secum abducere. Sed cum agitationem nullam ferre posset, pugionibus immaniter confossum reliquere.

WLADISLAVS LOCTICVS Rex designatur.

COmitia Posnaniæ ad Kalendas Maii, qui dies diui Alberti memoriæ apud Polonos dicatus est. vbi de nouo rege creando proceres cum nobilitate conueniunt. Ibi eligitur Locticus propter multas causas. Præcipuè verò, quòd peritiam rei militaris multò vsu sibi comparasset, & non parum roboris habere videretur. Omnes eum pro rege se agnituros iurant, arciũq; & munitionum omniũ possessio ei traditur. Distulit tamen is, incertum qua de causa, coronationem inunctionemq; nec Regis nomen, sed Hæredis regni Polonici vsurpauit. Interea profectus, Pomeraniam in ordinem redegit, Voislaum quendam ei præficiens. Sylleſiam autem lõgè latèque depopulatus est. Cuius prouinciæ vrbs primaria Wratislauia aut tunc, aut paulò ante obsidione ita fuit pressa, vt conditiones accipere cogeretur, & mœniorum vrbis altitudinem ad quatuor cubitos demoliri. Sub idem tempus Boleslaus Dux exactiones ante eum diem in

um diem in Polonia inauditas inuexit. vt nobilitas ex censu pro magnitudine possessionum & reddituum descripto militaret; cum viritim antea id facere solerent. Proditum est tunc memoriæ de Conrado Gibboso Sinauiensi duce, qui præpositus Wratislauiensis fuit; quòd, cum ad Archiepiscopatũ Salisburgẽsem vocatus esset, & in itinere apud Viennam accepisset, cereuisiæ vsum illa in regione non esse (laudabili enim olim cereuisiæ Suidniciensi assueuerat) repudiato Archiepiscopatu domum reuersus sit. Vituperatur hac de causa & stoliditatis reuincitur, quòd ei in mentem non venerit, artifices cereuisiarios eò deducere, si tantopere cereuisiæ desiderio tenebatur. Meritò igitur reuertens à fratre compedibus coërcitus est. Sed & Wladislaus Locticus rex nouus amplitudine honorum, vt sæpe fit, mox depraua tus, libidinibus indulsit, & latrocinia militum non coërcuit. Qua de re admonitus ab Episcopo Posnanensi cum non resipuisset, excommunicatur, & omnibus sacris interdicitur. Et quamuis satisfeciisset Episcopo, tamen homines odium semel in eum conceptum concoquere non poterant. Proinde post tertium annum regnum ipsi abrogatur. & Venceslaus Bohemus, aliis multis indigenis Ducibus præteritis, creatur. quòd nemo potentior iam hosti obiici Wladislao potuerit; qui munitiones quasdam in terra Cracouiensi ad eam diem retinuerat. Euenerunt hæc anno 1300.

Iuxta quantitatem redditu um sub Loctico ordo militat equestris.

Decima expeditio.

Pro expeditione decima oppugnationes, propugnationesq; arcium, vrbium, insularum computari possunt. Nam si respicias Occidentem, & Septemtrionem, nulla ferè arx est, quæ non sit oppugnata ab hoc ordine Crucifero: Vsque arx in finibus Pomeraniæ adeò acriter fuit oppugnata, vt cum omnibus orientalibus vrbibus, quæ obsidionem à Saracenis sustinuisse dicuntur, conferri possit. Quia enim repentina inuasione inexpugnabilis videbatur, tria castella per circuitum in propinquo eius excitata sunt, vt ita lenta obsidione & continuis vexationibus ad deditionem cõpelli posset. Vineæ etiã, turresq; ambulatoriæ sunt paratæ ac constructæ. Sic quoque Santocum infœlix sæpius repetitis vicibus oppugnatum, sæpe inuictum, sæpe etiam concussum fuit, ad extremum expugnatum est. Viq; semel omnis præcideretur pro eo digladiandi occasio, funditus dirutum, euersumq; fuit. Sic Dremum, sic Valcium, sic Sluchouum. Quid referam Dodecapoleos seu Marchiæ nouæ vastationes? Dersauiæ item, Choinicij, Magdeburgi in Prussia, & aliarum infinitarum vrbium, ad extremum ipsius Gedanni? De qua vrbe D. Cromerus sic: Nec in vlla cuiusquam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse prædicatur ab vllis Barbaris, quàm tunc à religi

osis illis, & Polonorum beneficiarijs. Quid oppugnatio Suiociæ arcis? vbi duo patibula è regione arcis excitata erant. Ipse verò Ziffridus Commendator, vt lictor sanguine madens, quotidie compluribus funibus, atque restibus equi ephippio impositis, seipsum deuouebat non priùs sumpturum cibum, quàm omnes illos funes, atque restes in suspendendis captiuis insumpsisset. Transeo ad fines Lituaniæ. Illa execranda Velona sæpissime oppugnata, tribus etiam castellis, vt de Vscie arce supra retulimus, excitatis coangustata, quot absumsit mortales? Vbi & ipse Mag. Dux Gediminus, dum periculoso exemplo ipsemet & ducis, & militis officium in procurandis machinis obit, ictus globo sub muris arcis concidit. Sic Kowna, sic Gartena, ipsa denique Vilna caput gentis. Sed harum calamitatum descriptiones breuitatis causa abrumpam. Hæc ergo excidia & discrimina tam Lituanica, quàm Polonica, aliud nihil inuexit, nisi illud infœlix consilium de mittendis huc Roma & transferendis Cruciferis.

VENCESLAVS REX.

VEnceslaus accitus, Gnesnæ coronatus, Rixæ Præmisli regis filiam in vxorem ducit, vt sibi eò firmiùs stabiliat regnum. Omnia, quæ in ditione Wladislai erant, in potestatem suam redigit. Interim Rusi nacti occasionem, Sedomirien. tractum longè & latè vastant, arce Corcinensi, quæ lignea etiam tum erat, in censa: priùs ferè, quàm, omnibus peractis, ad regem de excursione eorum nuncius perferretur. Sed tamen Venceslaus malebat Wladislaum persequi, quàm Russos. Wladislaus tunc in eam miseriam deuenerat, vt nusquam pedem figere, nemini se credere, omnes suspectos habere, cogeretur: veritus, ne quo modo in cassides venantium incideret. Itaque in syluis latitare, & locum subinde etiam, quem vesperi ceperat, media nocte mutare cogebatur. Tentare quidem animos procerum non desiit. Sed, cum omnes pauere, consensum ordinum metuere, decretumque Comitiorum aspernari nolle animaduertit, in Hungariam profugit; & ex Hungaria Romam priuato habitu profectus, facinora sua duriore pœnitentia expiauit. Interim Venceslaus Bohemia rediit, Bohemis suis re vniuersa in Polonia cõmendata. Obtulerat tum filium suum duodecim annorum Hungaris in regem. Nam multis displicebat exemplum, regem à Pontifice accipiendi. Ideo non omnes Hungari, Caroli Galli Neapolitani regis filium Marcellum, ab eo Roma missum, pro rege agnoscebant. Interim Poloni Russos cum Tartaris, & Lituanis profligarunt, magnamque stragem in eis ediderunt; arcemq; Lublinensem, quæ septem & quinquaginta annos in Russorum potestate fuerat, recuperarunt. Sedecia

Loctici calamitates.

Causa cur Hungari Carolum Marcellũ Gallum pro Rege nolebant agnoscere.

à Venceslao

à Venceslao rege condita; Biecz possessio Episcopo Cracouiensi adempta; parœciæ tantùm conferendæ potestas penes Episcopum relicta. Non vidit postea Venceslaus Poloniam, eò quòd occupatus fuit bello Hungarico. Obtrudebat is filium, vt dictum est, Hungaris in regem, sed non adiuuit fortuna conatum eius. Ideo, repudiato regno, ex Hungaria filium reduxit, & tandem Pragæ veneno appetitus lenta morte absumtus est. Eius morte cognita, Wladislai res in Polonia meliore loco esse cœperunt. Nam & Bohemos Cracouia depulit Wladislaus, Alberto Aduocato autore, & aliorum voluntates postea facilè sibi adiunxit. Fecit quidem anno sequenti Venceslaus Iunior expeditionem in Poloniam, vt patri succederet. Sed, antequam Poloniæ fines attingeret, Olomucii meridiano tempore in cubiculo quiescens, interfectus est. A suis ne, an ab alienis subornatis ab Alberto Cæsare, ne tum quidem in recenti scelere certò sciri potuit. Ex eo tempore Bohemi exteros reges habere cœperunt.

WLADISLAVS LOCTICVS.

Iterum Anno 1305.

COmitia Cracouiæ noui regis gratia habentur, in quib⁹ Wladislaus magno omnium consensu Rex creatur, exceptis Posnanien. & Calisien. Hi enim verebantur, ne grauiùs in eos animaduerteret, quòd eum prius eiecissent. Maluerunt igitur se subdere Henricho Glogouiensi, qui ex sorore Præmisli natus erat. Qua de causa Wladislaus Henricho bellum statim intulit. Verùm, illo nusquam in aciem prodeunte, motus illi conquieuere. Coronatio tamen Wladislai minimè tum perfici potuit; quòd diadema, ac reliqua regni insignia Gnesnæ de more asseruarentur. Et Archiepiscopus, sine quo non fit coronatio, in ditione Henrici erat. Hæc de potestate Archiepiscopi in coronando rege totidem verbis ex D. Cromero sunt desumpta; ne quid meis verbis detractum ordini cuipiam quis esse putet. Quamquam tunc vacasse sedem Metropolitanam Gnesnensem idem autor testatur. Pomerania etiam in ordinem redigitur à rege Wladislao. Gedano præficitur Iudex Pomeraniæ. Sicque, iureiurando à Pomeranis accepto, quòd in potestate ipsius semper futuri essent, putabat se clausisse templum Iani, & pacem semper duraturam sanxisse: sed mox ad ingenium rediere. Autor nouorum motuum fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, qui quantò plus possidebat, tantò maiore cupiditate & ambitione æstuabat. Et, cum repulsam passus esset à Wladislao in quibusdam postulatis, consilium nefarium cœpit prodendæ patriæ Marchionibus; qui ingressi cum exercitu facilè omnes munitiones regionis capiunt, adiuuante Petro. Gedanum cum castra admouissent, portæ ei oppidi à Germanis aperiun-

tur: cum magna iam ex parte Teutones ibi essent. Arx à Boguſſo Iudice, & Nemira honestissimo equite defendebatur, donec Wladislaus subsidia auxiliaria eis submitteret. quod quia citò perfici non poterat, & indies incommodis obsidionis vrgebantur, Cruciferos interea adiutum sibi Poloni, annuente rege, euocant. Hi enim amicissimos se Polonis, vt iure optimo esse debuerant, præseferebant. Statuuntur conditiones, vt dimidiam arcem ipsi tenerent, & annum vnum suis sumptibus arcem à saxonibus defenderent. Deinceps verò post exactum annum, quæcunque impendia facerent, eis præstarentur; nec prius arce decederent, quàm exoluta illa sibi essent. Omnia hæc semina erant futurorum bellorum Crucifericorum, quæ Poloniam exercuerunt, fatis sic ordinantibus. Repressi quidem sunt hostes, & vindicata à Saxonibus mœnia. Sed cum superiores iam se Pomeranis Cruciferi esse animaduerterent, ferociùs se gerere, & sæpe cum illis iurgari, atque rixari, ad extremum totam arcem sibi vendicarunt. Primores Pomeranorum, ipsumque præfectum arcis Boguſſum in carcerem coniecerunt. Boguſſus tempori seruiendum sibi ratus, totam arcem ipsis concesit, quam ad primam postulationem promittebant se reddituros, vbi pro impensis eis satisfactum esset. Facilè quidem de exitu rei diuinabant nostri. Sed quid facerent, cum extrema quæq; illi minarentur? Itaque cuncti arce excesserunt. Hæc vbi audisset Wladislaus, cœpit eum pœnitere consilii. Videbat enim lupis se ouem commisisse: non sublatum, sed duplicatum sibi bellum, duosque se pro vno hoste sibi conciliasse. Accedebat ad eas calamitates, quòd arx Cracouiensis, quæ tum lignea erat, non ita pridem vnà cum templo primario conflagrarat; cum ab ea parte vrbis, quæ circum ædem omnium sanctorum est, ex fortuito ibi enato incendio carbo ardens vento delatus, in tecto Basilicæ plumbeo inhæsisset. Et hæc est causa, cur superiorum principum sepulchra in arcis templo non apparent; sed tantum posteriorum regum, qui post hoc incendium vixerunt. Sed Basilica, dirutis eius veteribus muris, in eam, quam nunc obtinet, formam & amplitudinem post quartum decimum annum reædificata est ab Hankero Episcopo Sylleſio, nobili gente, Oxio. Sed ad Cruciferos redeamus; quorum Magister Henrichus, & rex Wladislaꝰ conueniunt in Graiouice pago, in tractu Cuiauiensi: definituri de arce Gedani, quam hypothecæ nomine tenere se prætendebant Cruciferi. Paratos autem interim se reddere eam declarabant, si impendia persoluerentur. Æquum eum postulare Rex ait, & expensarum omnium summam iubet iam proferre. Ibi ille conceptum animo dolum detegit, ac centies mille marcas latorum grossorum poscit. Genus est hoc numismatis, quod vnà cum Wenceslao Bohemo rege in Poloniam non ita pridem inuectum fuerat, & quar-

rat, & quarta parte noſtratem groſſum excedit. Ferunt enim, ante hunc Wenceſlaum ſignato auro aut argento Polonos in emendis rebus minimè vſos fuiſſe, ſed tantùm permutationem rerum vſurpaſſe. De inopia autem & nummo Polonico ex pellibus aſpergillorum, ne ſcio quid Poëta Ianicius, & alii tradiderunt. quibus ego conquerentibus de tanta inopia veterum non poſſum aſſentiri. Quæ res ſupra iam demonſtrata eſt, & adhuc demonſtrabitur. Negat igitur Wladiſlaus, iuſtam eam eſſe æſtimationem, bonorumque virorum arbitrio in eo ſe ſtare velle ait. At magiſter id recuſat: ſubſecuta ſunt deinde alia mala: Lituani enim Caliſienſem & Syradienſem tractum vaſtant. *Moneta.*

1310. Cruciferi cum Marchionibus fœdus ineunt. Pomerania Polonica bello petitur à Cruciferis. Gedanenſes nundinæ in prædam cedunt vrbem inuadentibus & populantibus. Nec in vlla cuiuſpiam munitionis expugnatione plus ſanguinis effuſum eſſe prædicatur à Barbaris, quàm tunc à religioſis illis, & quidem beneficiariis gentis noſtræ. Gedano potiti Derſczauiam, quod Tſchouum à noſtris vocatur, petunt, eamque perfidiosè iuris ſui faciunt; Cazimiro regis filio non ſine cõtumelia excluſo. Choinicium; deinde Svvece arcem adoriuntur, & capiunt. Vbi Siffridi commendatoris (præfectos arcium ſic vocant) præ aliis pluſquam barbarica hoſtilitas apparuit. qui quotidie compluribus funibus atque reſtibus in equum impoſitis, ſeipſum deuouebat non priùs ſumpturum cibum, quàm omnes funes illos atque reſtes in ſuſpendendis Polonis inſumpſiſſet. Atqui huius nefariæ impietatis breui pœnas dedit. Quadam enim die, cum ad focum ſtaret, furiis de repentè exagitatus, in ignem ſe coniecit. Ita diuino iudicio, qui permultos iniuſtè perdiderat, iuſtè periit. Paululum tandem Cruciferi prouecti, tota Pomerania potiuntur. Ne autem id abſque prætextu iuris iuſtitiæque titulo feciſſe videantur, rem totam tali fuco tegunt: Pomeraniam emunt à Marchionibus Brandeburgenſibus decies mille marcis latorum groſſorum, eamq; emptionem ab Henricho Cęſare ſibi, & ordini ſuo confirmari curant. Tali fuco probatos ſe fortaſſe coram Dei iudicio, & apud bonos viros fore putarunt. Nec diſsimili ſcelere Liuonienſes Cruciferi eodem tempore Rigam vrbem atque territorium Epiſcopo, à quo ante centum & quatuor aut quinque annos ſimili de cauſa in Liuoniam inducti erant, per ſummam iniuriam eripuere. Qua de re cum Romæ conteſtata lis plus octoginta annis ducta eſſet, tãdem Bonifacius nonus Rigam ordini Cruciferorum, quindecim millibus aureorum acceptis, addixit. Per idem ferè tempus Templariorum ordo potens & ipſe ac locuples, per vniuerſum orbem Chriſtianum, quaſi dato ex Viennenſi concilio à Pontifice ſigno, deletus eſt, ob nefanda quædam ſcelera, & prauas de religione opiniones; bona

Cruciferorum pluſquam barbarica crudelitas.

Siffridi commendatoris barbarica atrocitas.

Bonifacio venalis iuſtitia.

Sic & Polonis cum Pruſſis accidit.

Templarij.

que eorum

que eorum Rhodiensibus D. Ioannis militibus attributa. Dogmata Templariorum, quæ antea Valdensium fuerant, expressa sunt in Concilio Lateranensi sub Alexandro tertio Papa, parte prima. Sed nos ad nostra reuertamur. Quòd autem Wladislaus non statim præbuerit se vindicem iniuriarum, quas à Cruciferis Prussiensibus ditiones eius patiebantur, motus Cracouiensium in causa fuerunt. Nam eius vrbis ciues qui non ita pridem Henrichum Wratislauiensium Ducem opera laniorum in eam introduxerant, Poloniæque pro Principe obtruserant, Boleslaum Opolienſem eodem exemplo ad eosdem honores euehere moliebantur; Alberto Aduocato, & Muscata Episcopo eis consilium præbentibus. Sed in vtrosque animaduertit Wladislaus: Episcopum enim captum ab eo referunt, & in custodiã traditum. Aduocato autem redditus peramplos è molis, macellis, atq; tabernis ademit. Reliqui ciues, qui defectionis capita erant, vnà cum Aduocato Boleslaum in Sylleſiam secuti sunt, ibique exularunt. Iam enim antea Ducem hunc Opolienſem acciuerant, promittentes eis arcis facillimam deditionem, illis ipsis quos cõmemorauimus, adiutoribus. Sed cum spe exciderent, propugnatoribus in fide Wladislai permanentibus, domum Aduocati in ipsis mœnibus propè portam, quæ à diuo Nicolao nomen habet, eminentem, pro arce Boleslaus occupauit. Sed cum imminere iam Wladislaum cum exercitu audisset, præmonitus à Rege, non sine quadam expostulatione seueriore, paruit monitis, deductoque præsidio domo Aduocati, vrbe excesit. Eius defectionis suspicio serpserat etiam ad prępositum Miechouiensem. Ideo huic quoque irrogata pœna est, adempto ei pago Lentkouicc satis luculento, quem Albertus Aduocat⁹ præpositi frater tum possidebat. Acciderunt hæc circa annum domini 1313. Per id tempus Henrichus Imperator vi veneni in Eucharistia dati extinctus fuit. Fames autem in his regionibus talis & tanta extitit, vt nullo quantumuis fœdo edulii genere, ac ne cadaueribus quidem humanis, Dlugosso referente, vulgò abstineretur. ita vt etiam parentes in filios sæuirent. Quam famem pestis, & pestem Cruciferica bella secuta sunt. Hæ igitur calamitates Wladislaum retrahebant, ne tam citò, vt sperabant alii, exerta cum gladio manu in Cruciferos animaduerteret. Interea Cruciferi veterib. nouas iniurias adiecerunt, clero etiam non parcentes, cum tamen & ipsi in clero numerari vellent, vsurpatis sibi decimis, & suppressis sacerdotiis, eorumq; prouentibus in priuatos vsus conuersis. Magna postea contentione & strepitu iuris in Consistorio Romano de iis rebus à Polonis, & Cruciferis litigatum est; & præsertim coram Ioanne Pontifice eius nominis 22. Quo etiam Oratores à Rege, adeoq; vniuerso clero missi sunt, vt Cruciferis omnes eorum nefarias impietates exprobrarent, deq; omnibus regis & regni iniuriis

Conspiratio contra Wladislaum Episcopi, Aduocati, & Præpositi Miechouiensis & ciuium Craco.

1313.

gni iniuriis tam ecclesiasticis, quàm secularib⁹ eis litem intenderēt; simulq; autem vt Wladislao diadema & nomen regium impetrarent. Existimabant enim inauspicatò id sibi Præmissum sumpsisse, Pontifice inconsulto. Meminerant enim honorem hunc Polonis interdictum fuisse statim post cędem diui Stanislai. Cruciferi autem vbi hoc subolfecerunt, mittunt & ipsi Oratores cum plenaria potestate, hoc est, saccis auro argentoq; plenis, vt, quàm maximè possent, conatus Wladislai irritos redderent. Ad quas res perficiendas cum opus haberent grandi pecunia, Pomeraniæ toti binos grossos imperarunt in singulas marcas, quas quisque in bonis haberet. Ad hæc eiectas naufragio merces lege Rhodia vsurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, vt toto fere quadriennio nihil aliud impetraret Gerardus Poloniæ legatus à Pontifice, quàm vt cognitio causæ in ipsa Polonia Archiepiscopo Gnesnensi, Posnanienſi Episcopo, & Abbati Mogilensi delegaretur. Quod verò ad regnum attinet, Pontifex, vt Poloni iure suo pristino vterentur, permisit. Nam apertè Wladislao regnum decernere noluit, ne Iohannem Bohemiæ regem, & socerum eius Philippum regem Franciæ offenderet. secretò tamen voluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Cum igitur Pontificis mentem & voluntatem Wladislaus perspectam haberet, comitiis indictis Cracouiæ ad vicesimam diem mensis Ianuarii, vnà cum vxore Heduigi in Basilica Cracouiensi coronatur, anno Christi 1320. Atque ex eo tempore ius coronandi regis atque ipsa regni insignia Gnesna Cracouiam translata sunt. Nec multò pòst Elizabetham filiam Carolo Hungarorum regi bis viduo in matrimonium collocat. Interim de legatorum à Pontifice iudicium Cruciferi detrectant, appellationē que interponunt: sed reiecta appellatione damnati sunt. Itaq; Pomeraniam regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaque triginta millia in litem expensa numerare iussi sunt. Cum autem non parerent rei iudicatæ, anathemate icti sunt, ita vt nusquam, iis præsentibus, sacra fieri liceret. Dum hæc ita geruntur, Lituani Mazouiam depopulantur, & Duces Sylleſiæ parricidialibus bellis labefactati, prædæ Iohannis Bohemiæ sese exposuerunt. De cuius astutia & inexplebili auaritia dicerem nunc, nisi prius id feciſſem, idque non meis verbis, ne quis rem esse fictam putet, sed præcipui nostra ætate Chronicorum Germaniæ scriptoris, qui Carion dicitur. Inuenies hæc superiùs folio. Ad interuertendum ducatum Sylleſię partim vi, partim astutia prębuerunt occasionem fratrum germanorum, Wladislai, & Henrici dissensiones atque improbitas. Wladislaus latrocinia exercebat, diuexans Bohemiam & Sylleſiam. Comprehensus à rusticis ab Henricho fratre qui Dux Wratislauiensium erat, in carcerem coniicitur. Ita, vna labe aliam trahente,

Coronationis ius recuperatum ex Pontificis consensu.

Sylleſia adempta quibus occasionibus.

liam trahẽte, ambo eò sunt perducti, vt regi Bohemo se subderẽt, suaq; illi venderent. Ad extremum autem Wladislaus qui Glogouiensium Dux dicebatur, veneno sublatus est, ne amplius hominibus iniurias, stirpi verò suæ ignominiam inferret. Augebat inter fratres hæc disidia Rex Iohannes & fouebat, committens eos inter se, vt sibi hoc modo obnoxios magis redderet. Henrichus tamen parentem suam Poloniam venerabatur, Wladislaique Poloniæ regis fidei se, ac suum dominatum omnem tradebat, sed Wladislaus vir bonus, vbi hostem eius propulsauit Henrichum sua sibi habere iussit, vt sorores nubiles inde nuptum posset locare. Id vbi cognouit Iohannes rex, qui iam de Wratislauia propemodum desperarat, noua spe erectus, dolum adhibet. Henrichum per speciem arduorum & arcanorum negotiorum accitum blandiciis, liberalitate, precio, ingentibus promissis, & odio denique inimici fratris induxit, vt Wratislauiensi dominatu cederet. Ita adiutoribus vsus proceribus, & maximè ciuibus Wratislauiensib⁹ pecunia corruptis, effecit vt ipsi ius sium venderet Henrich⁹, & quod efflagitabat adipisceretur. Wratislauia igitur potitus est Iohannes, & non longè post Goltbergense & Haniouiense territorium, quod Wratislauiensis Senatus hypothecæ nomine à Boleslao possidebat, per iniuriam ei ademit. Expostulauit cum eo de erepta sibi Wratislauia Boleslaus, iusiurandumq; & fœdera commemorauit, atque obiecit; quodque difficillimo tempore se eiectum à Bohemis omni ope destituisset, exprobrauit. Sed ea expostulatione hoc tantùm profecit, vt Iohannes responderet ei: Propinquiorem se sibi esse, quàm cuiquam alteri. Simili ratione & Legnicium occupauit. Sed quid dico simili? cum illa precibus potissimùm, hoc verò minis additis extorserit. Quare metu Boleslaus perculsus imperata fecit, & eò redactus est inopiæ, vt filios quoque ad extremum Wratislauiensibus mercatoribus oppignoraret. Posthæc reliqui Duces, nempe Glogouiensis Zegauiensis, Olesnicicnsis, Stinauiensis, & Falkembergensis vltrò in ditionem Bohemi regis deuenere, & partim timore potentiæ Iohannis, partim inuidia Wladislai regis, libertatem suam Bohemis prodidere. Militium ad extremum Episcopi Wratislauiensis arcem idem rex Iohannes per vim iuris sui fecit. Quamobrem diris à Nankero Episcopo & anathemate deuotus fuit, & ipse cum omnibus præsbyteris & Monachis Wratislauia excessit; nec tamen arcem recuperauit. Solus Suidnicensis Dux, & post eum filius eius vnicus in fide Boleslai & societate Polonorum permansit. Retinet etiamnum pleraque omnis Sylleſia vestigium vetustæ orginis suæ à Polonis deductæ, pensionem, quam S. Petri nummum vocant. Quæ quidem per illa ipsa Sylleſicæ defectionis tempora eò redacta est, vt nummus tantùm æreus, quem obolum vocam⁹, in capita

Iohannis regis Bohemorum perfidia & auaritia.

in capita quotannis penderetur;cum antea tres oboli, & cribrum aueneę in singulas familias pendi solerent.Sed iam ad Wladislaum à Sylesiis redeamus,quem maximè sollicitum reddebat erepta à Cruciferis Pomerania,quibus cum & Bohemi iam sentire incipiebant,vtpotè quòd vtrique rapto viuere ex Polonis assueuerant. Accedebant & cò Lituani, quos domare difficile erat, cum secum pugnandi copiam non facerent, sed, rapta præda, fugerent; & domi obiectu syluarum, & paludum latebris,ac denique incultarum solitudinum interiectu tuti essent. Fluctuante igitur Wladislao rege, nec satis explicante,quænam via sibi ad euadendum ex iis difficultatib.potissimùm ineunda esset, tandem hanc sententiam frequens senatus comprobauit. Cum Gedimino Duce magno Lituanorum (hunc titulum à Russis cum principatu eorum ad se Lituani transtulerunt) sanciendam esse cum primis amicitiam ad quam rem vt sibi viam præstrueret, legatos mittit, qui fœdus cum eo feriant, & filiam ⸗ eius Cazimiro filio suo vxorem petant,& rogent,vt captiuos Polonos liberos dimittat. idque sibi loco dotis gratissimum futurum pollicerentur. Non grauatim Gediminus legatorum postulatis annuit, sponsamque cuestigiò cum eis mittit. Quæ ingentibus omnis conditionis, sexus, atque ætatis captiuorum cateruis comitata, veniens Cracouiam, religionem Christianam à Nankero Episcopo edocta, & sacro lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextum decimum annum agenti nupsit, anno Christi. 1325. His rebus ex animi sententia à Wladislao rege peractis,occasiones rei benè gerendę vndique sese ei postea offerebant.Nam ⸗ Mazouios cum exercitu,peruastata eorum regione,à societate Cruciferorum facilè auulsit, & in Marchiam progressus cum infesto exercitu,debiliorem ad res moliendas reddidit; cunctosque Cruciferos metu non mediocri perculsit. Lituani, qui regem iam sequebantur, maximè omnium ⸗, nondum exuta barbarie,in hostes desæuiebant. Vltus est tunc Wladislaus Premisli mortem de Marchionibus: reduxitque secum ⸗ 6000. captiuorum.

Facinus cuiusdam monachæ memorabile.

Commemoratur in ea expeditione præclarum monachæ cuiusdam facinus, quæ capta à Lituano quopiam, cum ad stuprum traheretur, rogauit eum,ne sibi vim faceret.mercedis autem loco promisit, se illum edocturam esse, quî corpus eius vulnerari nullo vnquam ferro posset. Quod cum ediscere ille percuperet, dixit illa,quid faciendum esset, idque in suo corpore primùm fecit;dein iugulum ei for-

tis puella præbuit, vt in ipsa eius rei periculum faceret. Credulus ille, stricto gladio, caput eius amputauit. Ita illa Barbari libidinem elusit, stuprumque honesta morte euasit.

Bellum cum Cruciferis.

Igitur Wladislaus tali rerum suarum fundamento iacto, non putauit sibi diutiùs differendum esse bellum cum Cruciferis; qui ne Pontificis quidem Maximi autoritate, vt ipsi Pomeraniam reddererent, commouebantur. quin etiam fastu turgidi subinde potentiam suam, vt insuperabilem, iactitabant. Itaque in sequentem annum expeditionem toti Poloniæ contra eos ad Chæczini oppidum indicit; à Carolo rege Hungariæ genero suo non contemnenda auxilia impetrat; à Rusis, à Lituanis similiter obtinet. Cum quibus omnibus fines hostium ingressus, omnia agit hostiliter, vt Crucesignatos elicere in aciem posset. Sed illi in munitionibus se diligenter abdiderant. Quia autem Poloni rudes esse videbantur in oppugnationibus munitionum, ab hoc genere pugnæ in initio aliquantisper abstinet. Cum autem Mazouiã nostri infestare cœpissent, prodeunt Cruciferi cum Mazouiis & Cuiauiam petunt, quo cum properè nostri accurrissent, collatis signis, funduntur hostes Mazouii quidem erubuere tum cognatos Polonos: Sed Cruciferi plusquàm pro sepulchro domini dimicantes fortiter ad internecionem vnà cum Commendatore Torunensi cæsi sunt. Hoc anno Nankerus Episcopus Cracouiensis, vt qui Sylesius esset, ad Wratislauienses transiit, & Iohannem Grotum Slupecium successorem habuit, hominem gratum Pontifici, eò quòd adolescens cum eo familiaritatem contraxerat.

Iohannes Grotus Slupecius.

Vndecima expeditio.

1329. *Rex Bohemorum Ioannes cum Magistro Prussiæ Samogitiam vastat, & depopulatur, vt iam in Polonica historia monstratum est. Kumererk Comes & Baro de Egerburg cum maximis copijs à Rheno vsque progressus, agmina maxima ducens in Prussiam venit. Adiunxerat se istis promiscua multitudo, ex qua cõtracta phalanx vocabatur vsitatè Peregrinorum exercitus. Sed isti modico operæprecio facto, in hyberna concesserunt. Tanta enim tum sæuitia hyemis fuit, vt arbores etiam iniurijs cœli & intensissimo gelu perstrictæ vix ad se post aliquot annos redierint. Subsequutæ sunt tandem vastationes terræ Dobrinensis, & oppugnatio arcis Gedimini à nomine Ducis appellatæ. Fuit Gediminus Dux Lituaniæ bellicosus, qui Cruciferis ita cœperat esse formidabilis, vt etiam Pontifex, ad mitigandum eum, legatos suos miserit. De hoc sparsa fuit fama à Cruciferis, quòd proposuisset in animo sacro baptismo initiari. Sed ille hoc resciens, misit oratores suos Rigam, per quos oratione perampla palàm in corona omnium expurgauit se ab eo rumore.*

eo rumore. Cuius orationis exordium tale fuit: Missæ sunt (inquit) quædam literæ à sacerdote Romano Papa, quibus dominus meus infamatur baptismi suscipiendi: Sed dominus meus iurauit per Deorum fortitudinem, se perseueraturum in religione patrum suorum, &c. Fuit autem Gediminus hic Magister stabuli apud Vithenem Mag. Ducem Lituaniæ, vir ambitiosus & excelsi animi, qui interfecto domino suo principatum inter suos arripuerat, et latè propagauerat, subacta magna parte Russiæ. Nam domitis Cruciferis, Wladimirum Ducem ad Wladimiriam vicit, promotis castris Luscum, Lucensium Ducem eadem felicitate submouit & profligauit. Stanislauum Kiouiensium Monarcham acerrimo prœlio ad profluentem Piernam, quatuor milliaribus ab ipsa vrbe, cum cæteris Ducibus superauit, Seueriamq; suo imperio subiecit. Non contentus ea victoria, etiam Tartaros aggreditur, eosq; vincit, superat, & vltra ostia Tanais pellit, ac submouet. Rediensq; post eas victorias ad suam regiam, de hostibus deuictis ac debellatis triumphauit, ciuibus vrbe effusis eum cum manuum applausu excipientibus. In his ferè omnibus nostri historici cum Lituanicis Annalistis conueniunt, eo excepto, quòd eum negant fraude adijsse possessionem Magni Ducatus Lituaniæ. Stabuli enim Magistrum fuisse pernegant, sed potiùs filium Vithenis legitimum asserunt. Nostri quidem historici, Dlugossus, Miechouius, & Cromerus in aula regum Poloniæ, Gedimini seu Gedeonis nepotum, vixerunt, eisq; ab intimis secretis fuerunt. Existimo, quòd non passi fuissent reges nostri eos in hoc errore versari, suumq; progenitorem indignè hac tanta macula ab ipsis aspergi. si, inquam, à rei veritate eos aberrasse vidissent. Adde quòd quidam ex nostris istis scriptoribus, quò viciniores illis temporibus fuerunt, eò certiora scire, & nobis tradere potuerunt. Magnum tamen est, fateor, id, quod opponitur, nempe consensus Latopisciorum seu Annalistarum. nisi fortè metu Gedeonis tantùm eius scelus occultarunt. Sed suum cuique hîc iudicium relinquo, malintne eos, qui veluti publica fide scripserunt, sequi, an illos, quos sui sæpius falsi accusant. Bellis his confectis Gediminus, & pacata Lituania, ad decorandam patriam sese conuertit, sedemq;, quæ primò Nouogrodia Kiernouiam translata fuerat, rursus amœnitate loci inuitatus, Kiernouia Trocos veteres transfert. Locorum situm non describo. nam in Chorographia nostra id cuiuis videre licet. Post aliquot annos, cum venatum procedens, delatus esset ad loca, vbi nunc est vrbs Vilna, vrumq; animal eximiæ magnitudinis propria manu venabulo, in monte, vbi nunc est arx, confeciset, res ipsi, & cæteris applaudentibus boni ominis est visa. Accessit eò somnium, eidem rei consentaneum. Vidit enim e-

odem in loco illa ipſa nocte per ſomnum lupum cataphractum, in quem alij centum lupi terribiles vlulatus edebant. Magno igitur conſenſu creditum eſt, non fuiſſe fortuitum ſomnium: ſed admoneri diuinitus, vrbem iſtîc præclaram ſtatuendam. quod & poſtea fecit, ſedemq; eò Trocis ex augurum ſententia tertium tranſtulit. Locus ille inter duo proxima flumina Viliam, & Vilnam, antea præter ſolitudines & prata amœna, nil habuit. Ibi verò corpora mortuorum Ducum, nota ceremonia, cremabantur, quæ lingua patria Suuintoroha, non longo interuallo à latino ſono & ſignificatione, quaſi Sanctus rogus dixeris, vocabatur. At poſtea vrbs ibi condita, atque vnà cum ea Reſpub. Lituanica paulatim ad eam celſitudinem, quam modò videmus, creuit. Rex Poloniæ Locticus audiens, quòd ſtabili pede fortuna faueret Gedimino, filiam eius locari in vxorem filio ſuo Cazimiro expetit, & facilè obtinet. Hocq; præludium quoddam fuit vnionis illius duarum iſtarum gentium, quæ poſtea facta eſt temporibus Iagellonis. Adducitur nupta Cracouiam, deducentibus eam mille viris, hirſutis pellibus vrſinis amictis, quo terribili ornatu non minùs tunc cunctorum inſe oculos conuerterunt ſpectatorum Lituani, quàm olim Imperator Otho Magnus, cum, ducens ingentem exercitum, ſub muris Pariſiorum in Gallia conſtitit, cunctis militibus eius à maximo ad minimum ſtramineos pileos capite gerentibus. Atqui vterque hic ornatus etiam à pauperrimis hoc delicato ſeculo riſu & cachinnis exciperetur. Locticus igitur et Gediminus poſt illam affinitatis coniunctionem feliciter adminiſtrarunt vterque ſuam Rempub. ſed diſpar vtriuſque fuit exitus. Nam Wladiſlaus morte naturali fatis conceſſit, Gediminus autem cum ipſemet ceu miles gregarius machinas mœnibus arcis Vielonæ admoueret, à milite Mariano globo bombardæ, tum primum in Germania inuentæ, necdum Lituano militi viſæ, traiectus fuit. Itaque extinctus Vilnam ab exercitu deportatur, et in prato buſtorum Suuintoroha, vitali ſeu fiduciali equo, vt vocat, impoſitus, cum nobili quodam armigero viuo, qui tunc ei dilectiſſimus fuit, ritu gentis recepto, duob. herodijs vel falconibus, duobus vertagis, & duobus pedibus vrſorum vngulatis adhibitis, armatus comburitur. Illi quidem corpus ipſum vnà cum flamma in cœlum deferri opinabantur. Chriſtiani verò corpus terreum terræ mandari, animam verò vtpotè, cœleſtem, cœlitum conſortio iungi credunt & confitentur.

1329. Inſequenti anno Iohannes rex Bohemorum euocatus à Cruciferis, cum grandi exercitu, vere ineunte, in Pruſsiam venit, Dobrinumque & Wladiſlauiam expugnat: Tandem Mazouiam pariter cum Cruciferis ingreſſus, eò adegit Ducem gentis, vt ſe ipſi Iohanni, quaſi iuſto Polonorum regi ſubiiceret. Tandem Cruciferi, ne iniuſtè

ne iniuſtè ac per vim Pomeraniam ſibi vſurpaſſe dicerentur, perfecerunt precibus,& precio apud Iohannem(aut excompoſito res ita agi videbatur)vt ſibi Pomeraniam iure ſempiterno donaret;Dobrinum autem quatuor millibus & octingentis ſexagenis (vt vocant) Pragenſibus venderet, venditionemque obſignatis literis teſtaretur. Omnia hæc perficiebantur artibus Ioannis, qui Sylleſiorum Duces Sylleſia priuare iamdudum ſtatuerat. His peractis, reduxit Ioannes exercitum, & ſtulta vanitate de ſubactis & ad religionem compulſis Barbaris triumphauit.

1330. Æſtate ſequenti matureſcentibus ſegetibus denuo Cruciferi iſti cum Liuonibus,fratres videlicet cum fratribus, egreſſi, Viſſogrodum, Naclum, Raciązum, & alia pleraq; ditionis ſuæ faciunt. Wladiſlauiam vbi acceſſerũt, acceperũt aduentare Regem cum magnis copiis,Hungarorum,Auſtriorum,atque Lituanorum.Itaque dilapſi,ad ſua defendenda redierunt. Poſtquam verò Wladiſlaus fines hoſtium attigit,populationes longè latèque exercere iuſsit. Nec vllum crudelitatis genus ab iratis omiſſum eſt. In tranſmittenda Deruancia flumine aliquantulum difficultatis fuit. Nam vada huius fluminis caudicibus ac ſudibus per longum ſpacium hoſtes impedierant. ſed rex citato equo retrò fluuium traiecit. Grauiorib. equis vtebantur hoſtes.itaque non potuerunt in tempore ad vadum noſtris occurrere. Aduentantium vim ii, qui primi de noſtris copias tranſmiſerant,fortiter ſuſtinuere;donec omnis exercitus traiecit, & ad ſuos ordines rediit. Hoſtes inopinata re perculſi, cedunt; nec noſtris pugnandi copiam faciunt. Sed ad petendas conditiones pacis delabuntur.vbi rex non difficilem ſe præbuit. Induciæ ad annum factæ, ea lege,vt Dobrinum arcem Cruciferi traderent.De Pomerania verò Carolus Hungariæ & Ioannes Bohemiæ reges arbitri delecti. At Carolum Regem tum aduerſus caſus perculit.de quo ſic accipe.

De Caroli Regis Hungariæ quodam caſu.

Felicianus quidam de Zaachorum familia, ſtricto gladio in cœnaculo Carolum Regem adortus.ſed fruſtratus ictum, dextram modò eius leui ictu perſtrinxit, Reginæ quatuor digitos dextræ manus amputauit: filios verò pædagogi accurrentes obiectu corporum ſuorum protexere. Mox parricida à Iohanne Patocio, nobili iuuene,proſtratus, concurſu ſatellitum membratim diſſectus eſt.De cauſa ſceleris variant autores.Nonnulli eum affectaſſe tyrannidem volunt; alii ſtuprum claræ ſorori ſuæ à Cazimiro Reginæ fratre, ipſa conſcia & conciliatrice, illatum vlciſci eum voluiſſe, memorant.

Cruciferi

Cruciferi ad ingenium redeunt.

1333.

Persarum consuetudo.

Vincentius Samotulius.

Cazimir⁹ vix euasit manus hostium.

Cruciferi præsenti metu liberati nihil de conditionibus impleuere. Itaque paulo post sequenti anno Comitia habentur & in Comitiis rex Wladislaus bellum decernit. In quibus etiam iturus ad bellum Rex more Persico Wladislaum filium viginti annos natum toti Poloniæ præficit; vt fama nominis eius non tam se facilè Saxones & Bohemi commouerent. Ad hæc vt regnum is retineret, si quid aduersi in Prussico bello accideret. Sed ob ademptionem præfecturæ Vincentius Samotulius plurimùm offensus, ad Cruciferos transfugiens, multa pericula creat regio exercitui: Cruciferique, ipso ductore, pleraque oppida in Polonia occupant. ita vt parum abfuerit, quin Cazimirus ipse Pisdris oppido caperetur. sed præmonitus, porta confestim se eiecit. Legniciensis arx demum capta, Gnesna, Znena, & alia pleraque intercepta, incensa, & vastata. Cum igitur Wladislaus angeretur, spectans patriæ incendia ad aliud cõsilium decurrit. Cognouerat id fieri Vincentii consiliis. itaque Vincentium sibi rursus reconciliandum satagit; nec sibi indecorum ducit, etiam subdito se, vbi res exposcit, demittere. Nam talis demissio confertur pugillatorum saltationi, qui, quò magis ad humum sese acclinando priùs demittunt, eò altiùs neruis adnixi, sursum feruntur postea saltu & attolluntur. Mittit igitur secretò ad Vincentium, vt eum ad sese pelliceret. Ille, vt est Polonorum nobilium natura minimè obstinata, Regi morem gerit. veniensque ad regem, veniam supplex petit; Communicatoque cum rege consilio, qui ei impunitatem promittebat, proditione proditionis maculam eluere & obliterare tentat, adhortaturque regem ad conferendam cum hoste manum. Docet, in tanta multitudine plurimam esse fæcem imbellium hominum; si impetum in eos facerent, vim nostrorum nequaquam sustinere eos posse, quantumlibet glorientur de robore cataphractorum, & phalangum suarum. sibi verò eas partes sumit, vt hostem ab omni supicione prœlii abductum fallat. ac deinde iterum in castra Cruciferorum reuertitur; quibus percõtantib. respondet, nihil à Polonis periculi esse. Regem pauidum & conscium exiguarum suarum virium diutius exercitum tenere non posse. Ita confirmati Cruciferi in incœpto persistebant, magis populationibus dediti, quàm ad pugnam capessendam alacres. Interim Rex contemplatur locorum conditiones, & vbi committendi prœlii idoneæ occasiones arripi possent. Est Pagus Plouuice propè Radeiouiam, vbi latè patens est planities; ita vt opportunior locus ad prœlium nostris equitatu maximè valentibus tum non offerretur. In hoc igitur totus erat Rex, vt omnia ex præscripto artis militaris fierent, cuius peritissimus erat. Non putabant autem Crucesignati, rem vniuersam dimicationi Regem commissuruni; sicuti Vincentius eos securos reddiderat. At, vbi hinnitus plurimus equorum

Plouucense prœlium.

rimus equorum audiri cœptus est, & strepitus aduentantium increbuit (nam conspectum densa nebula adimebat) tunc illi quoquouersum cursitare, dissonum clamorem edere, & alia argumenta pauoris ostendere cœperunt, quæ omnia Regem, & regium exercitum plurimum cõfirmabant. Ita enim hæc clara erant, vt etiam digito rex suis, quò magis eos sponte pugnare exposcentes ad prœlium animaret ostenderit. Orationem protrepticam non est mei instituti hîc, vbi breuitati studeo, explicare. Inueniuntur ista luculenter apud alios. Constat tamen Regem maximè incubuisse, vt æquitatem causæ susceptibelli suo militi demonstraret, calamitatem captiuorum, ploratus, & eiulatus miserabiles amplificaret, quos ferè ab exercitu exaudiri affirmabat. Adsunt, inquit, propè propinqui nostri, qui fidem vestram implorant. Contrà verò hostium immanitatem, & truculentiam amplificabat. An vos latet, inquit, an vos fugit gentis immanitas, humanis hostiis olim diuos placare solitæ? Ego, ne virtuti vestræ diffidere videar, si vos diligenter in hostem tam trucem incitare instituerem, ampliùs non loquar. Reipsa commonstrate, vos esse non degeneres parentum vestrorum, qui non numerare hostium multitudinem, sed necessitatem pugnæ ineundę ponderare solebant. Hæc quasi paruus puer (Nam perpusillæ staturæ erat; inde & Locticus dictus est) in medio virorum proceritate corporis conspicuorum, & armis fulgentium, ore flammiuomo, ocellis micantibus, voce ardua & excelsa, perorando explicabat, non sine vehementiore totius corporis gestu, præsertim verò manuum, brachiorumque crebra motatione; seueritatem quandam militarem in fronte corrugata præseferens. Nam prorsus Martialis naturę erat. Insusurauit etiam compluribus, ac secretò concredidit consilium Vincentii, de hoste à tergo aggrediendo. quę res plurimum faciebat, ad muniẽdos & confirmandos suorum animos. Explicat igitur acies: ac prima de quinque, cohors aulicorum, magno impetu in hostem inuehitur. Excipiunt illi, qui contrà constiterant. Non impigrè deinde aliæ cohortes concurrunt, exceptis subsidiariis. Pugnatur vtrinq; summa contentione, neque quisquam refert pedem. Adest omnibus locis Wladislaus suos animans, & defessis integros submittens, ipse indefessus, quamuis effœto iam & senili corpore. Feruescente autem prœlio, cum Vincentius adhuc nusquam appareret, subuereri iam Rex cœperat, ne quem is dolum necteret. Circumspiciebant & alii memores promissorum Regis. tum ille à tergo hostium clamore sublato, cum suis impetum in extremos auersos, quemadmodum conuenerat, fecit. Ibi verò turbati illi, reque noua perculsi. primi etiam, exaudito clamore & tumultu, respicere, & sciscitari inter se, quidnam id esset. Instant nostri acriùs respectantibus, & remissiùs pugnantibus. Nec mo-

Compendium & capita orationis adhortatoriæ ad fortiter pugnandũ.

bus. Nec mora; iam cæsis duabus, vniuersas acies perterrefactas in fugam conuertunt. Fit longè maior fugientium strages, quàm quæ dudum pugnantium fuerat. Adeò namque dolori, & iracundiæ Poloni indulgebant, vt neminem viuum seruarent. Iamque debellatum nostri credebant, cum ecce longiore interuallo nouas hostium copias effuso cursu aduentare aspiciunt. Erant ii, qui, præmissi ad capiendam Brestam, ibi hæserant. at certiores facti de nostrorum aduentu, suppetias latum suis accurrebant. Aliqui autem ex ipsis cum inter nostrorum ordines se inserere cœpissent, renouato prœlio, repulsi sunt à nostris, nec vim nostrorum recenti victoria ferocientium sustinuere. Erant enim & lõgo cursu equorum defatigati, & armorum nimio pondere prægrauati. Cæsa feruntur his duobus prœliis hostium quadraginta millia, Dlugosso referente. Triginta verò tantùm de promiscua nostrorum multitudine, ac duodecim de nobiliorib. tum cecidere. inter quos insigniores fuere Zegota Morauicius Cracouiensis, Christinus Ostrouius Sedomiriensis, signiferi, Svvincius Castellanus Zarnouiensis. Dies, quo hæc gesta sunt, fuit 27. Septembris. Et quoniam ferè ad vesperam pugnatum erat, reliquum illius diei, & nox sequens curandis & reficiendis corporibus data est. Postera die cæsorum strages recognita est, & spolia lecta. Inter quæ rex ipse obequitans, conspicatus est quendam iacentem multis vulneribꝰ affectum & admiratione cæteris prostratis digniorem, cui nomen Florianus Sari fuit. Cuius historiam carmine redditam, vtpotè rem memorabilem hîc adscribere volui.

Victoria memorabilis Polonorum de Cruciferis ad Plouuce pagũ

Tempus erat, quando nostros inuaserat agros
Gens fera, de nigra quæ cruce nomen habet.
Huic Wladislaus Loktek occurrit in armis,
Fudit & hostiles fortiter ense manus.
Nec mora, cæsorum squalentia corpora lustrat.
Postera cum cœli fulsit ab axe dies.
Ecce iacet miles viridi resupinus in agro,
Milleque vulneribus debilitatus erat.
Iliaque intrepidus manibus cohibebat amicis,
Vulnera ne forsan per geminata fluant.
Vidit vt hæc dux, ad proceres sic voce locutus:
Illius ô ingens est dolor, atque labor.
Miles ad hæc: Maior dolor est vicinus in aruis
Pessimus, expertus dux generose loquor.
Subiicit his Princeps: Isto te sasce leuabo,
Ne dubita, vitam dent modò fata tibi.
Hinc miserum tollit, spacioſaque vulnera sanat,
Et totum pagum donat habere viro.

Stemmaque

Stemmaque virtutis transuersas insuper hastas
Tres dedit: huic Sario nomen eratque viro.

Ex hoc stemmate nunc claret Ioannes Zamoscius regni Poloniæ Cancellarius & supremus Copiarum præfectus.

Duodecima expeditio.

Sequitur duodecima expeditio & ea non postrema, contra Wladislaum Locticum Regem Poloniæ, à quo magna clade tum profligati sunt, vt iam in Polonica historia pluribus ostensum est, sed propter res Lituanicas iterum breuiter mentionem eiusdem rei nos facere oportuit. Quàm autem irato numine tum ordo ille depugnarit, ex numero cæsorum intelligi potest. D. Cromero sic referente: Cæsa, inquit, fuerunt his duobus prœlijs hostium viginti millia, de nostris verò quingenti; vt apud alios reperio, triginta.

Tredecima expeditio.

Gedimino successit Olgerdus, qui vlcisci volens mortem patris Gedimini, Prussiam ingressus longè latèq; eam vastat, ita vt superiores vastationes collatæ cum hac posteriore, nihil esse videantur. Eodem tempore Eberhardum Schorc, phalăgem Saxonum ducentem deleuit. Non ausi tunc sunt prodire ad certamen Cruciferi, sed tantùm ex tectis prospicichant, spectantes penatum suorum incendia. Vastatio igitur Locticiana, quæ accidit anno 1527. Gedimino & Hungaris auxilia sua in hoc cõferentibus, si coniugatur cum ista, tantam effusionem sanguinis efficiet mortalium, vt ad eam ex Apocalypsi illa prædictio adaptari possit: Ab his, inquit, tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne, & ex fumo, & sulphure, &c. Magister Prussiæ Rudolphus Dux Saxoniæ Lutterus, Generalis (nam iam Venetijs sedem suam huc transtulerant) audita & visa clade suorum, in rabiem & amentiam versus, præ dolore moritur. Præcesserunt has vastationes & miracula. Accidit tum tremor terræ in Prussia, illis terris antea inauditus, aliquot vicibus, haud dubiè prænuncians eas calamitates. Hoc successu Olgerdus elatus, exercitum victorem duxit contra Tartaros, patris Gedimini virtutem imitatus. Non debet autem latere lectorem de Tartaris, quòd ii tempore interregni Polonici, hoc est, regno diuulso, & inter regulos in partes & prouincias sciso, occasione arrepta, non modò Russiam sed & Podoliam, & ipsam Poloniam sæpe armis infestarunt, & attriuerunt; Podoliamq; vectigalem sibi, magna ex parte, reddiderunt. Vnde Bacota, Balakley, Czapczakey, Kuczmien, Kaczibey & alia prodigiosa nomina minutarum arcium Podolicarum Scythicam phrasim & feritatem resonantia,

Occasio, quando irrepserunt Tartari in Russiam.

nantia, quæ pulsis Tartaris, ad hunc diem permanent. Deus igitur miseratus Poloniæ, Hungariæ, Germaniæq; calamitates, excitauit Olgerdum Lituanum, qui, etiamsi gentilis erat, tamen omnib. Christianis Europæis egregiã tunc nauauit operam. Progressus enim cum suis copijs vsque ad Borysthenem & ostia eius, totum robur Tartarorum, & tres duces eorum Kadlubachum, Demetrium, et Kaczibeium, à quo portus ille Kaczibeius vocatus est, armis suis attriuit, profligauit, & disiecit, ita vt alij eorum vltra Tanaim fluuium, alij vltra Tyram, ad Dobrucenses vsque campos, à quibus Orda Dobruciorum vocata est, fuga dilaberentur. Attriuerat iam hos quoq; antea Demetrius Moschorũ Dux. Sed successu victoriæ elatus, securiorq; factus, cum Olgerdo inimicitias sibi vltrò attraxit. Missis enim ad eum legatis, imperat ei tributũ. quare exasperatus Lituanus legatos eius penes se detinet, et absque vlla mora collecto exercitu, primò Witepskum, deinde Moschouiam vsque cõtendit. nec prius cessauit, donec vrbis ipsius Moschouiæ mœnibus exercitum admouisset, in monteq; adorationis (vt ipsi vocant) è conspectu arcis ante ipsam vrbem constitisset. Nouum hoc erat apud Demetrium et, instar portenti cuiusdam, stupendum. Acciderunt hæc anno 1331. die ipso Paschæ, cum Demetrius iret ad Cirkiew. Ecclesias enim suas Russi ita vocant. Cum itaque ritu solenni deduceretur, per legatos, denunciat ei bellum Olgerdus, & mittit non absque contumelia ouum vermiculato opere variatum, (mos est enim patrius Russis in ea festiuitate pueruli suis ludentibus ouum varijs coloribus distinctum donare) loco tributi, quod exactum oratores suos ad ipsum paulo ante miserat. Addit et fomitem cum silice & chalybeo excussorio, minaturq; conflictum & incendia, ni sibi ex tempore capiat consilium. Vnde apud Lituanos de bellatoribus vigilantibus in prouerbium abijt: Si vis ouum variatum coloribus hosti donare, surge mane et lucem anticipa. Hæc à me ex sententia Annalistarum Lituanicorum et præcipuè D. Stricouij viri de Lituania optimè meriti narrãtur. Demetrius ergo, cum in præsentissimum periculum videret se coniectum, elatà illa & temeraria opinione de suis viribus, tempori seruire coactus est. Itaque, vt redimat pacem, imperata facit. Conditiones, qualescumq; tandem proponebantur, accipit. Sic victorem victor Olgerdus domat, arcemq; deinde ipsam Moschouiæ ingreditur, et trophæi instar vexillum suum cum hasta præpilata in medio arcis defigit. Fines inter vtrumq; magnum Ducatum præscribit ad Vgram flumen vsq. Ouansq; exercitum incolumem in Lituaniam reportat. Vbi Vilnam venit, à suis cum triumpho et complosione manuum, more gẽtis, excipitur. Fuit hæc victoria celebris, statimq; per orbem diuulgata est. Itaque.

Olgerdo hæc tribuuntur nõ Vitoldo.

gata est. Itaque hoc successu Olgerdi principes Christiani commoti, & calamitatib. Cruciferorum excitati, metuentesq;, ne Olgerdus eodem impetu in vniuersam Christianam Rempub. irrueret, vires eius reprimere volentes, copias, quàm possunt maximas, vndique maximo apparatu contrahunt. Pontifex Clemens sextus conficit Bullas, tradit cruciatas, emittit litteras ad cunctos principes Christianos, hortatur, monet, expediant arma, eant tanquam ad extinguendum commune incendium à gentibus idolatricis ortum. Promittit indulgentias in forma plenissima: ita vt, qui tunc profiteretur militiam contra Lituanos, & Samogitas, iretq; ad illud bellum, non secus id eum iuuaret, ac si Hierosolymam ipsam ad sepulchrum Domini, aut Romam ad Iubileum, vel Compostellam ad sepulchrum Diui Iacobi, votum peregrinationis impleret. Vnde æstimare licet, cum quanto ardore tum administraretur illud bellum. Ideo superius alicubi dixi, quòd aliquis molem istius belli Septentrionalis pensitans, non absurdè illud cum orientalibus, quæ ob recuperationem terræ sacræ suscipiebantur, comparauerit, vel etiam eis prætulerit. Nam ibi remotior, & per mare periculosior nauigatio fuit. hîc propior & per terram tutior. Ideo tantùm ibi ic. expeditiones nobiliores numerantur. Hîc verò duplò plures, exceptis particularibus bellis, numerari possent. Ibi 100. annis bellum gestum fuit. hîc ferè 200. duravit. Ibi periere 300000. hominum. hîc etiã ad centenas myriadas numerus istorum ascendit. Sensit hos dolores non tantummodo Lituania, sed etiã ipsa parens nostra Polonia, vt mox patebit inferiùs, vbi bella Griualdica, Choinicienſia, & Marchionica narrabimus. Hæc ergo de indulgentijs cum perlata essent ad Germanos, Gallos, Anglos, Hungaros, & Electores Imperij, statim Ludouicus ipse Rex Hungarorum ducit exercitum per Poloniam (nam nepos fuit Cazimiri Magni) similiter Ioannes Rex Bohemorum, & comes Lucemburgensis cum Bohemis & Sylesijs; sic & filius eius Marchio Morauiæ; sic Comes de Hales. auxilia item insularium Regum, Angliæ, & Daniæ aduenerunt. Sic Saxoniæ Dux, & Pomeraniæ, Marchio Brandeburgensis, & alij quàm plurimi principes & supremi copiarum ductores vndiq; conueniunt. qui vbi in Prussiæ campos conuenerunt, iam non opus erat Lituanis, eam hostilitate ampliùs vastare, & ad egestatem reducere. Nam isti ipsi tale exitium illi prouinciæ intulerunt, quale ab hoste crudelissimo quispiam expectaret. Reges igitur ad summam caritatem annonæ redacti, increpato ipso Magistro, & obiurgato, quòd malus Ædilis annonæ fuisset, & quòd ea, quæ ad victum pertinent, exercitui & equis nihil procurasset, quodq; in eas angustias eos præcipitasset, do-

Rodolphus Saxo tum Magister in Prussiam venit. Sed eam iam vastatam inuenit.

Duo sacra bella conferuntur

mum redierunt. Quæ autem ipsi non vastauerant, Lituani post illorum discessum vastarunt, ac funditus omnia deleuerunt, & solo æquarunt. Hic finis fuit illius expeditionis & sacri belli Lituanici. Interim incentores illarum calamitatum bella illa nobis funesta, & conflictus, veluti quædam equiria & hastiludia, absque vlla commotione aut commiseratione inspectabant, alia post alia agmina submittentes, & bella ex bellis serentes; donec ad prœlia Griualdica, & Choiniciensia cum Polonis res deuenit. vbi iam non de finibus tuendis, sed de summa rerum, deq; aris, & focis irato & furente Marte dimicatum est.

Quatuordecima expeditio.

Olgerdo successit Iagello. Quo autem tempore dissidiis laborabat Polonia ob interregnum, eodem tempore & Lituania intestinis bellis occupata fuit. Kiestutus Dux accusatus apud Iagellonem à Voidilone plebeio homine, sed affinitate Iagellonis insolescente, delatorem comprehendit & in patibulum agit. Iagello talionem reddens, vicissim Birutam magni nominis senatorem, & ipsius Kiestuti socerum, ad patibulum trahit, & ante vrbem in monte laqueo suspendi iubet. Neque hac vindicta satiatus, ipsum Kiestutum in carcere necat, Vitoldoq; ipsi similiter fecisset, ni piæ vxoris arte ac beneficio seruatus fuisset; quæ inuisens virum, loco eius pedisequam, quam secum adduxerat, mutatis inuicem vtriusq; vestibus & habitu, in carcere discedens reliquit. Consequuta sunt inde tristia mala: Vitoldus ad Cruciferos transfugit; quatuor fratres Iagellonis partim strangulat, partim in profluentem deiicit, partim in patibulum agit, & manu propria crudeliter sagittis configit. Inde cum Magistro Prussiæ Valerodo, et Lancastro regis Angliæ fratre, stipatus Gallicis Anglicisq; præsidiis, terra & vndis fluminis Nemen, magnas copias ducit, ac primùm Grodnam, deinde ipsam Vilnam tanquam hostilis vrbs esset, nil patriæ miseratus, eam defendente primò præside Smogorseuio Polono, qui Procancellarius & Dux belli erat, post verò Olesnicio, acriter oppugnat. Olesnicius, vt arcem commodiùs defendat, vrbem ipsam Vilnam flammis absumit. At Vitoldus interim nihil eorum, quæ ad summam crudelitatem restabant, omittit: absque vlla commiseratione, patriæ nutricis suæ incendia & depopulationes quotidie spectans. Quid putas quantum hominum tunc flamma ac ferro absumptum est? Annon bella hæc loco expeditionis maximæ censeri possunt? Nil iuuit apud Cruciferos, quòd per ea tempora Neophyti Christiani facti erant Lituani, non profuit inquam, illis quidquam quòd nomina sua Christo dedissent. Amota tamen causa debuit cessare effectus. At illi, baptisato Iagellone, alios colores & prætextus belli inue-

tus belli inuenerunt. Et sicuti Moschus, nostro tempore, ansam belli contra Stephanum Regem quæritans, vendicare sibi Pomeraniam, Prussiam, & Liuoniam cœpit ratione cuiusdam iuris successionis post Prussum Ducem prognatum suum, quem finxit Claudij Imperatoris fratrem fuisse. Ita tum illi destituti iusto prætextu belli, Primò dixerunt, sibi Lituaniam donatam fuisse à Mendoco illo, qui à Pontifice Rex nominatus fuerat. Secundò Samogitiam sibi vendicabant, quasi à Kiestuto ipsis donata fuisset. Tertiò Marchiam nouam pariter vendicabant, quasi ipsis a Marchionibus venditã aliquot millibus grossorum Pragensium; quam venditionem prætendebant ipsis confirmatam fuisse ab Imperatore. Qui nulli rei impensiùs studebant, quàm malignitati, rapinæ, ventri, & ijs quæ sub ventre sunt, Obliti interim Hierosolymæ, cuius defendendæ voto tenebantur. nec eis ea vrbs in memoriam redibat vnquam, nisi quando post commessationes & prandia, animi causa, per eius figuram terræ insculptam decurrebant. Vsu enim illis receptum erat vbique in Prussia, in collibus editioribus prope arces nobiliores figuram quandam labyrintheam & intricatam terræ insculpere, quam Hierosolymam vocabant. vt Grudenti & alibi etiam nunc videre est. Hanc ipsi, vel serui ipsorum coram eis, hilaritatis ergo, post pocula & crapulas percurrebant, & hoc pacto religione se solutos putabant, si pro defensione vera Hierusalem à Saracenis oppressæ, fictam ludibundi percurrerent. Hanc vanitatem illorum, & otium traducens Cazimirus tertius, haud illepidè in eos iocatus est, missa legatione ad Pontificem Pium secundum antea Æneam Syluium vocatum, rogans vt istos suos milites in insulam Tenedum in orientem deportandos curaret, defensuros ibi Christianos à Turcis, vt Regula illorum postulabat; quandoquidem iam, prudentia senatus Polonici, Septemtrio Baptismo sacro initiatus esset, manuq; Christo dedisset. Nihil profuerunt hæc. Immo cum apertè non posset Pontifex, clam tamen per submissos oratores Cruciferos istos in nostram gentem exacuebat. Sigismundus itidem rex Hungariæ & Imperator quomodo nutriuerit illa dissidia inter Polonos, & Cruciferos, ex historia liquet. Nam Griualdici belli ipse fuit præcipuus faber; & deinceps, quoad vixit, nihil aduersum nos de sua malignitate & hypocrisi remisit. Qui cum apud Hungaros captiuus detineretur, & opem à Wladislao Iagellone imploraret, Iagello, quò eum officiis suis sibi deuinciret, & deprauatum animum eius sanaret, de liberando eo satagit & pecuniæ non exiguam vim mutui nomine ad eum mittit. Sed is tamen ea re minimè fuit placatus. Proinde vt par pari fratres Iagello & Vitoldus referrent, Bohemicos tumultus contra eum concitaucrunt, misso

uerunt, miſso nepote Coributo, qui ſe Bohemis aggregando, ducem ſe illis præbuit. At Sigiſmundus ad conuiuium euocatus Luceorienſe, rurſus machinatur mala. Nam vt Vitoldum cum Rege fratre committeret, & ab eo auelleret, coronam illi promittit, & titulum Regis Lituaniæ. Ita vtrinque & Marte & Mercurio, & ferro & ingenio decertatur. Expoſtulante enim Sigiſmundo, quòd Coributum Rex Wladiſlaus in Bohemiam ſubmiſiſſet, Vitoldus non à Rege, ſed à ſe ſubmiſſum fuiſſe prædicabat. Rurſus ad Vitoldum conuerſus & rogans, cur iniquè igitur ipſe ſecum egerit: Vitoldus in ipſum culpam reiecit, quòd nimirum infideliter amicitiam coleret. Ita ille viciſſim rogatus, quare committere & collidere vtramq; nationem Polonicam & Lituanicam intempeſtiua honorum delatione ſategerit, negauit is palàm; ſed tamen clam inter ſuos iactabat, ſe inter iſtos duos canes, Vitoldum nempe & Iagellonem, os iecturum eſſe, cuius vterque arrodendi cupiditate inuicem ſeſe mordendo deuorarent. Meritò igitur cum turpiter ſæpius maleuolentiæ exempla erga noſtras gentes edidiſſet, à Bohemis pro hoſte nationum linguæ Dalmaticæ declaratus fuit: Sed & Pius Papa non diſſimili ratione, vt diximus, in noſtras gentes peccans, à ſcriptoribus hiſtoriæ noſtræ eiuſdem malignitatis accuſatur. Sed iam, quia nobis legem breuitatis impoſuimus, ommiſſa deſcriptione prolixiore expeditionum iſtarum, per ſeriem decem ſequentium comitiorum, incipientes à coronatione Iagellonis, res Lituanicas ſummatim ſcribemus.

Inſequenti anno Cruciferi, aucti numero militum, ex Germania Cuiauiam populatum eunt. Breſte autem obſident. Contra quos bonus Senetio iterum exercitum ducit. Videbant tunc Cruciferi oppida & pagos incenſos, & vbiuis incendiorum flammas collucentes. Ideò irritatus Magiſter Lutherus Crucifericus, prœlio cum Rege decernere voluit. Sed à Commendatoribus ab ea temeritate retractus fuit. Caduceatore igitur miſſo, à credulo Rege annuas inducias impetrant. Ne tamen Rex nihil egiſſe cum illo exercitu videretur, vt Sylleſios vlciſceretur, qui ſuperiore anno Poloniæ terrorem armis incutere voluerant, copias duxit. Vbi, cum omnes pauore conſternati in arcibus latere vellent, quinquaginta & ampliùs munitiones eorum cepit. Reuerſus ab eo bello Cracouiam, donatis ac dimiſsis auxiliariis, languere cœpit. ac ſenſim inualeſcente morbo, vbi imminere mortem ſibi ſenſit, ritu chriſtiano ſacris myſteriis confirmatus eſt. Deinde, quæ diſponenda reſtabant in gubernando principatu, peragens, Cazimirum filium ad colendam iuſtitiam hortatur; eumq; proceribus aſsidentibus languida voce commendat, vtque eum poſt ſe Regem creare velint, rogat. Poſt hæc in Martio, qui menſis ſenibus

menſis ſenibus exitialis eſſe ſolet, extremum diem clauſit, & in Baſilica Cracouiēnſi ad læuam aræ maximæ ſepultus eſt. Sed inſcriptio in eius ſepulchro nulla apparet; ſicuti nec in Cazimiri Magni. An quia contempſerit honores iſtos caducos, an verò quòd intus in monumento inciſum ſit aliquid, quod doceat, cuius illud ſepulchrum ſit, ignoro. Regnauit poſt coronationem ſuam annis tredecim, & paulò amplius, Princeps ſingulari prudentia, patientia, manſuetudine animi præditus, adeuntibus perfacilis, ſtatura puſilla, ſed animi celſitudine peramplus. De quo rectiſsimè ſcriptum eſt: Fuiſſe eum animi magnitudine tanta, vſque ad decrepitam ætatem, & virtute adeò excellente, vt cum maximis regibus rectè comparari poſsit, & cò quidem magis, quòd turbulentius & mutilatius regnum accepiſſet. Præceſsit hunc paulò Vincentius ille Samotulius, qui & hoſtilitatis & commiſerationis erga patriam ſuam exemplum in ſe reliquit. non tamen impunè ei ceſsit illa prævaricatio aduerſus parentem ſuam Poloniam. Nam, licèt poſterioribus auſis ſuperius ab ſe patratum facinus obliteraſſe ſe iam crederet; tamen commemoratio incendiorum patriæ, & iuſtus dolor ad eam diem ſeruatus ob amiſſos ſanguine iunctos, & rei familiaris detrimentū eius opera acceptum, ita quoſdam contra eum extimulauerat, vt ſibi aliter ſatisfactum iri nequaquam perſuaderent, niſi eum tanquam autorem illarum belli ſuperioris calamitatum è medio tollerent. Plus enim apud offenſos ſeruatus & continuatus dolor præteritorum malorum, quàm præſentium beneficiorum & meritum obſequiorum, valere ſolet.

LIBER SEPTIMVS,

in quo comprehenditur hiſtoria Polonica incipiens à temporibus Cazimiri Magni Regis Poloniæ, vſque ad Stephani primi tempora, ſub quo hæc in lucem eduntur.

PROOEMIVM.

IAM omnes videre poſſunt, quàm aptè hæc diſtinctio librorum huic hiſtoriæ quadret. Quòd autem à Cazimiro Magno ſeptimus liber incipiatur, cauſa eſt, non modò quòd Poloniæ regnum ad interitum ſpectare incipiens, ob dominorum pluralitatem, eorumque diſcordijs diſtractum, & in multas portiunculas diuiſum, rurſus in unam monarchiam reunitum eſt: ſed etiam quòd ab hoc rege legibus reformatum, pacis artibus recreatum, muris & varijs munitionibus inſtauratum fuit. quo nomine, Magnus vt vocaretur, meruit Cazimirus.

CAZIMIRVS MAGNVS.

Anno ab orbe condito 5295.
Anno Chriſti 1333.

CAzimirus Rex cum vxore coronatur; etiamſi Heduigis Cazimiri mater, ſe regina ſuperſtite, negabat eam debere coronari. Sed hic ſcrupulus ſtatim exemptus eſt, exorata matre à Cazimiro. Quæ, vt nihil dubii relinqueret, Sꝙdeciam antiquã ſeceſsit, diui Franciſci inſtitutum profeſſa. Ioannes Melſtinius, Iaſcus dictꝰ, Regi iuuenilium cõſiliorum moderator eſt datus. Nix hoc anno ſub finem Aprilis, quæ 5. diebus durauit, magnam fertilitatem præter expectationem omnium attulit. Locuſtarum enim etiam vis magna in Poloniam poſtea aduolauerat. Cum autem Cruciferi ſententia lata à regib. Hungariæ & Bohemiæ, eiuſque conditionibus non ſtarent, miſſus eſt legatus ad Pontificem Iohannes Grotus Slupecius Epiſcopus Cracouienſis, qui apud Benedictum duodecimum perfecit, vt duos Prælatos mitteret, qui Polonorum Regi Cuiauiam, & Dobrinum redderent, & decem millia florenorum adiudicata numerari à Cruciferis curarent. Cruciferi verò, ne arbitrorum decreto, aut Pontificis mandatis parendi neceſsitate tam feruidè vrgerentur, perfecerunt apud Lodouicum Cæſarem, vt is Cruciferis, & Magiſtro ordinis Theodorico, pœna adiecta, interdiceret, ne cuiuſquam præcepto quicquã de iis terris, quas ab Imperio

Moderator iuuenilium Cazimiri conſiliorum Iaſcus Melſtinius.

ab Imperio haberent, cuiquam cõcederent, neúe apud vllos iudices de iis disceptarent præter assensum ipsius. Indignabantur enim Imperatores & ægerrimè ferebant, iura Imperalia à Pontificibus attingi. Sed optimè excipi poterat, nihil hîc in Imperatorẽ peccari, cum eas terras, de quibus lis erat, non ab Imperatoribus, sed à Poloniæ Regibus haberent. Consederuut tandem iudices Wratislauiæ, & Cazimiro adiudicarunt Pomeraniam, Cuiauiam, Dobrinum, Culmense & Michalouiense territoria. Pecuniamq; pro damnis maximam ei Cruciferi dare sunt damnati; & quia iudicatum non præstiterunt, anathemate percussi sunt. Dimicatum est postea, alternante fortuna victorias. Habitaq; sunt Comitia Cracouiæ; in quibus Carolus rex Hungariæ successor designat⁹ Cazimiro. & declaratum est, Sylesios defectione sua ad Bohemos sese hoc honore successionis indignos reddidisse. Sequentem annum Russia Meridionalis subacta, & ad Palatinatuum formam redacta, insignem facit. Cumq; Leopolim Cazimirus in suam potestatem redegisset, hoc vnum Russi sunt pacti, vt retinere sibi veteres religionis ritus liceret. Ingens vis auri, argenti, gemmarum, vetusta Russorum Ducum gaza, in iis arcibus reperta est. in qua insignes erant duæ cruces aureæ plurimis & pretiosis gemmis distinctæ. Ad hæc duo diademata cum sella & veste auro gemmisq; rigente. Hæc omnia Cazimirus secum in Poloniam asportauit. Hi autem successus animum eius postea deprauarunt. Nam, ablegata Zarnoueciam vxore legitima Heduigi, Hessorum Principis filia, totum se libidini tradidit. ita vt etiam cõditiones pacis iniquas à Cruciferis, solis Episcopis reclamantibus, acceperit; quò sic ociosus liberiùs voluptatibus indulgere posset.

Iura Imperialia & Pontificialia.

1343.

1345. Iohannes rex Bohemiæ ille, qui Sylesiam nostris detraxerat, Poloniæ intulit bellũ tanto ardore, vt cum senio, laboribusq; confectus esset, ac alterum quoque oculum iam amisisset, tamen libenter se moriturum tum affirmaret, cum Cracouiæ muros manu victrice palpasset. sed cumspes fefellit, exercitu eius à Polonis partim dissipato, partim profligato. Cecidit in eo prœlio ex Bohemis Zagliz Ptaszek, & Alzo Sramberg. capti quamplurimi. Palma rei bene gestæ Prædotæ Galcæ, gente Odreuązia, data, & Toporo Hiconi, qui ita dictus fuit ab Hicone Bohemo spectatæ nobilitatis viro, quem in conflictu ceperat. Ioannes ipse Rex paulò post in bello Anglico in Gallia interfectus occubuit.

1346. Comitia illa Visslicienſia celebrata, quibus Palatinorum, & iudicum infinita potestas certis cancellis coërcita est; vt non ex moribus, aut libidine sua, sed è scripto iure deinde iudicarent. Certæ etiam mercedes eis, & aliis administris iudiciorum constitutæ sunt; vt ne quid præterea à litigantibus exigerent, mulctæq;, quas iu-

dices arbitratu suo dicebant,& exigebant,definitæ,Ad hæc sublatus mos barbarus iurisiurandi conceptis verbis dandi,in quo si quis vel verbo lapsus esset,atq; adeò si titubasset, causa,quantumuis iusta,cadebat.

1346. Cazimirus nouum oppidum Cracouiæ iunctum condidit,& de suo nomine Cazimiriam appellauit;cum antea Bauolus pagus diceretur.

1349. Rusicum bellum in quo Cazimirus magna fœlicitate vsus est; vna æstate expugnatis Lusco, Wladimiria, Breste, Chelino, Volinia omni, Belzensi, Brestensiq; tractu: Hæc sibi Lubartus,& Keistutus, ductis vxoribus stirpis Russiæ ducum, vsurpauerant. Postea Ludouicum Hungariæ regem successorem in regno sibi designauit. Hungarici verò reges iure suo in Russiam,quod adhuc somniabant post Colomanum, cesserant. Reuersus ex Russia Cazimirus, secundis rebus, laudibusque hominum elatus, rursus damnatæ libidini se tradidit,palàm cõcubinas in arce Cressovv & Opoczno alendo. ob quam rem Martinum Bariczkam vnum de Vicariis Crac. missum, vt regem de ipsius facinorib. admoneret,vix id facere ausum statim in profluentem Vistulæ demergi iussit. Et mirum est, quòd in albũ martyrum non fuerit relatus. Propter quod nefas Regis,pœnæ epidemicæ consecutæ sunt. Pestis præsertim exitialis; quæ miseros mortales passim absumebat, & in quintum diem prolata, carbunculis,& apostematis enecabat. A quibusdam creditum est,eam à Iudæis,infectis veneno fontibus,effectam fuisse. Non modò autem in ipsa Polonia,sed in aliis quoque prouinciis eadem lues inualescebat. Tartari etiam aliquoties Russorum terras infestârunt. Et vix Tartaris cessantibus,Lituani idem ausi subingrediuntur, trãsmissis copiis per Istulam, vadum eis monstrantibus nostris. His tot calamitatibus edomitus Cazimirus rediit ad se; & crimen necati sacerdotis agnouit. missoque legato ad Pontificem, absolutionem, & decimas omnium decimarum in subsidium aduersus Barbaros sibi impetrauit.

Bariczka Vicarius Ecclesiæ Cracouiensis

Lituani.

Decimas rex non audet sibi vsurpare sed à Pontifice impetrat.

1353. Cum Martius, Aprilis,& Maius vltra medium, verno ac pene æstiuo calore ad calamos, & aristas segetes perduxissent, coorto de repente acri frigore & gelu, nix duos cubitos alta terras operuit,& in sextum vsque diem durauit. Et cum omnes iam existimarent,segetes corruptas,vbertas frugum prẽter spem tanta coorta est, quanta vix vnquam aliàs fuit.

1355. Missi ad Ludouicum Regem Hungarorum legati nomine totiꝰ Poloniæ, retulerunt diploma eius,quo is recepit,nunquam se,neque posteros suos vllum tributum, aut exactionem vlli ordini Polonorum, neque sacro neque profano, imperaturum; neque iter facientem cuiquam oneri omnino futurum. Præterea damna ac detrimenta

trimenta in expeditionibus, quæ fiunt vltra fines, accepta, omnibus compensaturum. Hæc sunt, quæ ordini nobilium Rex Ludouicus ante regnum initum concessit. Accessit eodem anno Mazouia ad societatem cæteræ Poloniæ: & regiæ authoritati sese subdidit. Veniens enim Calissiam Ziemouitus Dux Mazouiorum vnà cum prouinciæ cunctis ordinibus, ad sextum calendas Ianuarii publicè vexillum ad pedes Regis proiecit, & in verba eius aliorumq; deinceps regum Poloniæ iurauit. Ad hæc obsignatis tabulis subiectionem suam testatus est. Eodem tempore ex Germania coloni in Russiam à rege acciti, oppidis & pagis in Pedemontana regione seu Podgorze ad imitationem Germanorum nomina imposuerant. qualia sunt Lemburga, Landeschutum, Pisina, Gerlica, Freistadia, Hicinum, Ticinum, & consimilia. Superiùs autem monstratum est, Bastarnas iisdem in locis prorsus consedisse, quibus etiam hæc palma tribuebatur ante mille annos, quòd reliquis Sarmatis diligentiores patresfamilias essent. Cum ergo hanc laudem auitam atque antiquissimam hic angulus Sarmatiarum habuerit, non est mirum, quòd nunc toti Poloniæ abundè equos, pecora, linum, copiam butyri, caseorum, & similium rerum suppeditet. Amauit hic princeps supra modum ordinem ciuium & agrestium; ita vt vulgò Rex rusticorum vocaretur. Nec ipsos modò Teuthonas iure suo Saxonico siue Magdeburgensi vti permisit; sed suis quoque Polonis id ipsum indulsit. Quoniam verò ab iis iudiciis ad Magdeburgense tribunal in Germaniam vsque prouocabatur, non sine quadam ignominia Poloni nominis & magno dispendio litigantium, sustulit eam prouocationem Cazimirus. & in arce Cracouiensi supremum & prouinciale iudicium Teuthonicum constituit, ad quod prouocationes omnes ab inferioribus subselliis ex tota Polonia fierent. Cui quidem iudicio præsidet peritus eius iuris Aduocatus vnà cum septem Scabinis (sic enim appellari quæstorem cum iudicibus vsitatum est,) quos magnus Procurator arcis deligit, ab eoque iudicio ad Regem prouocatio permittitur. Sed, quando causæ cognitio binis sex oppidorum siue ciuitatum decurionibus seu consulibus delegatur, ab iis prouocatio nulla est.

Tribunal ciuilium causarum constitutum, quemadmodum nunc Petricouiæ & Lublini causæ nobilium iudicantur.

Compositio inter status.

1356. Heduigis Regina, cum Zarnoueciam Castellum ablegata quindecim annos ibi, honestè tamen & lautè habita, vixisset, ad extremum à patre, nemine prohibente, domum reducta est.

Borcouicius Palatinus Posnanensis biennio post mortem reginæ Heduigis in Olstinensem arcem deportatus, in tetro & obscuro carcere inedia vitam finiuit. cuius exemplo conterriti homines malefici, ac prædones, non mediocriter coërciti sunt.

1358. Nec diu cunctatus Cazimirus, tertiò vxorem ducit, Heduigem & ipsam Henrici Glogouiensis Ducis filiam.

1359. Hoc anno Rex & Iaroslaus cognomento Bogoria Archiepiscopus Gnesnensis inter nobilitatem Cracouiensem, Sedomiriensemque, & Bozentam Episcopum Cracouiensem, de iure decimarum, de iurisdictione ecclesiasticorum iudicum, de nouis parœciis instituendis, de moderandis immunitatibus Clericorum,& consimilibus controuersiis agunt, atque componunt, ipsisq; libertatum suarum patronis abusus suos, excessusque amicè modificantibus, concordiam conciliat. Nondum desierat ira Dei grassari ob delictum Regis, etiamsi cum Pontifice Romano Cazimirus in concordiam iam redierat. Nam à Valachis Poloni ignominiosè sunt profligati strategemate quodã, quod compedes Vegetius vocat. Id fit in hunc modum:Inciduntur ab agrestibus robora in syluis,ita tamen,vt truncis suis adhuc vtcunque cohæreant. Vbi verò iam eas syluas agmina hostiũ ingrediuntur,tunc agrestes planè succidunt extrema ipsisque citima robora,eaq; impellunt, vt sic reliqua omnia deinceps sese impellant ac mutuò collidant.Ita ruina obruti,qui ingressi fuerint,pariter imbelles cum fortissimis cõcidunt,& ex illa maxima strue lignorum,tanquam capones ex corte educti mactantur. Effodiuntur etiam scrobes in orbitis viarum, & cespitibus adoperiuntur,vt currus, & alia impedimenta vnà cum rotis deprimantur, retardenturq;.Adiiciuntur & terriculamenta quædam, quibus ducentes exercitus, sublato clamore,facilè in pauorem & trepidationem impelluntur.

Compedum struendorum modus.

Hoc accidit nostris,iisdem fere in locis, primùm, vt dictum est, sub Cazimiro Magno,& postea etiam Iohannis Alberti Regis temporibus,quando prioribus cladibus attriti, cautiores esse nolebant. Iam nunc nostri experientia edocti prudentiores sunt. Etenim transmissuri exercitum, præmittere solent exploratum aliquot turmas equitum leuioris armaturæ,qui occupant loca in illis syluis natura magis munita. Et, si viderint aliquod periculum, recurrunt ad suos vel in tempore præmonent vniuersum exercitum. Si verò aliqui interim ex Valachis occurrerint, sustinent eos leuioribus certaminibus, donec auxilia submittantur. Ac ita securè transitus exercitui patet. Redeo iam ad historiam. Ad hanc externam cladem nostrorum accesserunt & domesticæ strages.pestilentia nimirum tanta, vt in sola vrbe Cracouiensi nondum ita frequenti, vt nunc est, viginti millia mortuorum censa esse dicantur. Magis autem in nobiles & locupletes, quàm in vulgus grassata est hæc lues. cum alioquin,quemadmodum experientia docet, sæpius eueniat vt in bello quidem nobiliores, in peste verò plebem Deus ad pœnam exposcat.

1364. Cazimirus Rex missis Auinionem ad Vrbanum quintum Pontificem oratoribus duo impetrauit: Alterum,vt in Russia cathedra metropolitica erigeretur:alterum,vt Cracouiæ noua Academia exemplo

demia exemplo Caroli Imperatoris, qui idem Pragę in Bohemia nō ita pridem præstiterat, instituere tur. Vtrumq;, inquam, impetrat; & mox perficit. Quanquam Academiæ cœptum opus morte Cazimiri intermissum fuit. vt tam pii, & tam sancti instituti atque operis Iagello Wladislaus postea particeps, Deo sic præstituente, redderetur. Eodem anno, visitando ecclesias Archiepiscopus Iaroslaus, controuersiam veterem de decimis, tanquam vlcus priùs malè sanatum, cu rare vult; & cicatricem obducere tentat, per compromissum litem dirimens. *Visitatio Archiepiscopalis.*

Eodem anno Wratislauia fortuito incendio conflagrat. Fames etiam Poloniam inuasit, quæ cura ac diligentia Regis mitigata est. Horrea enim sua & granaria referta aperuit in gratiam plebis. Sic alii cōmutatione rerum, alii opus faciendo, qui verò ditiores erant, pecunia emendo, sibi facilè annonam comparabant. Itaque hoc tempore complures arces in Polonia, & oppida muris, vallis, atque fossis munita, piscinæ, aggeres, & aquæductus multis in locis facti. Ex quibus est ille, qui Bochnam vlque per quinque miliaria duci est institut⁹; quò deriuata & immissa aqua ex Vistula, sal, ligna, ac cæteræ merces vltrò citroq; nauibus, vel ratibus deportarentur. Præbuit ergo Cazimirus sequentib. regibus exemplum, vt non modò in solio diademate & aliis regni insignibus ornati sederent, nec tantùm Martis cruenta facta meditarentur; sed etiam œconomicis factis aliquando vacarent. vtq; non modò exactionibus & teloniis, sed etiam emolumentis suo ipsorum ingenio partis se viuere meritò gloriari possent. Hoc sanè præstitit Cazimirus. qui tali sua industria effecit, vt anno sequenti, cōuiuium memorabile illud celebrando, splendorem gloriæ suæ auxerit, exteris regibus id spectantibus, & non sine admiratione contemplantibus. Pontifex autem maxim⁹ Vrbanus, mitigatis tum regum animis, non modò pacem inter inimicos, verùmetiam affinitatem conciliauit; effecitque, vt Carolus Imperator neptem Cazimiri Regis Elizabetam Boguslai filiam, vxorem quartam duceret. Tertiam enim Annam Bernardi Svvidnicien sis Ducis filiam acceperat; ex qua Wenceslaum filium susceperat. Cum hac Svvidnicienſem dominatum, supremum Sylleſiæ spolium Poloniæ detractum, sibi acquisiuit.

Nuptiarum descriptio ex D. Cromero.

Conueniunt eò inuitati à Cazimiro Reges, Ludouicus Hungarorum, Sigismundus Gothorum siue Danorum, & Petrus Cypriorum, Ponto & aduerso Histro in Valachiam, & inde terrestri itinere per Russiam Cracouiam aductus. Præterea Duces, Otho Bauarorum, Ziemouitus Mazouiorum, Boleslaus Svvidnicienſium Bernardi defuncti frater, Wladislaus Opolienſium, & Boguslaus cum sponsa filia. Ad

sa filia. Ad extremum venit Carolus cum splendido comitatu. Cui venienti omnes principes, atque reges cum Cazimiro Cracouia ad vnum miliare obuiam profecti sunt; & non modicum spatium pedibus progressi, quod idem facere Imperatorem cognouerant, amicè inter se consalutarunt. Cum autem ibi appropinquarēt, Carol⁹ spon sam cum patre, & magna puellarum & matronarum caterua obuiam habuit, deductusque cum ingenti pompa, in arcem Cazimiro petente, diuertit. Cæteris in vrbe hospitia distributa. Omnes hi principes aduenientes, in extremis Poloniæ finibus Cazimiri iussu comiter & perhumanè accepti ac deducti, liberaliter & magnificentissimè habiti sunt: durantibus vsque in vicesimum diem nuptiis, & conuiuiis. Et cum abunde omnia ad sumtum suppeditarētur hospitibus, regiorum procuratorum atq; dispensatorum prouidētia; tamen ne quid magnificentiæ desideraretur, magna dolia in foro vrbis collocata sunt; alia vini, alia auenæ plena, vnde sumerent, quantum quisque vellet. Præerat autem procuratoribus, ac dispensatoribus omnibus regiis Verincus Germanus Cōsul Cracouiensis: quem Cazimirus propter singularem industriam, atq; dexteritatem in rebus agendis thesauro suo præfecerat, & omnium cōsiliorum suorum non modò participem, sed moderatorem propemodum habebat. Is igitur cùm esset ditissimus, nō habuit satis nuptias illas regio nomine quàm splendidissimè administrare; sed, vt suam quoq; magnificentiam Poloniæ adderet, Imperatori, Regibus, Ducibus, & proceribus eorum domi suæ conuiuium magno apparatu dedit, & ampla munera omnibus largitus est. Inprimis autem Regi suo Cazimiro; ita vt, quæ ei donauit, plus centum millibus florenorum æstimata esse dicantur. Nuptiis ritè peractis, & fœdere sempiterno inter Reges icto, ac iure iurando firmato, & missis inter se vltrò citroque amplissimis muneribus, domos quisque suas discessérunt, ad fines vsque regni à Polonis proceribus deducti. Post hanc Cazimiri cum regibus solenniter initam amicitiam, omnes vicini, depositis armis, eum prensabant & se fidei eius committebant. Ex quibus Georgio Belzensium Duci, cum se imperata facturum promitteret, concessit, vt ditionem suam retineret. Quin & Chelmensem arcem de Lituanis captam Cazimirus ei adiecit. Eadem expeditione, quam in Russiam suscepérat, Luscum, Wladimiriam, Olescum arces in iurisditionem suam redegit. Cruciferi etiam, cùm in Prussiam suscepisset iter videndi Magdeburgi gratia, vt ad eius, aliarumque vrbium exemplum Poloniā magis cultam redderet, perhumaniter & honorificè eum acceperunt; ac mansuetudine, & prudentia eius victi, submissionem erga eum testati sunt tantam, quātum antea armis nullus regum Poloniæ sibi apud eos conciliare potuit.

Ceremonia Regum & Principum obuiam euntium Imperatori.

Georgius dux Belzensium.

1370. Sic

1370. Sic igitur ad ſummum gloriæ culmen cazimirus regno perducto, & ſibi æterna fama acquiſita, anno 1370. Predboriæ, cum venatum die feſto ad proximam ſyluam, fruſtra diſſuadentibus aliis, abiiſſet, fugientemque ceruum inſequeretur, equo, quo vehebatur, cum impetu labente ipſius corpus, cum carnoſum eſſet, conquaſſatum eſt. Relatus eſt Predboriam, & poſtea Sedomiriam, indies febri inualeſcente, præſertim cum iam frigida aqua, iam mulſo vteretur, nec à medicis præſcriptam ſibi victus rationem ſeruaret. Cracouiam deinde delatus, quærit ex medico Mathæo, num iam Cracouiam peruenisſet, tacitè admonens promiſſorum, quibus ei Cracouiæ certam ſanitatem medici polliciti erant. Quæſiuit poſtea, an aliqua ſpes eius valetudinis ſupereſſet. Cumque animaduerteret, medicos more ſuo bona ſpe ægrotantem ductare, teſtamentum condidit, in quo multa multis largitus eſt, & præſertim Gneſnenſi & Poſnanienſi eccleſiæ. Cracouienſi verò crucem alteram inſignem auream ex duabus, quas Leopoli deportauerat. Executionem teſtamenti Iohanni Strelcio Decano Cracouienſi & Cancellario regni, Suchivilko dicto, commiſit. Ad extremum in Chriſtiana religione, vt Chriſtianum decet, mortuus eſt, & in Baſilica Cracouienſi ad dextram aræ maximæ honorificè ſepultus, ſub imagine ſculpta in marmore. Vixit ſexaginta; regnauit annos triginta ſeptem. pacis artibus clarus, ſed & bellicæ laudis non expers. Nam Mazouiam, Ruſsiamque regno adiecit; & quæ alii bellis cruentis præſtare non poterant, ille conſiliis ſalutaribus commodè perfecit. Oppida cinxit muris triginta, arces ferè quadraginta: monaſteria complura. Academiæ Cracouienſis fundamenta iecit, aquæductus, & piſcinas extruxit, quamquam hæc cura poſteriorum regum potiùs fuit. Sed & hanc ipſe non eſt aſpernatus, iuxta illud: Quæ ſingula non iuuant, coniuncta multa iuuarint. Tabernæ mercatorum, & propolium in foro Cracouienſi eius eſt opus. Sed quod maximum vallum eſt Reipub. & firmamentum fortiſsimum, leges egregias promulgauit; & laqueos earum, & alia barbarica inſtituta ſumma cum dexteritate reſecuit. Adeuntibus facilis; querimonias etiam infimorum, vbi ipſi tenuiores homines difficiles ſe præbere ſolent, ille conſtanti temporis ſpatio ad id conſtituto, per benignè audiuit. Tenuiores à potentiorum vi & iniuria ſedulò vindicabat; ita vt æquior plebi, quàm nobilitati eſſe videretur. in moribus elegans. Poloniam bellis, & aliis calamitatibus vaſtatam & infrequentem, populoſiorem reddidit. Cæterùm in vita domeſtica non deerant ei ſua vitia. In cibo, & potu intemperans; & inde in libidines ruebat. Nam præter greges cõcubinarum, aſſeruabat Bohemam quandam Rechecanam, captus eius pulchritudine. qua cum aliter potiri non poſſet, conceptis verbis vxorem eam ſe ducturum promi-

Leges Cazimirianæ.

sit: confirmante id Abbate Tinecensi, quem mulier illa cum vidisset tiara ornatum, Episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed & hanc cum deinde caluam & scabiosam comperisset, eiecit, & Iudææ cuiusdam Hester consuetudine vsus est. Itaque iusta Dei pœna, nulla mascula prole, exceptis nothis, relicta, decessit. Sacerdotes tamen continentes, licèt ipse incontinens, singulari fauore prosecutus est. Statura fuit procera, licèt paruulo patre natus, eaque corpulenta; capillo denso & crispo; promissa barba; voce sonora: sed balbꝰ aliquantulum. Quæ forma & corporis habitus Cazimiri Magni, prorsus cum Cazimiri primi forma corporisque habitu conuenit. ita vt isti duo principes, vt nomine, ita & persona simillimi inter se fuisse videantur.

LVDOVICVS HVNGARORVM & Polonorum Rex.

Anno ab orbe condito 5332.
Anno Christi 1370

QVia non vitas regum Poloniæ, sed Polonorum res gestas iuxta annalium normam describere ab initio proposuimus, ideo à Ludouici rebus gestis in Hungaria abstinebimus. immorabimur autem iis tantùm rebus, quæ ad Poloniæ regnum spectare potissimùm videbuntur. Magno tunc dolore Polonos occupatos fuisse, nemo est qui non videat. Nam iis, qui indigenis regibus antehac parere didicerant, nunc externo regi se subdere graue & onerosum erat. Accedebat eò, quòd Mazouii ad prædas accurrebant: Sandomirum & alia sibi vendicando. Lituani etiam, rati se nactos commodam occasionem, Volinia capta, progrediuntur ad Istulam; & tandem vsque ad intima Poloniæ, vbi est Lissecense monasterium omnia diripiunt. Itaque Poloni, cum aliunde nihil opis sperandum restaret, mittunt oratum Ludouicum, ne cunctetur, sed quamprimùm, ad capessendum iam sibi destinatum regnum veniat. Quod cum & proceres Hungari instantes suaderent, respondisse fertur: Non satis intelligere, neque hos, quid suadeant, neque illos, quid petant. Prospiciebat enim è re neutrorum id fore. Nam sicuti duobus gregibus non expedit vnum pastorem habere; ita duas Respub. vix vlla ratione sine alterius incommodo ab vno administrari posse existimabat. Venit tamen ad nos. cui frequentes Poloni ad Sandeciam obuiam progressi, eum excepere. Rogatus publicè à Iohanne cancellario, an testamentum regis Cazimiri ratum esse iuberet, præcipitanter assensus est. Nam immodicæ donationes mortui regis sine magno damno Reipub. præstari non poterant. Ideo postea ipsemet de iis, quæ nothis filiis Cazimirus legauerat, apud terrestres iudices (vt vocant) di

sceptandum

sceptandum esse censuit. De eius coronatione à maioribus Polonis scrupulus iniectus est. Hi enim contendebant, vt Gnesnæ veteri more fieret. sed Ludouicus proximorum regum Wladislai aui, & Cazimiri auunculi exemplum ea in re secuturum se esse dixit. Coronatus est itaq; Cracouiæ ab Archiepiscopo Gnesnensi decimoseptimo die Nouembris: Nec tamen desiderium Cazimiri defuncti regis ex animis hominum Rex nouus euulsit; imò plus etiam auxit. cum non modò (in quo valde dissimilis Cazimiro erat) aditus ad eum difficiles essent; sed ne adiri quidē à nostris sine interprete posset. Nam tum lingua Latina non ita fuit, vt nunc, vsitata Polonis. Commemoratur autem, quòd circa eius coronationem à Wladislao Opoliensi, & Cazimiro Stetinensi Duce iusiurandum acceperit, quod perpetuò in potestate ipsius, & regum Poloniæ deinceps futuri essent. Vide Dlugosium. Exequias deinde magnificentissimas & sumptuosissimas auunculo apparauit. vbi infinita penè hominum multitudo lachrymis, planctu, eiulatu, ingens defuncti regis desideriū testata est. præsertim, quòd vnà cum eo successionem regum suorum vetustissimorum iam inde à Piasto hactenus deductam & continuatam, abruptam atque extinctam esse cerneret. Hoc cum Ludouicus probè animaduertisset, veritus ne aliquam filiæ Cazimiri nouandarum rerum occasionem Polonis darent, ablegauit eas in Hungariā. & constituto ibi iudicio, perfecit, vt non ex iusta vxore natæ, ideoque hæreditatis paternæ incapaces pronunciaretur. Quod sanè ingrati hominis facin⁹, ex iusta diuini numinis vindicta extitisse videri potest, vt filiæ Cazimiri paternarum libidinum, & stupri ingenuæ puellæ Feliciani filiæ oblati in eodem pene loco, quo ille deliquerat, pœnas luerent. Abiit postea Ludouicus ex Polonia, Elizabetæ reginæ matri administratione regni commissa. At Goluchouius postmodum motus est præfectura maioris Poloniæ, & Otho Pilecius cōtra leges ei substitutus. Sequenti anno Iarosla⁹ cæcus abdicauit se Archiepiscopatu. Memoratur etiam de eo illud excelsi animi facinus; quòd, cum iuuenis adhuc Bononiensis Academiæ Rector esset, transtulit inde Academiam sua authoritate, propter Britannum siue Anglum quendam scholasticum à magistratu vrbis capite plexum. nec priùs eam restituit, quàm pro cæde illa Angli satisfactum esset. Fertur autem Iaroslaus mandasse moriens, vt cadauer suum non ostio, sed pertuso pariete in Basilicam sepeliendum inferretur. quòd non ritè, neque legitimè Archiepiscopum se factum esse diceret.

Terrestres iudices inter regem, & posteros Cazimiri iud. cant.

Stetinensis & Opolienſis ducis iusiurandū

Ingratitudo Ludouici regis pœna Cazimiri libidinum.

Iaroslai Archiepiscopi facta.

1374. Leges quædam & libertates à Ludouico ordini nobilium datæ. Primò, vt vectigalis nomine subditi nobilium non nisi binos grosos in singula iugera quotannis darent; cum antea duodecim dare consueuissent. Secundò vt nobiles à reliquis pensionibus, & one-

Capita libertatum à Ludouico concessa.

ribus deinceps liberi esent, eorumque subditi perpetuam vacationem & immunitatem haberent. Tertiò ne rex vllum magistratum perpetuum siue honores aboleat, neúe extero homini cuiquam conferat; ac ne præfecturam quidem arcis cuiusquam, aut oppidi. Addunt quidam expositionem. Quæ iurisdictionem adiunctam haberet. Easdem præfecturas nemini ex Ducum illustri genere orto se daturum promittit. Hæc Casouiæ Ludouic⁹ Rex sancit, ordinibus cunctis Poloniæ assentientibus. Tametsi Episcopi ne eos quidem binos grosos concedere volebant, desendentes se Boleslai Pudici remissione. Hæc ille cum præstitisset, Poloni vicissim annuerunt eius votis, vt alterutra filiarum eius post ipsum in Polonia regnaret.

1375. Secuti sunt motus quidam in regno, quorum causa fuit Wladislai Cuiauiensis Ducis in Poloniam reuocatio. Hic enim non contentus fortuna sua, abdiderat se in monasterium Endiuioni. Cuius recordati quidam ex Polonis, cum angerentur supra modum ob dominatum externi regis, hunc, vtpote qui solus ex legitimis successoribus Piasti remanserat, ex monasterio reuocant. Veniens igitur molitus est nonnulla. sed quia inuitis fatis hæc fiebant, nequaquam ei eiusque assecliis consilium succesit. Rediit igitur Endiuionem, spreta Abbatia, quam ei Ludouicus homini gratificaturus in Hungaria dederat. ibique denuo cucullam sumpsit. Narrauit mihi vir Magnificus quidam ex maiore Polonia, illustri loco natus, se istic vidisse monumentũ Wladislai istius (quamquam ipse putabat esse Boleslai Audacis) cui Epitaphium tale inscriptum fuit: WLADISLAVS REX POLONIAE HVC DELATVS ET MORTVVS HIC SEPELIRI VOLVIT, &c. Elizabeta Ludouici mater ex Dalmatia reuersa in Poloniam, cum ei de Lituanorum incursionibus referretur, mulicbri leuitate laborans, quietos & securos omnes esse iubet, inquiens: Filium suum tam longis grauibusque esse manibus, vt solum nomen eius non modò Lituani, sed cunctæ circumcirca nationes contremiscant. Interea ipsa musicis & choreis erat dedita. Tunc etiam ille tristis casus accidit, cum aulici Elizabetæ Hungari, diripientes fœnum ante portam Velicensem, contentione cum ciuibus exorta, Iascum Kmitam præfectum Cracouiensem sagitta emissa interfecerunt; post verò ex ipsorum numero centum sexaginta prostrati ceciderunt. Triduo arx fuit occlusa & ab armatis obsessa. quo casu Elizabeta perculsa in Hungariam mœsta reuersa est. Hoc etiam tempore in Græcia Turcæ vrbes nobiles cepere. Itaque Pontisex, oratore misso, binos grosos de vnaquaque exprouentib. marca ad subsidia ferẽda Christianis à Polonis exigit. Quoniam autem Prædislaus Pogorelicius Episcopus Wratislauiensis paulò ante vita excesserat, relicta magna pecunia, ideo ex eius hæreditate legatus triginta millia aureorum adiunxit illi

Wladislaus ex genere Piasti Endiuioni in monasterio.

Ingens pecuniæ summa exigitur & Romam ex Polonia exportatur.

adiunxit illi summæ. Insuper octo alia millia annua pactus est Pontifex, donec aliquis Prædislao successor daretur. Cuius approbationē ob id Pontifex in septimum annum distulit. Motus eo exemplo Ludouicus Rex, susceпturusque bellum contra Lituanos, ab Episcopis subsidia ad tam pium bellum contra Barbaros petit. Sed nihil impetrat. Verebantur enim Episcopi, ne munifica ac voluntaria ipsorum contributiò in morem, & mox inde in legem abiret. Nihilo tamen minùs prosequitur institutum bellum contra Lituanos Ludouicus. In qua expeditione orto inter Hungaros, & Polonos iurgio, Petrus Safranecius in faciem ab Hungaro quopiam vulneratus fuit. Cumq; res ad seditionem spectare videretur, Petri dolorem Rex leniens, donat ei territorium cum arce Pieszkovva ſtáſá. Septem vexilla Topororum familiæ in illa expeditione fuisse feruntur. Sub idem tempus cathedra Præmislienſis & Wladimirienſis instituta, Gregorio Papa annuente. Porrò Archiepiscopalis sedes in Russia Haliciæ constituta fuit. Hæc Ludouicus ideo faciebat, quod iam inhiaret Russiæ, quæ ei ob fertilitatem soli supra modum placuerat; & propterea eò expeditionem antea ipsemet susceperat. Nam Archiepiscopo Haliciæ, in sede nimirum veteri Colomani Hungari regis, vt supra commemoratum est, residente, facilè omnem Russiam, quam iam animo conceperat, dicto obedientem sibi fore pollicebatur. si inquam Archiepiscopus istîc ex ipsius sententia resideret. Suspecta ea res fuit Polonis, quod attinet Russiam. Sed mussantur fere principum & potentiorum iniuriæ. Adiecit & aliud enorme, quo magis exasperatos Polonorū reddidit animos, quòd Wladislaum Opolienſem se absente gubernatorem regno præfecit. Negarunt Poloni se homini externo, quem ipsi sibi principem non constituissent, parituros esse. Eò accessit & ecclesiastici ordinis murmur. Nam, cum liberatos se à Boleslao Pudico ab omnibus contributionibus sæpius allegarent, Ludouicus tamen absens, vt aliquid ab eis emungeret, consilium illud est secutus: Magnū petas, vt æquum obtineas: Imperauerat enim eis dimidium veteris exactionis; hoc est senos grossos in singula iugera; vtque ita exigerentur, quæstoribus edixerat. Cum illi iniuriam sibi fieri quererentur. Respondit, se gratiam illis fecisse non iniuriam. Nam cum duodecim grossos veteri instituto cogerentur numerare, ille dimidium tantùm exigebat. Cum autem immunitatem ab eo donatam, regno datis diplomatis, vrgerent, Respondit, eos eam gratiam tum, cum hæc generatim omnibus donarentur, refutasse. Ita vltrò citroque commutatis verbis, eo res recidit, vt ex duobus malis minus eligendo, maluerint duos grossos vnà cum reliquis ordinibus contribuere, quàm, nouis artibus circumscripti, ad grauiora onera pendenda cogi. Nam Pudici priuilegia, & immuni-

Hæc eadem exactio Regi negatur.

Prorex vel gubernator Regni.

Ecclesiasticus & politicus ordo offensus.

tates,quę ſacro ordini conceſsę fuerant,non admittebantur;eò quòd ille fuiſſet princeps partis Poloniæ,non totius: itaque coronati Regis locum minimè tenuiſset. Aliam autem faciem rerum ſubſecutam eſse. Quare nouum caſum nouo remedio indigere. Hi colores tum excogitati fuerunt.

1380. Poſt hoc tempus machinam æneam,quæ à ſono terribili Bombarda vocatur, Germanus homo apud Venetos excogitauit. Ludouicus Polonis Budæ Comitia indicit ad medium quadrageſimæ. Erat hæc res noua, multaque ſecum incommoda trahebat; ad exteras oras per tanta locorum interualla Senatores euocare, veris præſertim tempore. Conſtituti tunc ſunt Triumviri, penes quos ſumma rerum in Polonia eſſet.

1380. Zauiſsa Epiſcopꝰ Cracouienſis in prędio ſuo Dobrouoda, ſeu repentino & vehementi morbo, ſeu de ſcala lapſus (variat enim fama) cum aceruum fortè ad conſtuprandam ruſticanam puellam aſcenderet,extinctus eſt. Et cum funus eius pompa militari efferretur ab amicis,auditæ ſunt voces dæmonum vociferantium: Proficiſcamur meretricatum. Auditi ſunt tum & ſtrepitus, & hinnitus equorum. Poſt hunc Ioannes Gneſnenſis Archiepiſcopus, homo præcipiti iracundia, & in eccleſiaſticos homines dictis & factis contumelioſus,deceſsit. Ludouicus Rex cum languere ſe, & ſenſim deſtitui viribus ſentiret,indictis Comitiis Zvvoleni in Scepuſio,frequenti ſe natu Mariam filiam natu maiorem, & vnà cum ea Sigiſmundũ ſponſum eius,MarchionemBrandeburgenſem,ſucceſsorem in regno Polonorum deſignat. Sed Sigiſmundus non ſuo ordine, & ante tempus agens negotium, magnum obicem in hoc adeundo regno ſibi ipſi poſuit.Interim Ludouicus Tirnauiæ,vbi cum Hungaris Comitia celebrabat, 15. Septembris moritur. Regnauit in Polonia duodecim annis. Statura fuit mediocri,prominentibus oculis,atque labris;capillo, barbaque criſpa; ſereno vultu,humeris parum incuruis,moribus temperatis,in ſupplices clemens, maleficio iuxta,ac beneficio ſe ſuperari haud patiens. Nihil vnquam inconſulta aſtrologia faciebat,in homines doctos fuit propenſior. Illud habuit peculiare,quòd nonnunquam, diſsimulato habitu, vicos & oppida perluſtrauit, vt cognoſceret,quid de publicanis & exactoribus, iudicibus & magiſtratibus ſuis, ac de ſe denique vulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaque ex horum ſermonibus in ſe ſuisque correxit, ac caſtigauit. Bulgaros, Boſnenſes, Serbios, Croatas, eos denique, in quibus ſolis nomen Slauorum hæſerat, ad officium ipſi parendi reduxit. Ita dominante eo,Polonia,& Poloniæ adiacentibus dominiis coniunctis, iterum, quaſi poſtliminio, gentes illæ, quæ quondam ad Slauonicam confœderationem pertinebant,veluti oues in vnum ouile

Ioannes Cneſ. Archiepiſcopꝰ.

Slauonice gentes ſub Ludouico in vnum corpus coagmentatæ.

ouile compulsæ, & rursum coactæ in vnum corpus coaluerunt.

INTERREGNVM.

SIgismundus Marchio Brandemgensis à Ludouico socero designatus, iam se propemodum pro Rege Poloniæ gerebat. Sed tribus rebus voluntates Polonorum à se alienauerat: Primùm quòd Demaratum, morosum hominem, præfectum Posnaniensem vt amoueret rogantibus nobilibus, surdis auribus audiebat. Deinde quòd eiici & remoueri ex cænaculo Polonos cibum sumpturus patiebatur: Postremò quòd sacerdotium quoddam in Polonia, repudiatis procerum precibus, homini Bohemo contulerat. Itaque maioris & minoris Poloniæ nobiles causa eligendi noui Regis in oppido Radomsko indicunt Comitia. vbi concluditur de stirpe Ludouici regem creandum; sed talem, qui in Polonia per se ipse regnum administraturus esset. Quo quidem verbo facilè Maria filia cum Sigismundo eius viro excludebatur, Sigismundus enim Hungariam simul obtinere cupiebat. In Wislicienſibus verò Comitiis, vbi ipse adfuit apertiùs repulsam passus, discedit. Et cum Cracouiam diuertere voluisset, exclusus est. Verebantur enim, ne dolo, vel accitis ex Hungaria militibus, eam in potestatem suam redigeret. Rediit ergo in Hungariã. Sumptus tamen ei de publico suppeditati sunt, dum per Poloniam iter facit. Ibi eum turbæ excepere. Inuenit enim Carolum Neapolitanum ab Horuato præfecto Croatiæ opera Reginæ interfectum esse. Polonia quoque maiortum à tumultu non erat liberata, ob Demaratum præfectum; qui etiamsi in Vislicienſibus Comitiis satisfacturum se omnibus receperat, tamen responsum retulit: Non aliter satisfacturum esse, quàm, si magistratu abiret. Itaque publico placito nobiles ei parere detrectabant. Secutæ sunt deinde cædes & prœlia inter Suiduam & Demaratum, interque Ziemouitum, & eos, qui Elizabetæ partium erant. Nam Archiepiscopus Bozenta, priuato consilio ad Ziemouitum transiens, regem eum Leciciæ renunciauerat. Et nisi exercitum ad sedandos motus ex Hungaria Elizabeta misisset, maior Ilias malorum & calamitatum adhuc secuta fuisset. Præstitisset tamen, si ipsamet veniſſet. quod quia non fecit; missus est ad eam Sediuoius Szubinius, vt maturaret suum aduentum. Sed, cum videret, se ambiguis verbis ab Elizabeta ductari, quodque peius est, ne rediret in Poloniam, vetari, ipse clam sese Iadera vrbe euoluens, fere intra viginti quatuor horas sexaginta miliaria bene longa, vt sunt Hungarica, crebro mutando equos, emensus, Cracouiam lassus peruenit, vt de omnibus Polonos certiores faceret. Sancitũ est igitur postea (& statuta dies octaua Maii) vt Heduigis altera Ludouici filia se sisteret, si regnare vellet. ni faceret, aliter

ret, aliter ſibi prouiſuros eſſe. Sed neque hac via aliquid perfectum eſſet, niſi iterum Szubinius, quem angebat nobilium iuuenum retentio, in Hungariam priuatim profectus fuiſſet. vbi perfecit, vt Heduigis in Poloniam rediret. Venit itaque comitata Demetrio tituli ſanctorum quatuor coronatorum præsbytero Cardinali, & Archiepiſcopo Strigonienſi, aliisque Proceribus Hungaris. Ad cuius aduentus famam exciti Polonorum proceres, vſque ad Sandeciam profecti ſunt. Deducta Cracouiam honorificè cum perampla ac ſplendida aurea & argentea ſtragulæ veſtis ſuppellectili, qualis decebat tanti Regis filiam, die ſanctæ Heduigis Legnicienſis ipſa Heduigis coronatur à Bozenta Archiepiſcopo magna omnium lætitia & fauſta acclamatione. Ita lenitum fuit in animo Polonorum regis deſiderium, propter ſuaues & liberales mores Heduigis Reginæ cum verecunda modeſtia, prudentia, decentique ſuauitate coniunctis. quarum virtutum non vulgare condimentum erat forma corporis eximia. Noua deinde cura procerum animos inceſsit de adiungendo Reginæ marito. Et iam quidem Vilelmus Auſtriorum dux, quem à pueritia in aula ſua educauerat Ludouicus, deſignatur ei maritus. Sed Iagello Lituanus huic antepoſitus eſt à Polonis. In ea deliberatione habita eſt ratio inprimis incrementi fidei Chriſtianę tum & acceſsionis magnæ prouinciæ ad regnum Poloniæ. Promittebat enim Iagello ſumma cum alacritate ſe & permiſſurum, vt ipſe primùm, deinde ſuus populus initiaretur ſacris Chriſtianis per baptiſmum, & Lituaniam regno adiecturum, ſi ei Heduigis in matrimonium daretur, verumtamen nihil citra ſenioris reginæ ſententiam his de rebus ſtatuere iuſſum eſt. Ad quam ipſa Heduigis quoque prouocabat, cum procerum poſtulationem aliter rectè refutare non poſſet. Sed illa optatum reſponſum Polonis dedit. Si, inquit, è re veſtra publica hoc fore exiſtimatis, non remoratura ſum veſtra commoda, neq; religionis Chriſtianæ incrementa præciſura. Interim Vilelmus Auſtrius, certior factus de ſtatu rerum Polonicarum, ac de propenſa Heduigis Reginæ erga ſe voluntate, cum ſplendido comitatu, & apparatu, magnisque diuitiis Cracouiam inopinatus venit. Sed arcis ingreſſu prohibitus eſt. Illa tamen eius videndi cauſa, luce clara, ſtipata ſuo aulicorum & puellarum comitatu, in cœnobio diui Franciſci conuenit. Fama etiam, ſiue vera ſiue falſa, vulgatum eſt, eam confirmandi matrimonii cauſa priùs, quàm Iagello appropinquaret, eò veniſſe: Sed quicquid erat, ſuaſu Demetrii Goraii regni Theſaurarii verentis, ne quid tale fieret, nihil actum eſt. Intelligens autem Vilelmus ſibi Polonos palam aduerſari, ſimul de aduentu Iagellonis certior factus, aliquanta interiecta mora, clam ſe Cracouia euoluit.

1386. Aduenit tandem Iagello Cracouiam 12. die Februarii vnà cum

nà cum Ducibus Ruſsis,& Lituanis, habens etiam ſecum fratres aliquot germanos, & Vitoldum patruelem. His comitatus Iagello eſt ingreſſus. In thalamoque ipſo Heduigem Reginam, magna cum admiratione eximiæ formæ eius, ſalutauit. Poſtridie autem ei dona perampla per Vitoldum, & Boriſsum & Svvidrigelonem miſit.

WLADISLAVS IAGELLO.

Anno ab orbe condito 5348.
Anno à Chriſto nato. 1386.

QVia omnibus in Polonia, qui ad regium munus efferri & coronari debent,antiquus mos eſt idemque pius & religioſus, vt antea per modum præparationis cuiuſdam peccata confiteantur ſua, ſacroſanctæque Euchariſtiæ ſumptione obſignentur:Ideo cum Iagellone idem mos eſt ſeruatus,idque eò magis,quòd Wladiſlaus antea gentilis erat. Nam & tota Lituania more gentium ignem pro Deo colebat atque ſerpentes; nihilque alienum in eis à gentiliſsimo erat. Hos igitur errores,Catechumenus cum eſſet Iagello, priuſquam cum Heduigi matrimonium iniret,vnà cum fratribus abdicare iuſſus,14. Februarii à Bozenta Epiſcopo ſacro fonte ablutus eſt; Chriſtianæque religioni initiatus, Wladiſlai nomen accepit. ac tum demum matrimonium ſolenni ritu cum Heduigi regina contraxit; Lituaniamque omnem vnà cum Samogitia,& ea parte Ruſsiæ, quæ in ditione eius erat, Poloniæ iure ſempiterno adiunxit,& in vnum corpus redegit; iureiurando interpoſito, & obſidibus datis ipſo Vitoldo,& Lubarto.Nam veteres tametſi ad eam perfectionem ſapientiæ exquiſitam non peruenerant, de qua præſens ſeculum gloriatur, ita tamen cauti erant, vt vnicè cauerent, ne Reſpub. quoquo modo decepta, detrimentum aliquod irreparabile pateretur; néue ſub ſpecie religionis deciperetur. haud facilè perſuaſi, quantumuis noui hoſpites demiſsè ad aram ſtarent, & ſuſpiria ducerent (forſan ad conſpectum formoſiſsimæ virginis) liberaliterque multa de ſe deierantes pollicerentur. Quarto autem die poſt, inunctus ab Archiepiſcopo diadema regium nouum ſuſcepit. Nam vetus,in Hungariam à Ludouico aſportatum, nondum ad eam diem reportatum erat.Sequenti die in vrbem ſolenni pompa deductus, ſolio in foro poſito collocatus,iuſiurandum à Cracouienſibus & oppidanis de more accepit. Poſtea indultum eſt conuiuiis & choreis. Per eos dies Cruciferi ab Andrea fratre Iagellonis, qui apud Ruſſos religionem Chriſtianam profeſſus erat, concitati,Lituaniam hoſtiliter inuadunt.Sed dedit poſtea Andreas temeritatis pœnas toto triennio Checinenſis carceris ſqualore confectus. Iohannes etiam Venetius, gente Polomenius,iudex Poſnanienſis,qui propter iniuſta iudicia,& ſcelera perpetrata cruen-

Iudex cruentus Dæmonvocatus.

petrata cruenti dæmonis cognomen meruerat, à Posnanienſi conuentu confiſcatione bonorum, & carcere multat⁹ eſt. Laudatur hoc tempore pietas Heduigis reginæ; quæ, cum videret, Regem maritum ecclesiasticorum bona, barbarico adhuc more, pignoris nomine occupasse ac cepisse, ob negatam ei ſtationem vt vocant, eum vt pignus dissolueret deprecata est. Cum igitur ille pignora capta reddi iussisset, ibi illa ſuſpirans: Pignora quidem reddimus inquit, agrestibus; cæterùm lachrymas quis eis reddet? Pium Reginæ dictum, & sempiterna memoria dignum. Profectus eſt deinde Rex cum Regina in Lituaniam. Vbi Apoſtoli, & Euangeliſtæ officio functus, ita elaborauit in promouenda fide Chriſtiana, vt etiam ipſemet eis interpretatus ſit ſymbolum Apoſtolicum. Cum autem immensi esset laboris singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic bonos habitus eſt, reliquum verò vulgus cateruatim diſtributum aqua ſacra à ſacerdotibus aſpergebatur; vnumque nomen cuique cateruæ, tam virorum, quàm mulierum, imponebatur. Ad quod diuinum opus vt alacriùs eos Rex inuitaret, pannos laneos nouos, & calceos eis largiebatur, cum ad eum diem iſtis carerent, & peronibus, vt hiſtoria teſtatur, magna ex parte vterentur. Vilnæ demum Basilicæ extructæ & Epiſcopatus inſtitutus eſt. Reuertens Iagello in Poloniam Leopoli Petrum Palatinum Moldauiæ, ſeu Valachiæ cum proceribus ipſius, ſolenni iureiurando adactos in fidem & clientellam ſuſcepit.

PRIMVS CONVENTVS.

Dixeram ſuperiùs, me deinceps res Lituanorum, per ſeriem Comitiorum, inſtar epitomes, conſignaturum, hoc iam nunc præſtandum eſt. Nam hiſtorici varia methodo texere ſolent hiſtorias; alii per Pontificum vitas; alij per Imperatorum mutationes; alij per Regum ætates procedunt. nos hîc per comitiorum, ſeu conuentuum celebrationes rem totam ediſſeremus. Iagello igitur Magnus Dux Lituaniæ, feſſus & fatigatus tot calamitatibus, tàm à Cruciferis, quàm à fratribus illatis, qui coniuraſſe videbantur in eius patriæ perniciem, de Heduige Ludouici regis filia ducenda conſilium capit; vt ita ampliſſimi regni amicitia munitus, hoſtes ſuos, tam extraneos, quàm domeſticos, facilè contemnere ac compeſcere poſſet. Senatus Polonici hîc ſumma prudentia, & prouidentia commendatur; quòd conficiendis nuptijs iſtis, non modò priuatas vtilitates, & bella Cruciferica tolli poſſe iudicarunt, ſed etiam Septemtrionales gentes, quæ etiamnum ethnicæ ſuperſtitioni mancipatæ erant, ad religionem Chriſtianam conuerti poſſe ſperarunt. Et ſanè, quæ Pontifices cum Imperatoribus tot bellis, & impenſis præſtare non poterant, hoc ſalutari eorum conſilio perfecta ſunt. Pax reſtituta, Chriſtianorum res

ſtianorum res auctæ ac propagatæ, & omnes bellorum cauſæ tandem ſublatæ. Quod quibus modis, quibusúe medijs confectum ſit, ex breuiſſima ſuo ordine ac per temporum ſeriem deſcriptione decem comitiorum, quæ in ea cauſa coacta ſunt, iam patebit. Fuerunt quidem & aliæ poſtea expeditiones, & bella Grinualdica & Choinicienſia; nec ſtatim hoc vlcus ſanari potuit. ſed deſcribentes acta comitiorum celebriorum, expeditiones etiam iſtas in tranſcurſu breuiter conſignabimus, oſtendemusq;, quando, & per quos hæc bella finita fuere, & templum hoc Iani occluſum. Nam hoc plurimum facit ad amplificanda merita nationis noſtræ apud omnes Principes Hierarchici ordinis. Sicut enim antea Chriſtianos proficiſcentes ad bella Orientalia contra Saracenos noſtri iuuerunt; ita hæc Septemtrionalia ante Cruciferorum huc aduentum humeris ſuis ipſi ſuſtinuerunt, & poſt deiectos Cruciferos Septemtrioni pacem ideoq; omnibus Chriſtianis reſtituerunt. Primus igitur conuentus fuit in negotio vnionis circa coronationem Iagellonis. Quid autem ibi tractatum, & concluſum fuerit, ex conditionibus inter Polonos, & Lituanos, in priuilegijs, & Chronico Lituanorum expreſsè liquet. Quarum prima & præcipua fuit, vt ipſe Iagello cum ſuis fratribus & dominijs Chriſtianus fieret. Secunda, vt ipſe cum omnibus dominijs ſuis ſtatim ſe vniret, incorporaret, inuiſceraret (ſic enim priuilegia loquuntur) ad regnum Poloniæ. ita vt pro vno denique dominio reputentur; & ea, quæ Lituani rapuerant, & auulſerant à regno Poloniæ, reſtituantur; hoc eſt arces ciuitatesq; & præcipuæ Ruſsicæ prouinciæ, nec non & Podlaſia; captiuiq; inde abducti liberi dimittantur. Tertia, vt terræ Sylleſticæ, Pruthenicæ, & Pomeranicæ à regno Poloniæ tempore interregni, videlicet poſt diuiſionem inter poſteritatem Regum, auulſæ omnino recuperentur. Quarta, vt Iagello theſauros omnes ſuos, quos habet, & habere poterit, in Reipub. vtilitatem conuertat. Cum his conditionibus totidem fere verbis expreſsis, Poloni cum Lituanis ad Iagellonem ſunt dimiſſi. quas vbi ille expreſsè ac luculenter comprobauit, relatumq; eſt, ipſum nec breuem ſtatura eſſe, nec deformem, ſicuti in vulgus & potiſsimùm apud Reginam ab aduerſæ factionis hominibus ſparſum fuerat, quin potiùs vtrumque commodius reperiri, cuncti hoc nuncio, et Regina ipſa exhilarati ſunt. Cõſcriptæ ſunt deinde tranſactiones, iuſiurandum datum & acceptum, vades, & ſponſores interpoſiti. ſicuti latiùs apud alios, & in hiſce annalibus noſtris deſcriptum habetur. Paſsim autem ad commendandum Principem ſuum paranymphi Iagellonis iactabant, Iagellonem, quod multis principibus viris petentibus hactenus negauit, id eum Heduigi, & matrimonio eius daturum eſſe, vt ſe Chriſtianis myſterijs initiari ſit curaturus.

1390. Antequam Rex iret in Lituaniam, interceſſerat ſimultas quædam inter Regem & Reginam. Delata enim fuerat Regina apud Regem & probri inſimulata, ac ſi, illo adhuc abſente Vilelmum AVSTRIVM clam Cracouiam venientem, ad ſe admiſiſſet: ſed Regina ea de re iureiurando Regi ſatisfecerat; & delator, cum documentis deſtitueretur, &, ſe dixiſſe, negare non poſſet, mentitum ſe eſſe, clara voce latratu de more ſub ſcamno edito, profeſſus erat. Eſt verò apud Polonos antiquitus ea grauiſsima & plena dedecoris pœna. Ita amor coniugalis poſtea inter eos redintegratus fuit. Abſente Rege, Elizabeta, exercitu comparato, in Ruſsiam perrexit, & Leopolim, aliasque vrbes in poteſtatem ſuam redegit; Hungaris, & Syleſiis deiectis, quibus præfecturæ à Ludouico commendatæ fuerant. Eodem tempore Lancaſter Anglorum Regis filius, & Francones, Teuthonesque opinione piæ militiæ contra Barbaros à Crucifcris illecti, cum triplici exercitu in Lituaniam hoſtiliter veniunt. Aduerſus quorum vim Nicolaus Moſcorouius cum aliis Polonis ægrè arcem Vilnenſem defendit. Non erat tunc ita abſurdum, idque ob vim arctæ illius vnionis vtriuſque gentis, in Lituania præfecturas Polonis commendari. Nam & poſt Moſcorouium Iohanni Oleſnicio gente Debino, præfectura Vilnenſis à Rege commendata fuit.

Præfecti Vilnenſes ex nobilitate Polona.

1391. Per idem tempus Croatæ, Boſnenſes, Bulgari, Valachi, atque Tranſalpini imperium mulieris, & externi regis Sigiſmundi aſpernati, ad defectionem propendent; & Heduigem, vt veram hæredem Hungariæ, agnoſcunt. Sic Bazarabiæ Palatinus cum ditione ſua in fidem, & clientellam Wladiſlai regis, Heduigisque reginæ concedit. Quæ ideo adnoto, vt melius res Slauonicæ, quo in ſtatu fuerint, etiam poſt mortem Ludouici, cognoſci poſsit. Et exiſtimo, in gratiam & fauorem harum gentium, ſub idem tempus ſacra Slauonicâ linguâ Cracouiæ in templo ad ſanctam Crucem ab eadem Heduigi prudentiſsimo conſilio inſtituta fuiſſe. Nimirum vt commendabiliorem ſe eis hoc pacto redderet. Hoc miniſterium & cantus Slauonicus retentus fuit vſque ad tempora Dlugoſsi Hiſtorici; quod idem atteſtatur autor. Ruſsiæ pars, & cum ea Belzenſis præfectura ſub idem tempus Ziemouito Mazouiorum Duci, aſſentiente Regina, donatur.

1392. Wladiſlaus, vt ſe moleſtia belli Lituanici liberaret, cum fratres germani ignaui, & venationibus tantùm dediti eſſent, Vitoldum patruelem Lituaniæ Ducem declarat, qui fidelitatis iuramentum ei præſtat.

Lituaniæ Dux Regi iuramentum præſtat.

1394. Vitoldus iure precario à Wladiſlao Rege Cameneciam impetrat in feudum. Nam Cazimirus Magnus iamdudum vnà cum Ruſsia eam poſſederat.

1396. Sigiſmun-

1396. Sigiſmundus Rex Hungariæ, ne ſibi à Turcis Bulgariam Raſciamque auferri pateretur, coacto exercitu ex variis nationibus, infeliciter cum Baiazete Turco pugnauit ad Nicopolim. Nam Galli, cum ſibi, honoris cauſa, primum agminis locum in eo prœlio depoposciſſent, atque impetraſſent, vbi ſe eis in conſpectum Turcici præcurſores obtuliſſent, non expectatis phalangibus Germanicis, & equitibus Bohemicis, Poloniciſque, à Baiazete lunata acie (vt fert eorum conſuetudo peruetuſta) partim cæſi, partim capti ſunt. Hoc infelici caſu perculſi cæteri, diffugerunt, & ipſe Sigiſmundus exutus caſtris, & omnibus ſpoliatus ornamentis regiis, in parua nauicula vix euadens, incidit in claſſem Venetorum, quę eum reduxit. Hæc acta ſunt ad Nicopolim Bulgariæ metropolim. Laudatur in eo prœlio animoſitas Scyborii Poloni, qui fugit gente Stoius. Hic ſequens fugientem Regem, cum nauiculam ingredi non poſſet, & Turcæ imminerent, ita vt erat armatus in Danubium ſe proiecit, & enatauit, charuſque poſtea Sigiſmundo fuit. Baiazetes autem paulo poſt apud Stellam montem celebrem victoria Pompeii de Mithridate memorabili prœlio victus eſt à Tamerlane Scytharum Imperatore, & in ferrea cauea in modum feræ per Aſiam circumuectus. Vitoldus etiam cum Fledigа Scytha Tamerlanis legato eodem tempore infeliciter pugnauit: Vbi fortiter pugnans Melſtinius, cum euadere poſſet, occubuit. Cum enim ei, quòd timidus eſset, commilito quidam Sciucouius, obieciſſet, eumque illectum venuſtæ vxoris amore terga daturum in pugna auguratus fuiſſet, eò quòd pacem Melſtinius ſuaderet Vitoldo ineundam cum Tartaris, ipſe quidem augur ex pugna retulit pedem, aufugitque, Melſtinius autem inter confertiſimos hoſtes, vt optabat, maluit occumbere. Annotatur autem hîc, quòd paulo ante à Vitoldo Scythæ illi Lituanici fuerant traducti, & ſupra Vaccam collocati non procul à Vilna.

Locus ille Coſſonaſi à Turcis vocatur, hoc eſt Anſerum campi, quod id genus volucrum ſtatis anni temporibus eo conuolent, vt totis agminibus in Europam commigrent.

Melſtinij mors heroica.

1399. Per idem etiam tempus Heduigis Regina circa partum mortua eſt. Hæc mirificè ob id laudatur, quòd Reginis Poloniæ exemplum ducendæ vitæ perfectiſsimum reliquerit. Fuit namque Heduigis pietate & ſanctimonia vitæ prædita; ab omni faſtu, leuitate, & iracundia aliena; ocii iuxta ac alienorum à ſuo ſexu atque dignitate negotiorum fugiens. Tempus omne ſuum, vel in diuino cultu, aut lectione eorum, quæ ad pietatem, moresque formandos pertinerent, vel audiendis & leuandis viduarum, pupillorum, & aliorum miſerabilium querimoniis & calamitatibus impendebat. Pragæ domum peramplam Lituanis erudiendis condidit. Academiæ Cracouienſi perficiendæ multa legauit. Ieiuniis aliisq; exercitiis Chriſtianis vacauit. Præter autem alia ſigna ſanctitatis eius, illud memoratur, quod, Cruciferis in quodam conuentu ferocientibus, & iuſtas conditio-

nes pacis aſpernantibus,prophetico ſpiritu cladem illam,qua poſtea illorum vires fractæ conciderunt,prædixerit; inquiens,ſe quidem viuente, pro ea audacia nihil aduerſi eos paſſuros; poſt mortem verò ſuam maximis cladibus illa omnia expiaturos.

3400. Iuſtis Reginæ peractis, Wladiſlaus mœſtiſsimus, de retinendo regno dubitabat, mortua hærede. Neque enim ignorabat, ſe externum hominem,propter vxorem apud liberrimam gentem regnaſſe;ſed à Senatu recreatus,& meliora ſperare iuſſus,acquieuit ſententiæ eorum.

SECVNDVS CONVENTVS.

1401. *Conuentus ſecundus in negotio eiuſdem vnionis fuit Vilnæ celebratus, quò Wladiſlaus ſe contulit, vt promiſſa pactaq; conuenta cum Vitoldo, & Lituanis ſuo, Polonorumq; nomine renouaret. Vbi promiſſum & litterarum monumentis cautum eſt, vt ſi Vitoldus abſque liberis decederet, in Regis & regni Poloniæ poteſtatem venirent omnia, quæcunque is poſſediſſet, vna cum magno Ducatu, excepta dimidia parte Nouogrodiæ cum quatuor prædijs quæ Sigiſmundo Vitoldi fratri cedere debeat. Ea tamen lege vt Regi & regno Poloniæ ſit ſubiectus. Exceptis etiam bonis dotalibus Annæ vxoris Vitoldi,quæ poſt eius demum obitum ad Regem & regnum deuolui deberent. Hæc acta eſſe anno* 1401. *litteris ea de re tunc conſcriptis & obſignatis confirmatum eſt. Deplorant hic quidam ſcriptores, & conqueruntur, Lituaniam fuiſſe tunc hac tranſactione circumuentam: erratumq; hoc, vt illi vocant,in Senatorum Lituanicorum ſimplicitatem reijciu nt. At mulier, ſi pudica eſt, minimè dolere debet, quòd aliquando vni nupſerit. Floret pace, opibus, & gloria nihilominus vt Poloniæ regi pareat, magnus ille Ducatus,& gratulari ſibi debet,quòd hac ratione tandem Dei Optimi Maximi beneficio liberatus ſit ab illis Crucifericis, ne dicam tartareis furialibusq; bellis, incendijs, vaſtationibusq;, quæ eam Lituaniam circiter ducentos annos exercuerant, ac vexauerant miris modis; &, quæ res peior erat, à ciuilibus bellis,& funeſtis lanienis Regulorum ſuorum. Certè Vitoldus non fuit humilis animi. ſi circumſcriptum ſe ſenſiſſet,erratum hoc in Hrodlenſibus Comitijs correxiſſet.quod tamen non fecit,imò firmiori aſſenſu,& ſolenni ratihabitione confirmauit,ac roborauit vnà cum alijs;vt inferius patebit. Quod autem ex Latopiſcijs ſeu Annaliſtis, qui millies errorũ grauiſſimorum conuicti ſunt, de conuentu Præmiſlienſi commemoratur; ſcriptores, qui veluti publica fide nobis hiſtoriam tradidiſſe videntur, nihil ea de re nobis reliquerunt.*

1401. Secundæ

1401. Secundæ nuptiæ Wladiſlai cum Anna Ciliciæ Comitis filia, quibus nuptiis Anna mater ſponſæ, Cazimiri regis filia interfuit. Non ſtatim verò poſt ſponſalia hæ nuptiæ fuerunt. ſed ſponſa priùs octo menſes linguam Polonicam didicit. Eodem anno Academia Cracouienſis excitatur. Per hoc tempus Venceſlaus Caroli Imperatoris filius, qui poſt patrem annos viginti duos imperium tenuerat, ab eoque tandem propter ignauiam remotus fuerat, totus compotationibus deditus; adeò vt cum aliquando accepiſſet de quadam arce ſua nuncium, eam conflagraſſe, non quidem de rebus maioris momenti, quomodo ſe haberent quærit: ſed tantùm de vino ſollicitus, an cella vinaria incendio ſuperfuiſſet eueſtigiò interrogat. *Altera vxor Iagellonis.*

1402. Wladiſlaus Rex templum corporis Chriſti Poſnaniæ erigit. Quòd, inquit, iſtîc corpus Chriſti in pratis Poſnanienſibus repertum fuit. Referunt autem ciues Poſnanienſes, tunc Regem ipſum Poſnaniæ fuiſſe. cumq; eodem in templo die Aſcenſionis imago reſurrectionis ſurſum funibus iuxta morem auitum eius feſti trahere tur, interrogaſſe fertur, cuius eſſet ea imago. Reſponderunt, Dei. Tum ille, Detis ei, inquit, candelam. Cum verò Diabolus in ſpecie Draconis deiiceretur ex ſummitate templi, rurſ⁹ interrogauit, quid ſibi hoc vellet, Reſponderunt, eſſe Diabolum cælo deiectum. At ille, Detis ei duos cereos. Interrogatus quid ita? Reſpondiſſe fertur Polonico idiomate: Sluż Bogu á dyablá megnieway/ ideſt: Deo ſeruias, Diabolum ad iram ne concites. Quanquam id de Diabolo iniquiſsimo illo iudice Poſnanienſis prouinciæ dictum eſſe quidam putant. Eodem tempore Wladiſla⁹, cum eſſet Toruniæ, dum obequitat, vt videret ſitum & munitionem vrbis, à muliercula quapiam ſeu caſu, ſeu data opera ſordibus perfuſus fuit. Et cum morti ob delictum illud deſtinaretur muliercula, ipſe impunitatem ei impetrauit. Raſtrale (vt vulgo appellant) ſeu agraria contributio, decem nimirum groſsi in ſingula iugera, imponitur, ex quo centum millia marcarum collecta eſſe memorantur. Tanta tunc fuit quæſtorum fidelitas. Hoc etiam tempore particularia comitia inſtituta fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Wladiſlai item cum Venceſlao Rege Bohemorum Wratiſlauiæ conuentus, non ſine admiratione Bohemorum & cunctorum hoſpitum, celebratur. Nam cum Marſalcus regius præceſsiſſet Regem, comitatus ſexcentis haſtatis: Rex Bohemiæ ratus, iam ante vrbem adeſſe Regem, prodiit.

De bello Grinualdico Polonorum Lituanorumq; cum Teuthonibus ordinis Cruciferorum, & cauſa belli.

Cauſa belli ma-

CAusa belli magni Pruthenici liquet ex legatione & colloquio Archiepiscopi Gnesnensis, quod habuit cum Crucifer ris. Cum enim Archiepiscopus dixisset, Regis, non Vitoldi proprium & hæreditarium esse dominatum Lituaniæ, & proinde desinerent Lituaniam infestare: Magister excandescens ad hæc verba, feroci vultu, & ore tremulo statim se arma Lituaniæ illaturum minatur. Cui Archiepiscopus non ferens Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere: si arma contra Lituanos ceperis, vicissim arma nostra domi senties. Ad hæc regessit Magister: Cum ita dicis, caput ergo potiùs petam. Ex hoc colloquio liquet, Lituaniam fuisse præcipuam causam suscepti belli; quòd eam infestare & diripere Cruciferi non desinerent. Sed Venceslaus Rex Bohemiæ, arbiter huius controuersiæ electus, eandem auxit, & maius belli excitauit incendium; dum nulla habita ratione iustitiæ, & æquitatis, pro Cruciferis fert sententiam. qui insuper ineptissimè, quæ extra controuersiam erant, adiungit; vt Poloni scilicet non nisi ex Occidentalibus oris regem sibi deinceps peterent. Desperata igitur æqua pace, Wladislaus, dimissis in omnes partes litteris, restibus de more alligatis, expeditionem cunctæ Poloniæ edicit. Incidit tunc quæstio in Senatu, an mercenarii milites externi deberent aduocari ad hoc bellum. Sed Zbigneus soluit hunc nodum: Si, inquit, vicerimus, non nos, sed hostes eis stipendia præstabunt. Sin verò victi fortè fuerimus, an erunt, qui pro cæsis captisque, ea petant? Atque ab eo tempore consilium hoc Zbignei à senatu regio comprobatum, in eiusmodi casu locum obtinuit. Laudatur etiam hîc Polonorum factum; qui possessiones peramplas in Hungaria à Sigismundo habentes, cum intelligerent, eum ad violandum fœdus cum ipsorum Rege pronum esse, raro exemplo & memorabili, omnibus bonis suis in Hungaria valere iussis, & Sigismundi pollicitationibus spretis, patriæ suæ auxilia laturi accurrerunt. quibus Wladislaus liberalitate, & gratitudine postea respondit. Ituri ad bellum, Archiepiscopum tum gubernatorem Poloniæ ac veluti interregem aliquem reliquerunt. Poloni, Vitoldus, & Lituani ad Cernecense monasterium cum regio exercitu conueniunt, nauali ponte iuncto. Cruciferis interea consilia agitantibus, omnes bellum paci anteponunt, excepto Comite Vendensi; qui propter vsum rerum & annos prudentior, dissentiebat ab aliis pacem suadens, & communem esse Martem, dubiumque euentum belli, dictitans. In quem Varnerus Commendator inuectus. Poteras, inquit, cum isthoc animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere; At ille, ego, inquit, quæ recta & vtilia iudico in medium consulo. Verumtamen, si aliter aliis videbitur, ita me Deo propitio geram, vt genere meo dignum erit. Tu vide, ne sis dictis, quàm factis, fortior.

Archiepiscopus pro conciliatore pacis Fecialem agit, edicens ante tẽpus bellum.

Iniquum regis Bohemi arbitrium.

Deliberatio de externo milite

Primatus vtilitas tempore belli & interregni.

ctis,fortior. Intercepit rixam Commendatorum Sciborius; pacemque enixiùs suadere cœpit. Sed eum quoque,licèt tum oratorem, Magister increpuit,inquiens:Polonus cum sis,rem Polonorum agis. In exercitu porrò regio cum ex Lituanis quidam prædas in Polonia agerent, ædiculamque sacramenti alicunde abstulissent,ipsumque sacramentum profanè abiecissent, clamare ac fremere cuncti cœperunt,nisi plectantur latrocinantes & sacrilegi, militiam se desertu-ros esse, nec in castris sic impiis commoraturos. quo clamore & fremitu commotus Rex, autores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Lituani,Vitoldi iussu,ipsi sibi patibulum excitant, & suis vterq; manibus barbaro, sed patrio tamen more, sese suspendunt,obiurgantes interim se mutuò, quòd lua cunctatione iram Principis in se magis accenderent.quasi is morte atrocius etiam aliquid ampliùs in eos statuere posset. Interea dux belli supremus cum imperio,Zindramus Mascouius Ensifer Cracouiensis, ortus ex familia, cuius est insigne sol,declaratur. Erat is statura parua, sed ingenti spiritu, & rei militaris admodum peritus, homoq; planè industrius. Priùs igitur passim proceribus inter se deliberantibus & tantum munus suscipere detrectantibus,ille tandem ad se omnium consensu delatum cunctans, & summa modestia alios præferens,suscepit. Deus det huic seculo tam prudentes & ab omni ambitione & labe alienos viros. Adiungitur Duci supremo belli consilium castrense;in quo,tanquam in comitiis,de summa rerum statuebatur. Tertiò edictum publicum conscribi tur & promulgatur, cuius capita longum esset hîc referre. Verùm in libello nostro Campiductoriæ hoc, & alia complura huius belli descripta reperies. Ibidem, causæ quoque explicatæ,cur ante conflictum illi Teuthones præmissi sint cum tibicine ad exercitum regium cum illis duobus gladiis. quos, cum Regi offerrent, is vt boni ominis rem ab eis accepit. Tali autem ad Deum oratione non sine lachrymis & suspiriis excitasse suos ad prœlium fertur. Deus Optime Maxime, inquit, non modò factorum, atque dictorum, sed & cogitationum omnium cognitor. Tu mihi testis es certissimus, me inuitum ad hoc bellum cum Christianis, vtcumque licèt Christianis,gerendum descendere. Tu etiam nosti consilia pacis me nunquam defugisse. Sed quando nihil apud istos mansuetudine profeci,arma sumere coactus sum, tuisq; auspiciis vexillum hoc nunc explico. Tu, quæso, iustiori causæ faueto, & Christianum sanguinem, quos bellum vtrinque absumet, ab illis,qui bello causam dederunt,expetito. Hæc Rex, collachrymante omni exercitu. Abstersis tandem lachrymis, carmen patrium, cuius autorem Diuum Albertum fuisse referunt, cecinere. Interea à Zindramo Mascouio, & Vitoldo ducibus belli acies instructæ erant. Læuum cornu Poloni, dextrum Lituani

Zindramus Mascouius supremus Dux belli.

Oratio Regis ad Deum ante conflictum.

tenuerunt; eò quòd Sagittiferorum dexteritatem plus iuuat ad dextram esse. Quinquaginta fuere signa Polonica; Lituanica, quadraginta. In prima acie robur totius exercitus, & veterani milites collocati. Iamque signum pugnæ à Rege poscebatur, & iam bini ex aciebus procurrentes cum pari numero hostium manus conseruerant. Rex, peractis sacris, armatus in aciem prodibat, cum ecce duo aliunde progressi, intacti ad Regem perducuntur. Hortantur illi ne cunctanter & meticulosè pugnam ineat; duosque gladios offerunt, alterum Regi, alterum Vitoldo. Ne autem inter nemora cogerentur latere, promittunt etiam vias & spacia se dilataturos & ampliaturos regiis acie bus. Dumque illi obnixè orant, vt fides dictis ipsorum habeatur, non modico interuallo retrocedunt hostium acies. Rex igitur pius gladi os oblatos humiliter accipiens, ingemuit dicens: Quamuis armis omnigenis abundo, attamen hoc munus, quod præsagium victoriæ (Deo fauente) videtur, libenti animo accipiam. His dictis, classicum vtrinque canitur. Inde maximo clamore infestis signis concurritur. Tartari & Lituani arcubus suis, creberrimo sagittarum iactu æthera obumbrant. A Teuthonibus tamen in primo conflictu fugati sunt. In quorum locum Poloni armis munitiores & viribus recentes succesferunt. Hi tandem Pruthenas acies perfregerunt, & vndiq; circumdatas ad internecionem funditus prostrauerunt. Cæsa feruntur in eo prœlio quinquaginta millia. Magister autem Generalis, & Commendatores omnes (quos trecentos fuisse affirmant) capti sunt. Captus item Cõradus Albus Olesnicensis & Cazimirus Stetinensis Duces. Nec mirum cuiquam videri debet id, quod dixi de numero cæsorum. Nam centum quinquaginta millia hostium fuisse cæsa quidam scriptores tradunt. Tota Germania tum conspirauerat. Verba sunt D. Cromeri; cuius sententiæ cæteri omnes hac ætate historici, præcipui subscribunt. Huic bello nullum simile legitur in historia harum gentium. Zarnouius Bohemus, qui cum cohortibus Bohemorum, bello ferueſcente, secesserat, ob id infamia ita fuit notatus, vt ne vxor quidem coniugali thoro eum dignaretur. Attamen ista secessio Bohemorum nostris tum fuit bono. Nam Nicolaus Traba, qui eos latitantes obseruauerat, acriter obiurgando nomine Regis tunc iubet eos redire, cum adhuc plurimum in debellando restabat laboris. Hi ergo reuertentes in aciem noui exercit⁹ speciem hostib⁹ præbuere, terroremque addidere. De captiuis non est sumptum supplicium, nisi de duob⁹, Marquato Salisbergio cõmendatore Brand, & Schimbergio; nequicquam Vitoldum deprecante Rege. Nam in colloquio quodam prope Kaunam matri Vitoldi probrum obiecerant, & capti nihil de fastu suo remiserant. Fuit autem Mater Vitoldi Biruta nomine fœmina adeò honesta, vt etiam pro sancta à gentibus illis,

Ante prœlium initum visio quædam in cælo apparuisse fertur, monachi cucullati luctantis cum Rege. Sed victus monachus cælo deijcitur. Quæ res tum pro omine futuræ victoriæ accepta fuit. Qua de re vide apud alios.

tibus illis, dum virginitatis voto obstricta viueret, haberetur. Non temere igitur tantopere iratus est Vitoldus iis, qui eam probro afficiebant. Testatur D. Striconius, se in Samogitia Polondæ ad mare vidisse eius idolum; quod Suietos Byrutos à Samogitis & Curlandis vocatur. Narratque, illuc, quæstus causa, statis temporibus, Sacrificulos confluere in eiusque honorem cereos & alia hactenus offerre, & sacrificare. cum tamen illa ethnica fuerit, & ritu ethnico virginitatis votum vouisset. Huius patrem nomine similiter Birutum Iagello pro Voidilone Kiestuto strangulato ira feruens in monte ante Vilnam suspendit. Insequenti die post victoriam solennes gratiarum actiones cum hymnis, & aliis solennibus ceremoniis Deo omnipotenti exoluuntur. Hinc cæsorum funeribus cura impensa est. Inuentum est corpus Magistri Vlrici Comitis Vendensis; qui ita, vt prædixerat, fortissimè dimicans occubuerat. Alia corpora curribus impo sita Magdeburgum deuecta sunt; Rege mortem hostium, simulque rerum humanarum vicissitudinem piis suspiriis & lachrymis prosequente. Vexilla hostium, & aliæ exuuiæ ad perpetuam memoriam Cracouiæ in Basilica arcis posita sunt. De numero cæsorum ex Polonis sic Cromerus libro septimo. Et affinit Polonis sanè non obscurè diuinum nomen in eo prœlio. Nam præter Tartarorum, Rutsorum, Lituanorum stragem, quæ non parua fuit, de nobilioribus Polonorum ceciderc, inter quos Iacubouius gente Roscus, & Imbranius Ciulicius gente Cerinius maximè insignes fuere.

1414. Eiusdem Iagellonis temporibus Sigismundus rex Hungariæ, frater Venceslai, Caroli quarti filius Imperator, pacem Ecclesiæ restituere cupiens, plurima regna obiuit, vt concilium Constantiæ eorum quoque assensu conuocaretur. Fuit apud Gallum, apud Anglum, apud Polonum regem; Romæ quoque apud Pontificem. Ad hoc autem Concilium venit Iohannes vicesimus tertius Papa. Imperator ipse Sigismundus noctu die natalis Domini eodem aduenit; & in missa eiusdem diei nocturna Euangelium illud ipsemet, vti Diaconus, cantauit: Exiit decretum à Cæsare Augusto, alludens ad ea quæ ibi agebantur; cum eius cura & sollicitudine conuocatum fuisset vndique concilium illud. Aderant autem ibi à Polonis quoq; missi legati, & honorificentissimè ab omnibus sunt habiti. Pii tunc affectabant esse principes. Nam idem ipse Imperator amictus vestitu clericali Euangelium cantauit vt Clericus. Iagello verò Poloniæ Rex Lituanos propria voce in religione erudire in templo non erubuit.

Post talem & tantam victoriam Poloni modestè satis superque se gesserunt erga Cruciferos. Nam præter quàm quòd ex captiuis Nobilioribus tantum de Marquato commendatore & Schimbergio

ſumptum eſt ſupplicium, idque, vt dictum eſt, à Vituldo iuſtiſsimè illis irato, nequicquam interim pro eis deprecante rege, muneribus etiam, infinitis ii, qui Polonis ſeſe adiungere non recuſarunt, ſunt honorati. Nam & ciuitas Gedanenſis dimidium omnium emolumentorum molæ farinæ, agrumque vnius milliaris ſpacio circum vrbem, in mari etiam piſcationem per duo milliaria conſecuta eſt. Kinsberga, Torunia, Elbinga tunc in ditionem Regis venerunt, & aliæ à Cruciferis poſſeſſæ vrbes quamplurimæ, paucis exceptis. Plauenius tunc nobiliſsimus inter Cruciferos orationem habuit valde argumentoſam & meditatam. Cuius ſumma erat: Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Quem verſum inſcriptum aureis litteris in porta arcis Regiomontanæ ipſe vidi. Fuit & alia tum victoria Polonorum de Cruciferis ad Coronouiam celeberrima. Alia etiam ſub Golubio, quarum deſcriptiones infra habebis.

Tertius Conuentus,

1413. *Comitia Grodlenſia celebrata fuerunt poſt reditum Regis ex Hungaria; vnde Coronam veterem, ſceptrum, pomum, & Boleſlai gladium regni inſignia reportauerat. Horum cauſam hanc fuiſſe putant: vt videlicet cum maiore & celebriore ſolennitate renouarentur repeterenturq; denuo pacta inter Lituanos & Polonos. Nam illi conuentus ſuperiores, & ſi fuerunt celebres ſatis, tamen, ſi conferantur cum iſto, priuatum quiddam ſapere videntur. Ideo hîc & diplomata ijſdem de rebus ſunt confecta, & ob maiorem ſolidioremq; coniunctionem inſignia proſapiarum Polonicarum proſapiæ Lituanorum pro ſe quæque ſpeciatim accipiunt; ita vt in poſterum non tanquã ſocij nominis Poloniæ, ſed tanquam populares cenſerentur. Sed quid dico populares, quandoquidem & gentiles & cognatos atque adeò fratres, propterea quòd ijsdem ſignis militaribus ab vno quaſi adoptati: vnum aſsem, (vt ſic dicam) participent, dicere poſsumus. Nam hoc verba illa priuilegiorum huius coniunctionis teſtandæ cauſa confectorum, Incorporamus, inuiſceramus, vnimus, appropriauimus, innuere videntur. Quæ, inquam, verba ter & quater in ijs priuilegijs repetuntur; ne forte caſu ἐρχθὸν ὀδόντων. vt Homerus ait, effugiſſe viderentur. vt in poſterum nulla differentia inter Lituanum & Polonum relinqueretur. Ideo & electio Regis, vt poſthac vna foret Lituanorum iuxta ac Polonorum, ſtatuitur. quod vtique in prioribus cõditionibus quodammodo ſuppreſsum fuerat. Tunc verò Lituania verè liberam ſe factam fuiſſe profiteri potuit. Nam & bona terreſtria (quæ vocant) tunc ipſis ſempiterno & hæreditario iure à Rege attributa donataq; fuerunt. ita vt ea vendendi, commutandi,*

& donandi

& donandi facultas eis permitteretur: neque post mortem patrum possent deinceps eisdem à Principe priuari. Forsan enim antea precario à Principe ea possidebant, eisq;, quoad illi placuisset, fruebantur. sicuti apud Asiaticos hactenus fieri audimus. Item concessum, vt iure dotis vxoribus possessiones obnoxias facere possent. Hæc Comitia vocantur Polonica lingua ob summam celebritatem **Wálny Seym** hoc est comitia firmissima, quasiq; vallo quodam munita, Alij, vt rem minimè vulgarem tum accidisse existimetur, Gallico vocabulo Parlamentum, vbi videlicet omnia ad vnguem excutiuntur, vocant. Siue enim spectes hominum frequentiam, siue verborum formam in contractibus seruari solitam, siue cautiones, siue solennitates, nihil reperiri posse puto, quod ibi ad perfectionem addi possit. Qui in arcem illam Grodlum veniunt, videre possunt ibi picturam in quodam pariete, in quo Wladislaus ipse, & Vitoldus expressus est. Episcoporum etiam ibi depictus est ordo, quo alter alteri assidebat; tum etiam procerum aliorum dignitateq; aliqua præditorum subsellia. Ducum quoque & equestris ordinis consessus. Nam nunciorum terrestrium (quos vocamus) vsus nondum tantopere, vt nunc, obtinuerat. Subcamerarij enim, Iudices locorum, Vexilliferi, & alij officiales vulgò dicti eorũ munus supplebant. Eodem anno Rex, veniens Posnaniam, Petrum Episcopum Posnanienſem in delubrum seuocauit, & in genua procumbens, culpam ab eo deprecatus est, quòd eum sede Cracouiensi deturbasset. quæ res per se veræ virtutis plena, ac pietatis, dignitatem regiam & autoritatem minimè diminuit aut eleuauit; imò commentabiliorem reddidit.

1418. In hunc annum incidit expeditio 15. cõtra Cruciferos (quas expeditiones supra texere inceperamus) regis Poloniæ, regis Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ, Ducum Pomeraniæ, qui omnes, cum in castris essent, fœdus inierunt, contra Cruciferos.

Quartus conuentus post mortem Vitoldi.

1451. In rebus humanis nihil est ita firmum ac stabile, vt commoueri nequeat. vt in hoc exemplo videre licet. Diximus de Grodlensium comitiorum autoritate ac celebritate in negotio vnionis inter Polonos & Lituanos. Nunc quid mox euenerit, consideremus. Mortuo Vitoldo, cum Rex in Lituaniam ire instituisset, Swidrigelo frater ipsius, non expectato aduentu eius, vt à Lituanis in Vitoldi locum inauguretur, & curat, et perficit. quod ille fecit, vt vnionis illius quasi structuram à fundamentis nouo exemplo dirueret. Adiecit & alia nefanda. Adortus e-

nim Regem in conſeſſu verbis aſperis, caniciemq; eius nihil reueritus, vix manus ab eo abſtinuit. Polonis etiam, qui reliqui penes Regem manſerant, catenas & Siculas veſperas minabatur; hanc inſolentiam eius Lituanis fouentibus, aut ſaltem in ea conniuentibus. Largitionibus enim maximis eorum voluntates ſibi adiunxerat. Nec rex ipſe prorſus immunis ab ea culpa eſſe prædicabatur; ſiue quòd præ ſenio vigorem iudicij iam amiſiſſet; ſiue quòd impenſiùs Swidrigeloni fratri faueret, vt ei in Lituaniæ Ducatu ſuccederet. quod vt faciliùs agi & cõfici poſſet, maiorem partem Senatus Polonici, & in ijs Zbigneum Epiſcopum Cracouienſem, à ſe amandauerat. Igitur, cum hoc triſte nuncium in Poloniam perlatum eſſet, complures Regem inſultantes criminabantur ac dictitantes: Cõdignè hæc Regi accidere quod ſuo iumento, vt dicitur, ſibi periculum attraxiſſet. Pro innato tamen amore Polonis erga dominos ſuos fremere cuncti cœperunt. Inde delectum exercitus pro vindicando Rege agunt, vtq; ad condictum tempus cuncti ſe ſiſtant ad ripas Viepri fluminis ad pagum Kiany in Lublinenſi prouincia, edicunt. Liberatur interim Rex, qui quodammodo captiuus in Lituania detinebatur; et pla catonis loco mille ſcelis à Swidrigelone lenitus, dimittitur.

WLADISLAVS TERTIVS.

Anno à condito orbe 5396.
Anno Chriſti 1434.

NOuem ferè annorum erat Wladiſlaus cùm Rex declaratus eſt. Proinde eius coronatio turbas quaſdam dedit. Quidam enim contendebant propter teneram ætatem iuſiurãdum eum rite præſtare non poſſe, & idcirco coronationem differendam omnino ſuadebant. Verùm hic ſcrupulus exemptus eſt, producta tabella à Zbigneo è Cracouienſi Baſilica, in qua effigies Cazimiri Magni electi Regis impubis adhuc depicta erat. Proinde contradicentes refutati, rationibus deſtituebantur. interim tamen nectentes moras, vt præteriret dies, plures ex nobilitate ad ſe pertrahere conantur. Quod vbi animaduerſum eſt, Marſalcus Oleſnicius iubet, vt, quibus placeret coronare Wladiſlaum, ad dextram concederent, qui alter, ad læuam. Ita lis dirempta, cum omnes magno conſenſu Wladiſlaum coronandum clamarent; iuramentum tamen tunc ab eo non exigendum, ſed ad maturiorem ætatem id differendum. Interim autem placuit, vt Sophia mater, & primores pro eo fideiuberent, eum non prius ad regni gubernacula acceſſurum, quàm iuſiurandum rite præſtitiſſet.

1438. Vix ea ſopita controuerſia, alia emerſit inter eccleſiaſticos, & ordinem equeſtrem. Equeſtris ordinis homines Iaroſlai conſtitutiones vrgebant de decimis ex campis noualibus. Sed tandem illud tantùm

tantùm obtinuerunt tunc patroni ecclesiarum, ne obstringerentur conuehere curru suo decimam, neque delectum in frumento sacerdos haberet; modò ne data opera vitiosum ei daretur. Hoc tempore Podlasiam Polonis ademptam fuisse annotatur. Paulo ante dissidia in rèligione inter Bohemos Sigismundus Rex & Imperator curauerat sanari, introducta constitutione concilii Basilienſis, qua permitti tur vsus Eucharistiæ sub vtraque specie Laicis, vt vocant.

1440. Alberto Rege atque Imperatore mortuo, Hungari proceres assiduis precibus ad regnum Hungariæ suscipiendum Wladislaum inuitant & obsecrant. Re in consultatione Senatus posita, variabant sententiæ Senatorum, dissuadentibus multis, difficultatemq; duorum amplissimorum regnorum administrandorũ, & Turcici bel li magnitudinem exaggerantibus, Aliis Reipub. Christianæ negotium id requirere contendentibus, & rem gloriæ plenam non esse parui pendendam. ac præstabilius esse, Polonos Hungarorum armis atque periculo contra Turcorum vim sese tueri, quàm, illis proditis, & illo quasi intermedio pariete sublato, per se ipsos omnem maximi & difficilimi belli molem sustinere: Aderat fortè Amuratis Turcarum Imperatoris legatus, pecuniamq; & centum millia armatorum Wladislao offerebat, vt contra Hungaros susciperet bellum. Interim nuncium allatum est ex Hungaria, Elizabetham posthumum ex Alberto Cæsare peperisse. Et iam Rex abiecerat omnem de suscipiendo eo regno cogitationem; sed tamen victus est legatorum perseuerantia. Hoc tempore fames maxima occupauit Poloniam; ita vt vulgus tenerioribus foliis, & frõdibus arborum, & radicibus herbarum vesceretur. Attamen, rebus ita exposcentibus, in Hungariam iter Rex instituit; veniensque Budam, vrbem illam in suam redegit potestatem. At quia iam Ladislaus posthumus infans præcipitantia ma ris coronatus erat, Rex Wladislaus in Poloniam omnino cõstituerat redire, nolens esse Hungaris causa ciuilium bellorum. Verumtamen Hungarorum perseuerantiæ cessit. Renunciatur ergo, attollitur, vt vocant, & coronatur Rex. Interim Amurates non ignarus Hungaricorum dissidiorum, ciuilisq; belli, Bielogrodum obsederat; ad quem Rex Wladislaus Lucam Gorcanum, & Ostrorogum oratores suos mittit; postulans, vt ab obsidione discedat, pacemq; ac fœdus dudum vltro expetitum secum sanciat. At ille ferox cõtinuauit obsidionem in septimum vsque mensem; nec nisi strage suorum adactus, ab ea discessit. Secutæ sunt tres de Turcis victoriæ amplissimæ; vna ad Bielogrodum; altera in Transyluania; tertia ad Vascapum, vbi à regiis copiis magnis cladibus Turcæ sunt affecti. Capta est etiam à Wladislao Sophia, quam Sardicam nonnulli antiquitus fuisse volunt. Profligata etiam ac ad internecionem vsque prostrata sunt ad Morauam flumen

Lucas Gorcanus, & Ostrorogᵘˢ legati ad Turcam.

Clades Turcicæ tres.

flumen Turcorum triginta millia; capta quatuor. Subacta est etiam Bulgaria. Fuit & ille præclarissimus Regis Wladislai conflictus pridie natalis Christi cum Carambeio duce Turcarum, præfecto Natoliæ suæ Asiæ; qui ibi fusus & superatus in deditionem Regis venit. vbi fortiter dimicans Rex, aliquot sagittas aduerso pectore, vt refert Callimachus, excepit. Fuerunt etiam alia prœlia Wladislai cum Turcis, partim ipso assistente, partim administrante per Hunniadem, & alios. quæ semper fortuna, consiliis, & auspiciis nobilissimi Regis felicissimè ex animi eius sententia confecta sunt. His successibus in vniuersum orbem christianum celeri fama vulgatis, frequentes ab omnibus Principibus & Rebuspub. atque etiam à Constantinopolitano Imperatore Ioanne Palæologo legationes venerunt ad Wladislaum; cui tam insignes victorias gratulabantur, & ad prosequendum incœptum eum hortabantur; pollicentes auxilia. Veniunt etiam ex Polonia congratulatum & rogatum, ne omnino despicatui & derelictui haberet Poloniam; rediret, & quæ per eius absentiam neglecta erant, redintegraret. Veniunt & ab ipso Amurate pacem postulantes & fœdera; redempturiq; Carambeium, quinquaginta millia nummûm aureorum numeraturos se promittunt. Rex Wladislaꝰ, & Hungari tam honestam & gloriæ plenam pacem non abhorrebant. Sed quò facilius in suas conditiones pertraherent oratores Amuratis, in augustum amplissimumque Hungarorum & Polonorum consessum perduci eos, ibique à Wladislao audiri curant. vbi pacem petentib. induciæ tantùm decem annorum sunt datæ. Paucis interiectis dieb. veniunt à Venetis & præfecto classis eorum nuncii, adferuntque litteras, quibus nunciatur, Amuratem omnes ferè copias suas in Asiam ad bellum Caramanicum traduxisse; mare ab ipsis, & sociis, classium præsidio teneri; hortanturque Regem, vt contra Turcam expeditionem paret, eamque acceleret, &, hac occasione arrepta, toti Christiano orbi operam nauet. Vbi nuncii siue oratores iam commemorati peroraſſent, tum Iulianus Cardinalis, qui etiam Basilienſi concilio interfuerat, nomine Pontificis Romani verba facit: orsus eodem modo, vt nuncii Venetorum; atque initi fœderis vinculum dissoluere tentat. Inducias illas & fœdus necessitate quadam factum ait, & à Rege expressum: tempori Barbaros seruire, mox pacta violaturos. argumento esse, quòd, lapso iam tẽpore, non impleuerint promissa. Priora item esse cum Pontifice, Venetis, Genuensibus, Burgundione fœdera, & societatem belli initam magis valere oportere. Quòd, si qua religione rex teneatur, ne iusiurandum Barbaris datum violet, illo se eum Põtificis Maximi autoritate prorsus liberare. Hæc idem tidem agendo & inculcando, perpulit Regem iuuenem, vt contra sacramentum iurisiurandi aliquid sibi permitteret; assentiente etiam

Hunniade

Hunniade Bulgarici regni promiſsione illecto. Non placebat hoc Regis de violandis pactis conſilium proceribus Polonis. ſed curioſos ſe in aliena Repub. diu obluctando, nolebant præbere. Itaq; poſt medium Septembris Rex Segedino caſtra mouit, non ſatis alacer, nec ſpe optima; quaſi conſcius periurii videretur. Iam enim Turcæ & filios Deſpotæ, & munitiones promiſsas reddiderant, ſicuti in pactis conſtitutum fuerat. Traiecit autem Danubium apud Orſanam tertia Nouembris, & ad Nicopolim viceſimo ſexto die peruenit. Cui Dracula Palatinus Moldauiæ occurrit; viſaque paucitate exercitus regii, in quo vix quindecim millia equitum, & peditum longè minùs erat, reditum Regi ſuadet. Cum autem nihil profeciſſet, quatuor millib. ſuorum hominum, duce filio, exercitum eius auget. Ipſe verò domum redit, duobus in aduerſum belli euentum velociſsimis equis Regi donatis. Vbi præclarum inprimis eximiæ virtutis ſpecimen duo Poloni equites Ioannes Tarnouius & Leſcus Bobricius, vel Hungaricorum annalium teſtimonio, ediderè; dum alter Sumeni arcis portas, duobus vulneribus acceptis effringit, alter Petreſsi murum primus aſcendit. Interim Amuratem cum octoginta millibus, Iouio teſte, ex Aſia traieciſſe, conniuentibus, aut mercede corruptis iis, qui nauali exercitu ſe prohibituros tranſitum Barbaris receperant, relatum eſt; nec tamen hic nuncius Regem ab incœpto deterruit. Cum ad Varnam eſſet, poſt ortum ſolem hoſtes adeſſe ab exploratoribus nunciatum eſt. Laborare ex apoſtemate cruris Rex cœperat. itaq; Hunniades, militibus prœlium poſcentibus, ad hunc modum aciem inſtruit. Dextrum cornu montibus contiguum Deſpotæ, Tranſalpinis, Iuliano legato, & Epiſcopis concedit, Bobricio iis adiuncto cum paucis Polonis. Siniſtrum ipſe ſibi deſumpſit. Regem in media acie cum cæteris Polonis & Hungaris aulicis collocauit. Caſtra curulia præter morem remotiùs reliquit noua ratione inductus; quòd, inquit, intra ea multorum ignauia facilè latere ſoleat. Aciem vniuerſam formam hemicicli (alii arcuatam, alii lunatã aciem vocant) habere iuſsit. Ferè conſimili more Turcici Imperatores noſtro æuo acies inſtruere ſolent. Ita acie inſtructa, ex illa valle ſita inter montes, qui ad Varnam terminantur, vbi aciem Hunniadi inſtruere placuerat, prodeunt, & ad duo millia paſſuum hoſtibus obuiam eunt. Ibi ſignis defixis, ad tres horas hoſtes expectati. Accidit interea, vt ſęua tempeſtas tranquillo tempore derepente coorta ſigna conciperet, & ardor atq; alacritas prœliandi in noſtris iam fame ob expectatum diutiùs hoſtem preſsis, Turcis ob id ipſum data opera tempus prœliandi extrahentibus, tepeſceret, & aliquo modo obtuſior redderetur. Apparent tandem hoſtes ab extremis collibus in dextrum cornu noſtrorum inuehentes. nec impetum eorum noſtri ab

Inſtructio exercitus ad Varnam.

ea parte,equis insuetum camelorum aspectum,& odorem non ferentibus,sustinuerunt. Fusi per montosa Galatam versus ad decem ferè millia passuum fugantur. Meliore verò euentu à Rege,& Hunniade ab alia parte pugnatum est. Nam Barbari,nostris in eos validis copiis ruentibus,ad quatuor millia passuum non sine cæde,instabili ferè genere pugnæ vtentes,submoti sunt. Inde reuertitur Rex ad opem ferendam suis,qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Francobano ægrè vim Barbarorum sustinebant. Impetu igitur hîc quoque non dissimili facto, hostes obstinatè pugnantes in fugam egit; ita vt dissipati Thraciam trepidatione implerent, quasi iam vniuersus eorum exercitus deletus fuisset. Iamque suso ac fugato,& à sinistris,& à dextris vniuerso equitatu Turcico, videbatur Regi tãtùm restare pugna cum Ianiceris; qui nudati præsidio equitum non diu victoris vim laturi existimabantur. Itaque temerè & cum paucis Polonis in eorum phalangem inuectus,contra opinionem omnia duriora reperit. Ibi enim ipse Amurates erat, quibusq; fortissimis stipatus. Ibi Asiaticus Bassa, qui cum plerisq; orientalibus eò sese ex fuga receperat. Itaque Rex pedem referre turpe ducens & genere suo indignum, nec eius esse,qui bellum infert,fugere; cum magnam, inter consertos hostes pugnans,stragem edidisset,Asiaticumq; Bassam, quemadmodum Bonfinius memorat,interfecisset,ad extremum iam sub vesperam in Ianicerorum confertissimam cohortem irruit. Sed quia isti dolo scrobem seu fossam,cespite instratam,ex instituto artis militaris illis vsitato,sibi circumdederant, ideo, impetu in eos facto, equus cespite cedente vnà cum Rege in scrobem corruit. Itaque illi accurrentes Regem armis opprimunt & obtruncant; Principem lõgiore vita & immortali gloria dignissimum. Alii paulo aliter hæc referunt. Ego autem tritam viam ingressus sum,remq; narraui quem admodum exceperunt veteres nostri ex ore duorum maximi nominis Polonorum,qui euaserant viui ex illo prœlio,& in Poloniam redierant,Ioanne,inquam,Ressouio,qui postea Episcopus Cracouiensis fuit,& Georgio Sanocio,artium Magistro,qui præmium strenuè nauatæ in prœlio operæ Archiepiscopatum Leopolienſem consecutus est. Poterant autem omnium fere optimè omnia isti nosse;cum magno omnium cõsensu celebratum sit, Polonos à latere Regis nusquam tunc temporis discessisse. In Iulianum porrò Cardinalem declamitant potissimum omnes, eumq; consilii mali notabiliore morte diuinitus pœnas exoluisse referunt. Cum enim vnà cum loculis auro impletis,quos secum attulisse dicitur,ad traiectum fluminis delatus esset, narrant à nauicularío fuisse interfectum, & in profluẽtem nudum deiectum. Callimachus verò scribit,eum in deuio saltu semi nudum & saucium à Georgio Sanocio Polono, cuius modò mentionem fecimus

onem fecimus conſpectum,& cum exprobratione perfidiæ increpitum ibidem periiſſe, vtcunque eſt,certe de hoc poteſt illud Vergilianum vſurpari:

cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in aduerſos telum qui miſerat hoſtes.

Amurates ipſe & totus tunc exercitus,ſi qua re animatus eſt ad ſuſtinendum vſque ad finem illud prœlium, certè illa animabatur, quòd certò ſperabat, Deum non inultam relicturum illam Chriſtianorum nominis diuini in vanum aſſumptionem. In annalibus Turcorum annotatum referunt, Amuratem tunc, cum iam prœlium incaleſceret, accitis ſuis ducibus, in equo reſidentem expandiſſe magnũ vexillum, quo imago crucifixi ſaluatoris depicta fuit,hisque verbis ſuam orationem exorſum fuiſſe: Chriſte crucifixe, ſi deus es,vt Chriſtiani credunt, & nos non repugnamus,tam claram tamque euidentem contumeliam nominis tui nunc vlciſcere,& vindica hanc perfidiam. Et non ita multò poſt, cum effatus eſſet hæc verba, incepiſſe noſtras acies inclinare. Mirum eſt,quanta fama & celeberitas ſit iſtius pugnæ:vt ferè nullus ſit hiſtoricus, nullus poëta, nullus iuriſconſultus, nullus denique theologus, qui huius nobiliſsimi Regis vicem querulis vocibus non deploret, & lugeat. Fuit Wladiſlaus hic proceræ ſtaturæ,facie fuſca,honeſta tamen ac dignitatis plena,capillo nigro,laboris & inediæ patientiſsimus ; iuſtitiæ & religionis cultor eximius. Commiſſa hæc pugna fuit anno 1444.

CAZIMIRVS TERTIVS.

Anno mundi 5409.
Anno Chriſti 1447.

CAzimiro hoc nullus Regum noſtrorum,quod ſciam,diutiùs feliciter regnauit. A coronatione enim eius ad mortem quadraginta quinque annos habemus.Itaque regnum eius longam hiſtoriam continet,& Longolius noſter ſiue Dlugoſſus prolixè eam deſcripſit. D. autem Cromerus octo libris perpetuis eandem complexus eſt. Ego verò feſſus & viſu debilitat⁹ quid faciam? Mediocritatem ſequar, vel potiùs adhuc infra mediocritatem me continebo. Singulis tamen huius regis annis aliquid (nam hoc propriè annaliſtam decet) adſcribam, quod vtile noſtro æuo vel ad conſtituendam Rempub. vel ad formandos mores,vel ad bella tractanda iudicabo.Nam ita & ſuperiùs me geſsi,nõ niſi ea commemorans, quæ profutura huic noſtro ſeculo iudicaui.Cætera non ita neceſſaria vel prorſus omittens,vel obiter tantùm attingens.

1447. Hoc anno 25. Iunii Cazimirus coronatur. Tertia poſt die,Caſtellano CRACOVIENSI coronam præferente,Palatino ſce

ptrum, Posnanienſi Palatino pomum, Sedomirienſi verò gladium, in vrbem ſolenni pompa deductus,& in ſolio in foro poſito collocatus, iuſiurandum à Cracouienſibus de more accipit. Interregni tempore,antequam coronaretur,moroſa & forſan etiã imperioſa admodum cunctatione,cum ad regnum inuitaretur,eſt vſus. Cuius cunctationis cauſas alii alias ponunt. Sunt, qui dicant, cauſam fuiſſe, quòd præ aliis poſteris Regis Iagellonis tenerrimè patriam ſuam Lituaniam adamarit. alii Senatui magni illi⁹ Ducatus tantam moram tribuunt; quaſi illi aut Polonis dominari, aut nihil officii vnquam eis præſtare in animo habuerint. Erga hunc eius barbaricum faſtum(hoc enim nomine hiſtoricus quidam hoc vitium in eo notauit) Poloni-cus ſenatus ita prudenter,ita modeſtè,ita lõganimiter ſe geſsit,conſtantiq; patientia omnia vitia in eo tolerauit,expectans,vt ſuos corrigeret mores,vt meritò nunc,ſicuti & tunc,palmam togatæ prudentiæ promeruerit;cum omniumque fortiſsimorum regnorum ſenatu conferri hac in parte, atque etiam multis præferri poſsit. Per idem temp⁹ Comes Gorcanus huius Palatini Poſnanienſis Staniſlai à Gorka tritauus, & Petrus Samotulius Caſtellanus Caliſienſis ad Pontificem miſsi impetrarunt Regi decem millia florenorum in ſubſidium contra Tartaros,quæ ordo eccleſiaſticus conferret. Decimæ verò decimarum quas petebant, negatæ ſunt eis.

Quàm longanimiter ſe geſserit ſenatus Poloniæ in tolerãdis ineuis ſuorum dominorũ

Gorcanus Comes.

Decimas ex ſubditis impetrare à Pontifice Rex conatur.

1448. Hoc anno legatus Pontificis Eugenii Cracouiam venit. Cui academia Cracouienſis nullum honorem venienti exhibuit,eo quòd Baſilienſi concilio omnia tribuebat,nec dum de ceſsione Felicis innotuerat, qui ad Pontificatum ab eo concilio promotus fuerat.

Quintus conuentus Lublini.

1448. *Cazimirus tertius, ſiue aliquorum conſilio inductus ad capeſsendum Ducatum Lituaniæ Sedomiria diſceſserit, ſiue clam de muro ſe demiſerit, vt ſcribaſsus Latopiſciorum tradit, certè hac re omnes ordines regni, ipſumq; Wladiſlaum fratrem plurimùm offendit; cuius rei quia Lituani autores fuiſse perhibebantur,diſsidia ea de cauſa inter Polonos & Lituanos toto tempore dominatus Cazimiri ab his comitijs Lublinenſibus gliſcebant. vbi cum in conſpectum vtrique veniſſent, acerbiùs Poloni cum Lituanis expoſtulabant. Demonſtrabant Lituani,ſe ſic feciſse, quòd aliter fieri nequibat, niſi incurrere periculum magnum voluiſsent propter ſublatum Sigiſmundum Ducem ipſorum. Regeſserunt Poloni, periculum iſtud vitari potuiſse, ſi gubernatoris,nõ Ducis titulo Cazimirus Lituaniam adminiſtraſset. Contra illi,Si titulo ducis vix effugi id poterat, multò minùs gubernatoris. Ita,dum vtrique*

ſeſe carpunt

se se carpunt acerbiùs, Rex monuit Polonos, vt ita attemperarent verba sua, ne Lituani acriùs irritati alienentur: Responsum est clarius: hac commodiorem viam ad retinendos eorum animos nullam restare, quàm si Lituani, Russiq; omnes, abrogato suo ipsorum principatu, Polonorum regno atque nomine censeri se deinceps velint. quod cum illi nequaquam vellent, responsum datum est tale: Intentionem autoris hac in re spectarent; pacta conuenta seruarent; priuilegia Grodlensia non posse eos rescindere, nisi priùs libertates suas, adeoq; ius nobilitatis suæ in dubium vocent. Hæc stare incolumia non posse, si semel illa labefactata corruant. Quare prudenter se hîc gererent, ac cauerent, ne effugientes Charybdim, in Scyllam inciderent: Quod attinet Podoliam, hanc à Cazimiro Magno fuisse partim iure belli, partim iure propinquitatis Poloniæ regno adiunctam, & postea ex Ludouici, & post Ludouicum ex eius præfectorum manibus vendicatam. Nam & Cameneciam Bacotam, & alias arces à Cazimiro fuisse exstructas & firmatas. Hæc erat summa controuersiæ. Quod si quis altiùs rem repetere vellet, inueniret etiam ipsum Ptolomæum ante mille quadringentos annos, incolas Podoliæ vocasse Sarmatas Tirangitas. Quòd tunc & postea Tiræ seu Dnestri vtriusque ripæ hæredes erant; Imò & Strabo, & Ouidius totam ripam Euxini & Mæotidos Sarmatarum patriam facit. Et postea Chobrius Rex Poloniæ & Audax Boleslaus, vt existimo, hac de causa atrocia ac cruenta bella pro illis terris ad Kiouiam, nec nõ & Criuoustius, Cazimirusq; secundus post cum gessere, ita vt & Borysthenes sanguine intumescere, & terra ipsa rubescere videretur. Itaque etiam si quis Rubeam seu Rubram Russiam vocatam eam regionem, aliam ob causam concedat: tamen hac etiam de causa Rubra merito vocari potest, quòd Polonorum, aliorumq; sanguine sæpius irrigata fuerit. Testantur hoc cippi & sepulchreta heroum Poloniæ per vniuersam eam sparsa. Hinc illæ columnæ æreæ iniectæ sunt flumini Borysthenì à Chobrio, & alia monumenta posita. Quòd si Scythæ tempore interregni, hoc est, cum Polonia scissa in multas Satrapias à suis Regulis esset, occasione nacta, ferro omnia vastarunt, id non iure belli, sed latrocinantium more factum censeri debet. Lituania porrò si Tartaros superiori æuo propulsauit, & aliquot prouincias à dubiis possessoribus vindicauit, hæc impendia posterioribus temporibus à legitimis dominis & possessoribus reparari sibi ac compensari sensit. De quibus rebus priuilegia & transactiones monstrantur claræ. Ideo Cazimirus Magnus illis temporibus ita confidenter pro possessore se Podoliæ gessit, vt etiam Tira secundo flumine inde Cypriis frumenta nauibus submiserit, ipsum q; Regem Cypri ad Caroli Imperatoris nuptias & conuiuium illud ce-

lebre Cracouiam versus contendentem, illac potissimùm deducendum curarit. Quin & Wladislaus Iagello in gratiam Constantinopolitanorũ idem, quod Cazimirus in gratiam Cypriorum per Borysthenem à Cacibæio portu feciße scribitur. Nemo autem ringi aut mirari debet, si Deus primæua regna, quæ illo adhuc aureo seculo post diluuium statim extiterunt, quale est inter alia regnum Sarmaticum, peculiari quadam prouidentia tuetur & ornat. Hæc ideo addenda putaui, vt lectis chronicis Lituanicis, alijsq; cum eis cõiunctis, habeat quisq; in promptu, quid statuendum hîc sit; ac tandem, demonstrata veritate, æquabiliore et magis pacato animo vtraque gens Polona & Lituana coniunctionis mutuæ hoc vinculum, vt maximum Dei donum, veneretur, Deumq; inde celebret. Sub idem tempus Duces Seuerienses pacta conuenta cum Vitoldo olim inita, cum Cazimiro Vilnam venientes, confirmant. qua de re diploma extat, cuius exordium est tale: Ego dux Michael Ioãnis Nouosiedlensis & Odoiouiensis, cum fratre suo duce Fedoro, & cum nepote duce Ioanne Basiliade, &c. Et paulo post: Modus componendarum litium inter eosdem duces & magnum ducem Moschorum, magnumq; ducem Pereslauiensem, et magnum ducem Prunscensem describitur. Videlicet, vt si quid tale accideret, commissa reali (ita vocant) iudicio tota res permitteretur. Quòd si quisquam istorum trium magnorum ducum re iudicata stare nollet, Rex spõdet, sese tãquam patronum, Seueriensium causæ non defuturum. Hinc autem colligere licet duces Prunscenses tunc in illa regione absolutè imperitasse. Adæquatur enim hîc dux Prunscensis Mosco & Pereslauiensi, qui sine dubiò habuerunt absoluti iuris dominium suum.

Ducum Seuerinsium transactio.

1449. Comitia Petricouiensia, in quib. cõtentio de loco inter Cardinalem, & Archiepiscopum mota, non tamen tum sedata fuit.

1450. Cazimirus Rex hactenus iuramentum regno non præstiterat. Itaque conuentum est inter proceres, ne pro iusto Rege Cazimirus haberetur, quoad is iusiurãdum, quod sæpe petitum fuerat, præstitisset.

1451. Comitia Petricouiensia, in quibus controuersia illa de loco inter Cardinalem, & Archiepiscopum prudentissimè sopita fuit, hoc modo. Archiepiscopus principem locum haberet. Sancitum verò, ne quis Cardinalatus honorem deinceps, Senatu inconsulto, peteret, aut vsurparet. Videbant enim prisci homines, iuramenta, quę fieri consueuerunt in Romano cõsistorio cum iis, quæ regno à consiliariis præstari solent, non per omnia conuenire.

Sextus conuentus Parcouiæ, & septimus Brestæ.

1451. *Parcouiæ conuentum agunt cum Lituanis Poloni; vbi eadem cantilena recantatur. His datam fidem, pactaq; conuenta vrgentibus; illis ad metam constitutam progredi detrectantibus. Sed iam vehementiùs istîc egisse videntur Poloni. Angebantur enim, & pro ludibrio reputabant, quòd ad insignem sublimitatem & quasi ad culmen res Lituanicas perduxissent, eorum Principes ad tantam maiestatem extulissent, thalamoq; suæ regiæ filiæ admisissent, per vniuersum orbem rem vniuersam sparsissent, bellum cruentum ad Grinualdum eorum causa sustinuissent, ad extremum autem res eò redacta esset, vt non nisi labores, sumtus, pericula, et tumultus comitiorum pro tantarum rerum gestarum fructu & emolumento haberent. Cum igitur se spe deiectos, & propemodum expectatione frustratos ludificatosq; perpenderent, paulatim flammæ odiorum ita succensæ inter vtranq; gentem erant, vt Lituani senatores absque fide publica ad comitia illa venire renuerent; quæ tamen eis denegabatur, ne quid fœderibus hac re derogaretur. At illi durius quid suspicati, ad comitia venire detrectabant. Emanauerat enim fama, vt aserunt annalistæ Russi, acsi clam conclusum fuisset in senatu Polonorum, vt, si venissent, captiui tamdiu detinerentur, donec fidem datam liberasset, pactaq; conuenta adimplesset. Venerunt tandem: Sed vrbem non ingressi extra mœnia castris positis locum cœperũt. Verùm cum munitioni non satis fiderent, noctu tertia die solis absq; seruis in fugam se vsque Brestam coniecerunt; relicta suppellectili, & aliqua manu suorum in castris. Hæc vbi nunciata essent, rei nouitate perculsi Polonorum quidam, castra relicta visum accurrunt. Vnde coniectura coniecturam & suspicione suspicionem augente, ex illo leui argumento in opinione semel concepta confirmantur. Nam & serui eripientes se fuga, rumorem inuulgatum pauore suo comprobarunt. Ab eo tempore, ob illum euentum fortuitum, occupauit animos Lituanorum erga Polonos latens quoddam odium; ita vt eos posthac vt debitor suum creditorem solet, intuerentur. Nam et insignia militaria, quæ paulo ante in signum vnitatis confirmandæ acceperant à nobilitate Polona, non sine fremitu tunc eis remiseruut; vt quidem referunt Latopiscij. Solutis comitijs Rex per speciem venationis in Lituaniam raptim se expediens abijt. idq;, quemadmodum aiunt, & verisimile est, vt offensos Lituanorum animos cõsolaretur, melioraq; de se et Polonis sperare iuberet. Laudatur in ijs comitijs oratio Zbignei, quã habuit in causa istius vnionis.*

Octauus conuentus Syradiensis, ex D. Cromero ad verbum.

In comitijs

1452. *In comitijs verò eadem, quæ pridem, cantilena à Lituanorum legatis superbè, & non sine minis repetita. Eiq; modestè à nostris responsum est: Cum Rege de iureiurando & confirmatione importunius actum: Itaque is in angustum redactus, cum octo primoribus consiliarijs secretum consilium habuit: Et cum asseueraret, non posse tunc se sine capitis sui periculo atque defectione Lituanorum, postulatis Polonorum satisfacere, annum vnum impetrauit; vt interea Luscum, & primarias munitiones Lituaniæ in potestatem suam redigeret, thesaurumq; Lituanicum, in Poloniam transueheret. Tametsi admonebat Palatinus Sedomirienſis Olesnicius, videndum esse, ne Rex Polonos vana spe & pollicitatione lactaret: eoq; syngrapham siue diploma, quod ea de re fidem faceret, ab eo exactum, & Regis, ac omnium illorum signis obsignatum Archiepiscopo asseruandum concreditum est: atque ita conuentus ille solutus est.*

Nonus conuentus Parcouiensis, ex D. Cromero.

1453. *Mense Iunio Rex apud Parcouiam, Polonorum simul & Lituanorum comitia habuit. Verùm adeatamen Lituani proceres nõ adfuerunt, insidias nescio quas causificantes: Legationem modò misere, quæ vsitatam illam de corrigendis fœderibus, reddendaq; Podolia & Volynia cantilenam occineret. Proferebant nostri diplomata Iagellonis, Vitoldi, & Suidrigellonis, et suis ipsorum argumentis Lituanos refellebant. quòd ij dicerent oppigneratam Vitoldo à Iagellone Rege Volyniam, & Podoliam quadringentis millibus aureorum fuisse, Vel inde enim liquidò constare, eas terras Polonici iuris esse, &, mortuo Vitoldo, vnà cum pecunia in ditionem Iagellonis legitima successione recidisse. Ad extremum ferebant eis arbitros, siue Regem, siue Pontificem Max. seu quem alium principem vellent. Tartarorum principem siue Cæsarem illi edebant. Quod cum indecorum atque etiam ridiculum esset, ita dimissa est legatio, vt intelligerent Lituani, Polonos iuri suo nequaquam defuturos. Tentatum est à Rege & nonnullis consiliarijs, vt in aliud tempus res tota adhuc reijceretur, Sed negarunt Poloni. Commemoratur hîc oratio Zbignei Episcopi, quodq; cum maxima libertate perorarit. Extenuans enim Lituanorum minas, fidem & obsequia Polonorum erga Reges amplificabat. contrà Lituaniæ proceres in odium inducebat, & suspicionem. Etiamsi, inquit, fortuna paginam verteret, Poloni nihil de suis erga Regem studijs mutabunt vnquam. Audiuit hæc Rex subtristis, demisso capite, & crebra ex imo pectore trahens suspiria. Hæc ex Dlugosso & D. Cromero.*

Diluitur argumentum de Podolia & Volynia.

Decimus conuentus Petricouiensis.

Parcouia Petricouiam ad alia comitia ad diem natalem D. Ioannis Baptistæ indicta itum est. Ibi fortassis acta sunt ea cum Rege & à Rege, quæ Dlugossus Parcouiæ acta esse prodidit. Ibi quidem prolata est ab Archiepiscopo Regis promissio diplomate consignata; postulatum q; à Rege, vt ei promissioni tandem satisfaceret. Sumpta ad deliberandum die, respondit ille: Non licere sibi aduersum priori iureiurando, quod Lituanis dedisset, iusiurandum dare; daturum tamen sed vti modò Regem Polonorum, non etiam vti Lituanorum principem. Captiosum, sicuti reuera erat, eiusmodi iusiurandum visum est. Itaque instare proceres vnà cum Sophia Regis matre, vt captione illa Rex abstineret; &, commendato cuipiam Lituanorum principatu, Polonam Rempub. per se ipse diligentiùs administraret; Lituanos à suo contubernio amoueret; quatuor de primoribus Polonorum senatoribus publicè declarandos semper in consilium adhiberet, ac de illorum sententia cuncta ageret decerneret q;. Quæ verò præter sententiam ipsorum acta vel decreta forent, irrita vt essent; stationes, & subuectiones vti moderatiùs, & more antiquo exigeret. Ni hæc faceret, diutius se non expectaturos; sed sibi rei q; suæ publicæ aliter prospecturos. Dictis q; facta adiecerunt; nam data & accepta fide mutuò sese obstrinxerunt, neutiquam defuturos se esse patriæ rei q; publicæ. His tandem tam importunis postulatis, atque etiam minis motus Cazimirus, iusiurandum, quale petebatur, dedit. Quo facto, proceres cætera omiserunt postulata, siue in aliud tempus reiecerunt, veriti ne ægrotum Regis animum exacerbarent: simul sperantes, eum tempore sanatum iri. Hæc sunt illa nouendialia comitia quæ videlicet in nonum tantùm durauere diem: quod quidem veluti nouum & inusitatum Dlugossus memorat.

Reformatio regiorum consiliariorum & aulicorum extra comitia.

Nunc, siue quòd liberiùs sententiam suam explicare cuique licet, siue quòd senatu Lituanico & nuncijs aucta est frequentia comitiorum, adijciuntur secundò & tertiò alij nouem. Vel quia methodus & compendium tractandi negotia publica sæpe impeditur ac tollitur intempestiua quorundam facundia. Non ita multo post Zbigneus Cardinalis moritur, maximus Lituanomastix, vt vulgò, & potissimum à Lituanis, existimabatur. eò quòd impensiùs & acriùs vrgeret negotium hoc; ne videlicet illud fœdus coniunctionis, & amoris mutui inter vtranque gentem, quod maximum Dei donum esse censebat, in cassum abiret. Fuerat enim præsens cum ab initio pacta illa fierẽt, ideo meliùs, quàm plerique alij iudicare poterat de vniuerso illo negotio. Sed de his hactenus. Et quia Cazimirus iureiurãdo ab eo toties efflagitato, extremã ma-

Zbignei mors.

num illis tranſactionibus tum impoſuiſſe eſt viſus, nos quoque huic epitome hiſtoriæ rerum Lituanicarum finem faciemus.

1452. Dauid Turca Amuratis fratris filius, pulſus olim à patruo Sedomiriam ad Regem venit. Sachmates etiam Imperator Tartarorum à ſuis fugatus ad Regem in Lituaniam fugit. ſed hic captus Caunæ ad finem vitæ ſuæ in carcere retinetur. Eodem anno Hungari, Bohemi, & Morauí Fridericum tertium Imperatorem in noua ciuitate vrgent, Regemq; ſuum Ladiſlaum ab eo obſidione extorquent. Ludouicus Magiſter Pruſsiæ primus Regi fidelitatem iurat. Iſidorus Kiouienſis Epiſcopus qui in Florentino concilio multa eruditè differens de religione Chriſtiana inclaruerat, à Ruſsis pulſus, eò quòd in Latinorum religionem conceſſerat.

1453. Tartari in Volyniam excurſionem faciunt, vbi nouem millia captiuorum, ingentemque aliam prædam fecerunt. Hos ſunt inſecuti, qui Podoliam inhabitant, Poloni cum præfectis regiis, inter quos Laſcius Zincouienſis, & Ioannes Niemiec laudantur. Hi noctu ſecuros aggrediuntur; & magna ſtrage profligant, prædamq; omnem illis excutiunt. trecenti tantùm ex eis euaſerunt, qui noſtrorum paucitate animaduerſa, poſtero die cum noſtris, viribus reſumptis, manus conſerere volebant. ſed paruo negotio fuſi fugatique ſunt. Hoc anno Conſtantinopolis à Turcis capta.

1454. Pruſsi ſe, & ſuas munitiones Regi Polonorum dedunt. Nuptiæ Cazimiri Regis cum Elizabetha Alberti Cæſaris filia celebrãtur. Hoc eodem tẽpore Capiſtranus Franciſcanus homo eloquens in Bohemiam venit, vt omnes ad religionem Romanam perduceret. Tandem in Poloniam Cracouiam à Zbigneo Cardinali aduocatur. Hîc primùm in ipſo foro, deinde in æde virginis M. quotidie per interpretem conciones ad populum habebat; quibus Rex & Regina adeſſe ſolebant. Is cum ludos, aleam, choreas & alia eiuſmodi prohiberet, talem ſibi opinionẽ breui cõciliauit vt pro ſancto haberetur. Epiſcopi Pruſsiæ hoc tempore Regi, iureiurando interpoſito, ſe addicunt; & abiecto cultu Cruciferorum, veterem habitum, qui diui Auguſtini profitẽtium regula dicitur, reſumunt. Pacificatur tandem Pruſsia, Rege eis magnas prærogatiuas ex ſua liberalitate concedente. Nam cum antea Cruciferis è Gedanenſi ciuitate ſexaginta aureorum millia quotannis prouenirent, vt Vapouius ſcribit, ipſe pro his omnibus duo tantùm millia aureorum imponit. Eodem anno malè pugnatum à noſtris ad Choinicium. Primam quidem alam Cruciferorum Poloni perfregerunt, funditusque profligarunt, & Baltazarum Ducem Zeganenſem occiderunt, Bernandumque Slumbarg Ducem ceperunt. ſed tandem, cum ſe acies noſtrorum frequentes ob anguſtiam loci explicare non poſſent, alii cæſi, alii diſsipati ſunt;

& Rex, dum

& Rex,dum reſtituere pugnam conatur,in periculo fuit. Eius cladis culpa referebatur in eos,qui minùs commodum prœlio locum dele gerant,& leuiorem equitatum,ex præſcripto militaris diſciplinæ,ad turbandos & perrumpendos hoſtium ordines, non præmiſerant, ſicuti antea Polonis conſuetudo fuerat.

1456. Comitia Petricouienſia; in quibus tributum antea & poſt inauditum ſancitur;quod ſic deſcribitur: Placuit vniuerſo conuentui, vt Rex pariter, & eccleſiaſticus equeſterque ordo vniuerſus dimidium annorum cenſuum conferrent, ne bonorum quidem & magiſtratuum fructibus exceptis; oppidani verò immobilium iuxta ac mobilum bonorum æſtimatione facta, vt binos groſſos pro qualibet marca penderent. Agreſtes verò ſingulos groſſos in capita marium, & fœminarum numerarent. Cæterùm equeſtres homines, qui nullos haberent agricolas, & adſcripticios cenſus, ſinguli vicenos quaternos groſſos: Cum autem ne hæc quidem ſuffectura eſſent, aurum inſuper & argentum ſacrum è Cracouienſi Baſilica à Rege importunè flagitatum; ſed ab Epiſcopo conſtanter negatum eſt. Cui cum Rex iraſceretur, placatus eſt quinq; millibus florenorum Epiſcopi & ſacri collegii fideiuſſione à mercatoribus mutuò acceptis, vt tamen Rex ea poſtea ſolueret. Eodem anno à Iohanne Hunniade maxima clade Turcæ affecti apud Nandor Albam; vnde ipſius Mahometis Imperatoris Turcarum fuga conſequuta eſt. Vbi non ignobilis fuit ſexcentorum Polonorum opera, qui à monacho Capiſtrano euocati erant ex Polonia.

1456. Ladiſlaus filius Hunniadis perduellionis inſimulatus, cum inſidiatorem ſuum Vlricum Ciliciæ Comitem interfeciſſet,capitis pœnam luit, & Mathias frater eius iunior natu Viennam abductus eſt. Hic poſtea à Podebracio Rege Bohemorum,quinquaginta millib. aureorum numeratis,redemptus,Rex Hungariæ declaratur.

1457. Comitia Petricouiæ,& inde ad prouincialem Colenſem conuentum Rex ipſe ire non neglexit. Impetrauit autem à nobilitate eius orę,ut ſuſciperent in ſe mun⁹ defendendarum trium arcium: Slochouiæ, Suecæ, ac Thucholiæ,quoniam pecunia deerat in ſtipendium mercenariis militibus,qui pro præſidio in his arcibus collocarentur. Erat hæc noua inuentio & compendioſa ratio muniendi arces. Gedanum deinde eſt Rex progreſſus; vbi Carolus Danorum Rex exul pedeſtri comitatu ei occurrit,eumque ſalutat. Eodem tempore Magdeburga arce potitus eſt Rex, perſoluto ſtipendio militibus, quibus eam Magiſter Pruſſiæ hypothecæ nomine donec id ſolueret,tradiderat. Erat autem ſumma quadringentorum ſeptuaginta ſex millium. Commendatur hîc Gedanenſium erga Regem & regnum beneuolentia & officioſitas. maximè verò, quòd ad

Carolus Danorum Rex obuiam it Cazimiro cum pedeſtri comitatu.

Gedanenſium merita erga Cazimirum.

exoluendam eam pecuniam triginta millia denuo extra ordinem collecta contribuerunt. Commendantur & maiores Poloni, quôd tempore difficili ſubierint ſponte, non coacti, onus tale, vt in centenas marcas annui cenſus, ſingulos haſtatos equites mitterent. Haſtati autem ſinguli apud veteres Germanos tres equites intelligebantur. nempe haſtatus reuera vnus grauioris armaturæ vnà cum duobus ſagittariis. Nam & auratum equitem olim Dritter Germani vocabant, quaſi Tertium; quia videlicet duobus aliis ſibi adiunctis militabat. Sed poſtea Ritter, adempta litera D. nominare cõſueuerunt, vnde noſtrum Polonicum nomen Rycerz, quo ſtrenuos viros appellare ſolemus. Per eadem tempora latrocinia innumera in finibus minoris Poloniæ exercebantur; ita vt tota Polonia minor contra eos latrones expeditionem generalem fecerit. quam valde numeroſam tum fuiſſe tradunt, ita vt ſexaginta bellatorum millia in iis caſtris cenſa fuiſſe Vapouius memoret. Eodem anno Gizonius Iohannes ob ingraueſcentem ætatem præfectura motus fuit: Sed ſui aliam eius rei rationem reddunt: nempe quòd Pontifex maximus id apud Regem clam per internuncios curauerit, eò quòd Ziſcæ Bohemo auxilia ſubmittere Gizonius ſolebat.

Haſtatus quid apud veteres Germanos ſignificat.

1458. Hoc anno expeditio fuit in Pruſsiam; ex qua Rex reuocatur ab vxore; quæ cum Cazimirum filiũ peperiſſet, ſupra modum coniugis abſentis deſiderio angebatur. Ad eam igitur cum Rex reuerſus eſſet, ibi legatos Georgii Podebracii noui regis Bohemorum audiuit. Petebat is fœdus cum eo & ingentia auxilia contra Cruciferos ei promittebat.

1459 Hic annus nobilitatus eſt inſigni victoria de Cruciferis, & eorum clade. Nec multum abfuit, quin Ludouicus Magiſter eorum viuus in poteſtatem noſtrorum venerit. Ingens præda reperta apud victos; ita vt viceni aurei in ſingulos milites diuiderentur. Wratiſlauia autem & reliqua Sylleſia dedebat ſe Regi; ſed rationem Podebracii Rex habere voluit. Comitia poſtea Petricouiæ indicta ſunt. ad quæ nuncii Cracouienſes non niſi ſub fide Regis veniunt, & per Rituanium hominem magni animi, & eloquentem de multis rebus cum Rege expoſtulant. Præfectorum eius tyrannidem is accuſat, nominatq; Iohannem Kuropatvvam, qui Senicium & Laticinium nobiles Chelmenſes indicta cauſa ſpoliarat, & omni contumelia affecerat. Commemorat & merita Polonorum in familiam Iagellonum, & opes quas ad Lituaniam iuuandam toties profuderant. Exprobrat Regi monetæ, quam cudebat, leuitatem, & non coërcitam licentiam importandi adulterinam. Quòd item vectigalib. Poloniam onerari pateretur. Sed & alia conſimilia tum proponebantur Regi ob oculos; quę ego adſcriberem, niſi ſcirem Rituanii orationem etiamnum

Capita orationis Rituanij qui poſt mortuum Zbigneum Regem liberiùs redarguere conſueuerat

ſæpius &

fæpius & domi & in comitiis commemorando iterari. Lecti sunt deinde viginti viri, qui de constituenda & reformanda Repub. sententiam suam dicerent: Regis autem arbitrio omnia deinde subiiceren tur. Iugeralis contributio duodenorum grosorum tum impositа est agricolis. Ab ecclesiastico verò & equestri ordine octaua pars censuum promissa Regi in stipendia militum. Eodem anno Iohannes Albertus filius Cazimiro natus.

Viginti reformatores Reip. eliguntur.

1460. In hunc annum incidunt illæ dissensiones non tam inter Iacobum Sieniennium, & Iohannem Gruscznium, quàm inter Regem, & Pontificem maximum; quòd patrocinium hic Seniennii, ille Gruscznii susceperat. quæ dissensio paulatim incensa ita efferbuit, vt aliquid magnum breui pepererit. Nam Sieniennius eam ob causam regem ita irritauerat, vt Rex ipsi & eius assectis extrema quæq; non modò minaretur, sed etiam iam reipsa inferret. Itaque Senienniius Pinczouiæ in arce patria obsideri iussus, in eam angustiam redactus fuit, vt cogeretur in Melstinum arcem se recipere; vbi à Iohanne Melstinio receptus vnà cum Dlugosso totum annum se continuit; nequicquam prohibente Rege, ne perduellem suum & hostem publicum Melstinius seruaret. Pauci quidam ex ordine ecclesiastico tum Pontificiam autoritatem regiæ antepossuerunt. Et ii quidem à Rege duriùs sunt tractati. Crizanouius ab apparitoribus per mediam vrbem foras eductus est eò planè vestitu, quo Canonici in templo vtuntur, ita vt populus aspiciens eius vicem commiseraretur. Dlugosiis redditus adempti. & alii acerbitatem Regis experti sunt. Iis verò, qui cum Rege sentiebant, si Pontificiis interdictis grauabantur, regio iussu & minis à Pontificiis decretis ad concilium futurum vniuersale prouocabāt. Meminerat enim Rex, in Basilienſi concilio paulò antè concluſum fuisse, & magno consensu sancitum, vt Pontifices deinceps sententiæ concilii subiicerentur. Quam conclusionem & ipse Nicolaus Pontifex approbauerat, eiq; subscripserat. Ad hoc igitur præsidium Rex, exemplo aliorum Regum, Ducum, Imperatorum, in omnibus controuersiis cum Romanis Pontificib. tanquam ad tutissimam arcem confugiebat in illo dissidio.

Sieniennij controuersia cum Gruscznioseu potiùs cum Rege.

1461. Iudicium regium in Cracouienses ciues, de cæde Andreæ Tencinii.

1462. Ziemouitus & Wladislaus Mazouiorum Duces veneno sublati, & de successione in Mazouię & prouinciæ Belsensis dominatum controuersia. Pacta & conuentiones inter Regem Cazimirum & Georgium Regem Bohemiæ. Qui vtriusq; Regis consensus, cum Georgius in religionis negotio suspectus esset, minimè probabatur Pontifici, eumque exasperabat contra Cazimirum. Conuentus item eorundem regum Poloniæ & Bohemiæ, in quo splendor Polonica-

rum opum talis tantuſque enituit, vt nunquam Cazimirum ad conuiuium inuitare auſus fuerit Georgius; ne ſcilicet proderet paupertatem ſuam.

1463. Capha à Turcis capta. Magnus tunc Poloniam inuaſit timor. De Cruciferis aliquot celebres victoriæ terreſtri & nauali prœlio partæ. Proinde continuis cladibus debilitati, ad extremum tantùm legati Pontificii autoritati confidebant, qui tamen nihil profecit. Nam aliquoties legatus prodiderat ſuum conſilium, quòd videlicet plus faueret Cruciferis, quàm iuſtitiæ. Et aliquando, cum eo inuito ciuitatum Pruſsiæ nuncii publicè introducti eſſent à Polonis, mox toti oppido interdixerat ſacris. Cauſa autem huius excommunicationis fuit, quòd cum Rege ſentirent, aduerſante Pontifice. Cum autem noſtri, per ſpeciem ſupplicationis ob rem bello benè geſtam, campanas pulſare cœpiſſent, legatus ita irritatus fuit, vt etiam mulieribus maritorum conſuetudine & contubernio interdixerit, quò maritos à fide Regi data citiùs auellere poſſet. Quæ res etiam tum riſum omnibus mouit. Scribunt & illud: Cum Rex in quodam colloquio priuato à legato exaſperatus dixiſſet, malle ſe regno excidere, quàm Sieniennium pati, ſe inuito, fieri Epiſcopum, legatus vociferari cœpit. Præſtare, vt tria regna pereant, quàm vt ius & authoritas Pontificis perturbetur aut diminuatur.

Polonorum victoria de Turcis ad Sauum, qua ſe plurimùm Mathiæ Regi commendabiles reddiderunt; ita vt poſtea opera eorum libenter vſus fuerit in militia. Numerus Turcarum erat quatuor millium. Polonorum quinquaginta tantùm.

1464. Iudæi direpti Cracouiæ. Cruciferorum clades apud Golpergam. Pii ſecundi Pontificis Maximi mors.

1456. Cazimiri autoritas & opinio apud Chriſtianos creuit & apud Barbaros ex hac occaſione: Pontifex Romanus & Imperator per Patriarcham Antiochenum apud Ezigerum ſummum Tartarorum principem egit, vt Turcis bellum inferret, quò eos à bello Chriſtianis inferendo auerteret. Ezigerus reſpondit, in eo poſtulato ſe ex voluntate Cazimiri fœderati amici ſui pendere velle. Denuo igitur Pontifex cum Imperatore Antiochenum Patriarcham ad Cazimirum mittunt, petitum vt Chriſtianos adiutos vellet ea in re; quandoquidem ipſe Chriſtianus communi religioni id deberet. Sed Rex eam deliberationem ad comitia diſtulit. Sub idem tempus quidam ærarii milites ob non ſoluta ſibi ſtipendia, coacto iuſto exercitu, contra ipſum Regem quædam machinantur. Angebat ea res ſupra modum Regem, quòd ſibi à bellis non concederetur reſpirare. Et maximè dolebat ei, quòd didicerat eam ob rem Cruciferos reſumere ſpiritus, cum iam antea ſatis attriti animum ferme deſpondiſſent. Itaque

sent. Itaque statuit milites istos tanquam perduelles bello persequi. Quo comperto, accepta fide, in rem præsentem conueniunt, & pœnam publicè deprecati, ad pedes Regis sese abiicunt. Hac igitur demissa deprecatione tandem non modò veniam impetrauerunt, sed etiam pecuniam emeritam consecuti sunt. *Ira & clementia Cazimiri.*

1466. Polonorum victoria de Cruciferis ad Osiecum. Venit interea Legatus à Pontifice ad componendas lites; quemadmodum ad Regem antea scripserat. Cui Rex per Dlugossum indicauit, se pacem non abnuere; modò ille bona fide patificatorem se interponeret; neque imitaretur Hieronymum Cretensem legatum superiorem, qui Regi, ac si filius eius esset, operam suam pollicitus, cum postea ad Cruciferos peruenisset, donatus ab eis calice aureo, ipsis non obscurè fauebat; Et Cretensis, vt est in prouerbio, cretizauit. Interceptæ enim fuerant literæ legati, & ad manus Regis deuenerant, in quibus calicis huius mentio fiebat.

Celeberrima pugna Polonorum ad Choinice; vbi & oppidum captum fuit, ibique non modò abolita est illa infamia acceptæ quondam cladis, sed etiam multis modis compensata. Ad medium igitur Septembris, cum ex oppido erupissent hostes, commisso cum nostris prœlio, in oppidum reiecti sunt. Nec multò post, prandentibus nostris, rursum erumpentes, cum aliquot horis strenuè dimicassent, multis amissis, terga verterunt. Instabant nostri fugientibus. Hostes verò veriti, ne cum suis nostri simul in oppidum irrumperent, celeriter clauseruut portas permultos suorum excludentes: qui partim cæsi, partim capti, partim in fossam plenam aquæ armati sese præcipitantes submersi sunt. Nec multò post nostri sagittis ignem iaculati, noctu oppidum incenderunt; ita vt quarta pars eius vnà cum frumento conflagrarit. Quo casu tandem victa est hostium pertinacia, & missis in castra Vldarico Eisenoueno magno Commendatore, & Iohanne Zalio, vitam fortunasque pacti, nunquam contra Polonos arma se sumpturos esse, sanctè iurarunt. Redditis itaque, receptisque vicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidum cum bombardis, & omni apparatu & instrumento bellico ad quartum Calend. Octobris dediderunt, & lacrymantes Pambergam profecti sunt. Post hanc Cruciferorum cladem pax perpetua sancita fuit, Cruciferique in fidem & clientellam Polonorum recepti, & Magister eorum Princeps renunciatus, ac consiliarius regni. Ab eo tempore Pomeraniæ Ducatus, Michalouiensis quoque, & Culmensis terra recuperata regno Poloniæ adiungitur; pro quibus Poloni centum & octoginta annis cum Cruciferis armis decertarant. *Secundum bellum Choinicense, & victoria Regis.* *Pomerania et Michalouiensis Culmensisque terra Poloniæ adiungitur.*

1462. Sigismundus Cazimiro natus.

1462. Iohannes Dlugossus regiis liberis præceptor designatur.

Nuncii etiam

Nuncii terrarum instituti.

Nuncii etiam prouinciarum instituuntur. vt bini scilicet è Palatinatibus seu Satrapiis mitterentur ad comitia; qui videlicet essent veluti custodes communis libertatis,& medium quoddam, quo posset

In huncannum reijcitur nuncii orum terrestrium (quos vocant) prima institutio: quã quam antea Rituanius, & alij, Cracouiensis terræ legati ad Comitia delecti fuerant

facilius & placidius summa potestas cum inferioribus ordinibus coa lescere. Sylla quidem Romæ sustulerat Tribunos plebis in gratiam Senatorii ordinis. At Pompeius, quia Reipub. vtiles videbat, eosdem restitui curauit.

1470. Hoc anno venit ad Cazimirum legatus Friderici Imperatoris Raphael Lescinius: eques quidem Polonus, verùm complures annos in ministerio Imperatoris versatus, eíque inter paucos charus. Is conatus est Mathiam Regem apud Cazimirum in suspicionem adducere; vtque ab eo sibi caueret, tanquam ab homine vafro, sedulò præmonuit.

1471. Georgii regis Bohemiæ mors. Wladislaus Cazimiri filius Rex Bohemorum creatus.

1472. Cazimirum regem Pontifex, atque etiam ipse Aegypti Sultan⁹ per oratores ad suscipiendum bellum contra Turcas adhortatur. Sed Cazimirus tunc bellis Prussicis, & expeditione duorum filiorum in Bohemiam,& Hungariam ita fuit exhaustus, vt ne in quotidianum quidem victum sumptus ei suppeterent. Eò factum est, vt militibus stipendia non persoluerentur. Hinc extiterunt plurima latrocinia. Nam mercenarii milites, vnde se alerent non habentes, vias publicas quodammodo obsederunt, & alia extrema consilia ceperunt.

1473. Turcæ bis collatis signis cum Husancassano Aegypti, Syriæque Imperatore insigni strage victi. Ad quinquaginta sex millia cæsa militum, & centum quinquaginta tribuni, quos Subbassas vocant, tum perierunt.

1475. Subacta Bazarabia à Turcis, quæ sita est ad littus ponti Euxini intra ostia Tiræ & Danubii, pauor ingens & trepidatio mentes nostrorum hominum inuasit; non secus acsi ipsa iam Podolia & Russia vastaretur.

1479. Sophia Cazimiri regis filia Friderico Marchioni Branderburgensi nupta. ex qua natus est Albertus ille Dux Prussiæ, princeps sempiterna memoria dignus; patronus etiam meus olim clementissimus.

1479. Mortuo Bninio Posnanensi Episcopo, duo competitores eius Episcopatus fuerunt: Vriel Gorcanus Lucæ Palatini filius, Gnesnensis & Posnanensis præpositus, & Cancellarius regni; & Stanislaus Curozuacius Procancellarius regni. Sed Iacobo Archiepiscopo interueniente, collegium Posnanense regiam authoritatem in eligendo Vriele secutum est; qui Vriel etiam promissum Regis aliquantò ante

liquantò ante habuisse dicitur. Fuit autem & alius Lucas Gorcanus Palatinus Posnaniensis, & postea idem Cuiauiensis Episcopus, pater Andreæ; quem Posnaniensem absolutè ob nominis eius celebritatem Poloni vocabant.

1489. Cazimirus fœdus icit cum Baiazete Turcarum Imperatore, per oratorem suum Nicolaum Firleium, gente Leopardium; qui postea Castellanus Cracouiensis, & dux exercitus Polonici fuit. *Nicolaus Firleius Dux exercitus.*

1492. Mors Cazimiri, subsecuta est. qui Vilna profectus cum Trocos vnius diei itinere peruenisset, fessus, ex nimia agitatione lan guere cœpit. & inualescente morbo, vbi animaduertit supremum vitæ diem sibi instare, testamentum condidit, quo Wladislaum filium exhæredauit. Deinde sacrosanctis Christianæ religionis mysteri is perceptis, mense Iunio animam exhalauit. Inde in Poloniam solen ni pompa elatus in basilica Cracouien. sepultus est ad dextram in sa cello sanctę Crucis. vbi & Elizabet vxor Cazimiri ab Alexandro sepulta fuit. Extatque ibidem epitaphium eius. Vel potiùs delubri eius inscriptio characteribus Slauonicis. *Causa mortis Cazimiri.*

Polonicè.

Ku chwale imienia naywyßßoho Bohá oycá wßemohußczo/ho/ pobudowan kosćiol y sieiá káplicá / powielenim wielikoho á prestawnoho Korolá/ proswietnoho Kázimirá z Boskoy miłosti Polskoho y wielikoho Kniáżiá Litowskoho/Trockoho/y Zomoitskoho/y Kniáżiátiá Pruskoho/Páná y dedicżá tych y inych mnoho żiem Hospodará. y ieho Korolowey pronaiáśnieyßey pániey Elizábety z pokolenia Cżárskoho prodká prenáiáśnieyßoho Zygmiontá Páná żiemie Rákuskoy/Cżeskoy/y Vhorskoy. Poletu ná rożenia Bożoho pierwßoho siemdżiesiatoho tysiącnoho/á dokonczáli sieiá káplicá Miesiácá Octob. 12. dniá.

Eodem anno Mathias Rex Hungarorum ex apoplexia moritur.

IOANNES ALBERTVS.

Anno ab orbe condito 5454.
Anno Christi 1492.

CAzimiro sepulto ad medium Augusti, conuentus agitur Petricouiæ noui Regis creandi gratia. Minùs pacata fuit illa electio; sicut ferè fit, vbi certus modus electionis incipiendæ, dirigendæ, & perficiendæ præscriptus non est. Marsalcus regni, & Tenczinius Sigismundo, vt eligeretur, fauebant. Idem sentire videbatur Zbigneus Olesnicius Archiepiscopus Gnesnensis, tametsi creditum est, eum clam Mazouio fauisse, cum quo tum fixit in patenti campo tentorium. Insolentiùs autem & ferociùs sese gerebant Mazouii; vt, si non impetrarent, vi exprimerent id, quod petebant. *Incommoda in certi electionis modi.* *Zbigneus apertè Sigismundo fauebat, clam Mazouio.*

1493. Albertus coronatur, Zbigneo Archiepiſcopo mortuo, Fridericus Cardinalis, Archiepiſcopus & Cracouienſis Epiſcopus creatur. Venetorum legati gratulantur regnum regi, atque occultè eum contra Turcam concitant. Nam ipſis Dyrrachium eripuerat. Turcæ verò legatus, peramplis donis oblatis, pacem & amicitiam ei deferebat. Verebatur enim Turca ne pluribus ſimul bellis implicare tur. Fridericus Imperator interim moritur. Apud Viſnoeciam in Volynia noſtri à Tartaris ſuperantur. Iudæorum domicilium Cazimiriam tranſlatum; quem locum Cazimirus Magnus Gymnaſio deſtinauerat.

1495. Iohannes Mazouiorum dux obiit. Plocenſis ditio Poloniæ adiuncta eſt.

1496. Barbara Cazimiri filia Georgio Duci Saxoniæ à fratre Ioanne Alberto in matrimoniũ collocatur. Philippi Callimachi mors Polonis non ingrata. Nam idem ei acciderat, quod omnibus exteris qui modeſtè ſecunda fortuna non vtuntur. Increbuerat fama, cum ad tyrannidem incitaſſe Regem, decretaq; eius venumdare ſolitum fuiſſe. Et difficulter quidem inuidiam, & obtrectationes hominum vitant, qui ſe in gratiam regum inſinuant, ſed tamen meminiſſe debent conſilii illius diuini. Exaltatus es ſupra alios, ſis quaſi vnus ex eis. Iouius ſcribit Callimachum miſerè apud piſtorem vitã finiuiſſe, ſed refutatur epitaphio, quod Cracouiæ ſepulchro eius, in ædibus s. Trinitatis, inſcriptum ita legitur.

Callimachi epitaphium.

Philippus Callimachus experiens, natione Thuſcus, vir doctiſsimus, vtriuſque, doctrinæ & fortunæ exemplum imitandum, atq; omnis virtutis cultor præcipuus, diui olim Cazimiri & Iohannis Alberti Poloniæ regum ſecretarius acceptiſsimꝰ, relictis ingenii ac rerum à ſe geſtarum pluribus monumentis cum ſummo omnium bonorum mœrore & regiæ domus, atque huius Reipub. incommodo. Anno ſalutis noſtræ 1496. Calend. Nouembris vita decedens hic ſepultus eſt.

1494. Iohannes Albertus Rex cum fratre Wladiſlao Bohemiæ & Hungariæ Rege in Liuocz conuentum agunt; conſultantes, quomodo, coniunctis viribus, cædem crudeliſsimam Wladiſlai patrui ſui vlciſcerentur, propoſitumque ſuum nemini reuelant. Ideo Iohannes Albertus Creſlaum Curoſuantium Cancellarium & Epiſcopum Wladiſlauienſem, qui ipſum ab inſtituta expeditione, quam Bucouienſem vocant, reuocare conabatur, immaniùs obiurgauit; inquiens, ſacerdotem ſacrorum, non belli curam gerere debere: ſe autem vel induſium ſuum concrematurum eſſe, ſi id conſilii ſui conſium eſse ſciret. Non deſunt alii, qui adhuc occultiorem cauſam illius belli ſuſcipiendi præter hanc habuiſſe Regem affirmant, quam ei

Alij de Sigiſmũdo fratre in Palatinatu Valachiæ conſtituendo conſilium habuiſſe prædicant.

Callimachum

Callimachum insidiosè inspirasse in perniciem equestris ordinis, hactenus Poloni autummant.

1496. Expeditio belli quam Bucouiensem vocant. Hanc fatalia quædam signa, vt tum existimatum est, præcesserunt. Equus generosus in quodam paruo torrente iuxta Leopolim sub Rege succubuit, pauculaque aqua obrutus est. Eques item Polonus Szrobski, cum esset insanę mentis, clamabat vociferans: Nostri in suum malum proficiscuntur. Fulmen quoque quendam equitem cum duodecim equis interemit. *Bucouiensis expeditio.*

Præludia & occasio inimicitiarum inter Stephanũ Moldauiæ Palatinum, & Ioannem Albertum Regem hæc erant: Promiserat Moldauus se Regi cum vniuerso exercitu commeatum pabuli suppeditaturum. quod quia non præstitit, Rex plurimùm ei indignabatur. Socauiamque exercitum admouit; quæ cum venienti portas occlusisset, quaternis castris positis, oppugnare eam instituit. Habuit autem Rex tum exercitum numerosum. Nam octoginta millia bellatorum habuisse dicitur: curruum ferè triginta millia. Aderant etiam cum eo Sigismundus frater. Aderant & Magistri Cruciferorum Ioannis Tieffen legiones: sed ipse Magister Leopoli mortuus erat. Verùm, cum recordarentur Poloni se eductos ex patria ad alia maiora, quàm ad Socauiæ oppugnationem, tædio moræ dimissionem à Rege petunt. Et iam Wladislaus Rex Hungariæ inter Regem & Palatinum inimicitias per legatos composuerat. Fœdere itaque firmato, facilè Rex suorum votis annuit; præsertim cum valetudinarius esset. Interea in reditu, iam nihil tale nostris opinantibus, cum syluam Bocouetiam ingressi essent, Stephanus fœdifragus tam à fronte, quàm à tergo, eos aggreditur, magnamque stragem in nostris edidit, complures captiuos secum abegit: Inter quos Gabriel Comes à Thecin erat. Et narrant ii, qui cum Palatino Syradiæ Magnifico Alberto à Lasko Despotam Valachiæ anno 1562. deducebant, se vidisse in illis syluis ossa illorum, qui tum fraude circumuenti & interfecti à Valachis fuerunt. Sed existimo & ipsorum Valachorum ossa ibi reperiri. Nam & in ipsis nostri, Regis præsertim aulicus exercitus, magnam cladem fecerunt; ita vt prorsus pro victis ab illo conflictu Valachi discesserint, & plures multò ex eis perierint, quàm ex nostris, exceptis Mazouiorum cohortibus, quæ illo syluestri genere pugnæ illis incognito, Valachis autem vsitato, concisæ sunt. Sed mox, vbi ad littora Pruti ventum est, iterum virtute Polonorum commissa pugna, Valachi fusi fugatique in syluas se abdiderunt, magnam stragem nostris in eis edentibus. *Gozdziec sylua illa à Gottis veterib. dicta, qui illa loca olim habitabant.*

1498. Turcæ Russiam vastantes, hyberna tempestate deleti. Periisse tunc eorum supra quadraginta millia tradunt. Multi postea reperti, qui

perti,qui,interfectis equis,in eos exenteratos & adhuc calentes tum se illatebrauerant. sed frustra; statim enim calor artus vita & sanguine destitutos deserebat. Reliqui, cum sese vtcunque tandem explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano Palatino, & Valachis primò excepti sunt. sed cum Polonorum insequentium habitum mentirentur, diuexati sunt ab iisdem & contrucidati; ita vt vix decem millia ex toto ipsorum maximo numero, qui nostras regiones inuaserant,Istro transmisso,salua domum redierint. In religionem hæc res cessit Turcis;ita vt sibi persuaderent,gentem Polonam atque Russam diuinitus defendi.Eo quòd irati cæli pruinis & niuib. tum deleti fuissent.

1500. Opatouia à Tartaris exusta,Zaichostum etiam, Bresta Lituanicum,Turobinum. Petrus Myskouius capitaneus Leopoliensis copiis tum mercenariorum præfectus erat. Tunc etiam Slupecius tantùm vno vase cremati vini (quod vocant) seu aquæ vitæ, in campum educto, Barbaros placauit,ne ædes quas in villa patria Slup habebat incendio traderent adeo insigni artificio fabrefactas, vt etiam cum omnibus structuris horum temporum,quando omnia subtiliùs fiunt,comparari possit. Mihi certè illa domus videtur insigne monumentum antiquitatis.

1501. Adornante iter in Prussiam cum exercitu Ioanne Alberto rege,mittit ad eum Stephanus Moldauiæ Palatinus legatos,deposcens,vt sibi Eliam Petri,qui ante ipsum Palatinus fuerat, filium profugum traderet;causam prætexens,quòd is affectare dominatum diceretur. Traditus quidem non est ei Elias, verùm capite plexus inspectantibus legatis. Et ne iniustè id factum esse existimaretur, vulgatum est crimen falsi in litteris regiis eum commisisse. Mittuntur postea legati ad Magistrum Prussiæ. Sed dum eunt & redeunt legati,Ioannes Albertus rex apoplexia vitam Toruniæ finiuit,ætatis suæ anno quadragesimo quarto. Regnauit octo annis,totidemque mensibus. Corpus eius Cracouiam reuectum & in Basilica arcis sepultum. Vbi hoc epitaphium marmori incisum legitur: IOANNES ALBERTVS REX POLONIAE SVCCESSIT PATRI DIVO CAZIMIRO, DE CHRISTIANA REPVB. NEDVM DE REGNO, BENEMERITVS. PACE ET BELLO CLARVS, INGENIO MAGNO, animo inuictus erat,rei bellicæ miles,eius ingenii consultor testis fuit. Nouem annis auitum & paternum regnum tenuit, annum agens quartum & quadragesimum Toruniæ 17. Iunii.Anno Domini MDI.primo immatura morte periit, relictis post se fratribus, Magno Wladislao Hungariæ & Bohemiæ rege,Alexandro Poloniæ successore. Regina mater ex longa stirpe Imperatorum,quæ filia regis, vxor, & mater erat, charissimo filio & bene merenti

Elias Palatini des Valachiæ.

bene merenti cum altero filio Sigismũdo duce hoc sepulchrũ posuit.

ALEXANDER.

Anno mundi 5463.
Anno Christi 1501.

COmitia noui regis eligendi gratia indicuntur Petricouiæ, vbi heroës Polonici adeoque omnes ordines conueniunt. Ibi alii Wladislaum Bohemiæ & Hungariæ Regem, alii Sigismundum Glogouiensem Ducem; alii verò Alexandrum Ducem Lituaniæ, regem exposcebãt. Sed, cum illud diploma amplissimum, viginti quinque signis procerum Lituanorum obsignatum legati Alexandri in medium produxissent, omnis dubitatio sublata est. Non deerant tamen, qui consilio dolum addere volentes, spargebant rumorem, Alexandrum omnino cum exrcitu aduentare. Sic enim fit, vbi certus electionis modus non extat. Aderat autem in illis comitiis ipse Fridericus Archiepiscopus, filius Cazimiri Regis. tamen liberum populum liberè consultare permisit in præsentia sua de rebus, quas vtiliores fore iudicarent conseruationi Reipub. Polonæ. Speciosa quidem fuit oratio eorum, qui Wladislaũ proponebant. Nam paternum & auitum regnum duorum regnorum Hungariæ, & Bohemiæ opibus & autoritate munire, erat certè aliquid, quod oculos hominum facilè perstringere posset. Tamen ad mentionem Lituanæ & necessitudinis cum Lituanis iamdudum contractæ, omnes illos titulos quantumuis suo splendore coruscantes, sicuti & antea quoque tempore Wladislai Iagellonis, spreuerunt Poloni, & Lituanorum amicitiam cunctis aliis rebus prætulerunt; vt eos hoc modo & ratione tantò magis sempiterno iure non tam sibi amicos, quàm secum membra & viscera vnius Reipub. redderent. O prudentissimum vetustatis consilium; quod postea & ipse Wladislaus per nuncios collaudauit, & Sigismundus præsentia sua factum cohonestauit, approbauitque. Itaque coronatur Alexander Cracouiæ. Helenæ verò vxori eius diadema denegatum est: eò quòd mordicus Græcorum religioni adhæreret. Nec filia meliorem spem de se dabat, ab institutisque Romanæ ecclesiæ prorsus abhorrebat. Eodem tẽpore Sachmates Zauolgensium Tartarorum princeps à præfectis regiis captꝰ Vilnam transmittitur, & cum aliquoties euadere conatus esset, ex fuga retractus est.

1502. Tartari Taurici Opatouiam, Lagouiam, Belzum, Iaroslauiam diripiunt, & incendunt. Tunc fuit secunda Opatouiæ conflagratio.

1503. Hic annus memorabilis Friderici Cardinalis morte. Erat Fridericus aspectu decoro ac dignitatis pleno. sed animi mœrore ci

tò consenuit. cruciabatur enim, quod fortuna eum fratribus non æquasset, regios honores ei denegando. Ideo veluti despondens animum, inertiæ sese dediderat, in compotationibus, turpique luxu ac sordibus cum quibusdam suis marcescens. Ad extremum morbo Gallico confectus moritur, vt Miechouiensis refert. Epitaphium eius sepulchro tale inscriptum legitur: HOC OPVS FRIDERICO CARDINALI CAZIMIRI FILIO qui quinque & triginta annis exactis, 1503. Marci 14. obiit, fratri charissimo diuus Sigismundus rex Poloniæ pientissimus posuit. Ei Andreas Rosà in Episcopatu succedit. Eodem tempore Vincentio Prærebio Episcopatus Præmislienſis defertur. Iohannes Lascus à secretis & annulo Regem in Lituaniam sequitur, bene exercitatus in negotio Cancellariæ. Conradus Mazouiorum Dux moritur, & filiis in feudum Mazouia conceditur, vt mascula proles hæreditate eam obtineret, orbi verò inter se succederent. Laudaturque hîc liberalitas Alexandri, qua cæteros fratres superasse dicitur. Valachus prouinciam Pocuciæ, ad montes Sarmaticos sitam, iuris sui facit, de sua ditione iniustè priùs detractam dictitans.

1505. *Motus in Lituania non omnino leues, dum Senatus Gliniscium, & Gliniscius Senatum apud Regem accusat. Fuit Gliniscius magni animi vir. Hic adolescens adhuc in Germania apud Albertum Saxoniæ Ducem, dum in Frisia bellũ gerit, strenuè se gessit, ac per omnes militiæ gradus magnum sibi nomen peperit. Itaque, rediens ad suos, vt fit, multa sibi permittebat, alios despicatui habens. Quamobrem cuncti eum elati animi hominem iudicabant; dabantq; ei vitio, quòd potentia sibi parata & opibus, alios in odium apud principem adduceret, plerosque etiam falsò criminaretur. Ita alij Palatinatu moti, alij Senatus ingressu excluſi in acerbo dolore versabantur. Vilna tum muro primùm cincta. Mechmet Kierei Tartarorum Dux, ad Minsko castris positis, quoquouersus cohortibus dimissis, Lituaniam vastat, Dumq; reprimitur impetus hostium, Prunscius Dux Hlebus multitudinis armis opprimitur. Sed quia delati sumus ad commemorationem huius strenui Herois, monet me occasio, vt altiùs repetam historiam huius stirpis. Post mortem Wladimiri Monomachi nuncupati, Monarchæ Kiouiensis adeoq; totius Russiæ, vnus ex filijs eius Iaroslaus occupauit Rezanensem Ducatum: vnde cognominari voluit Magnus Dux Rezanensis. atque instituit, vt posteritas ipsius pro insignibus vteretur viro loricato in equo decurrente, cum stricto gladio. Ipsi, inquam, hoc inuentum tribuitur. Hic, confecto curriculo & vitæ, & dominatus sui*
1545. *in Rezanensi Ducatu anno 6652. vt Russi ab orbe condito numerant, duos filios reliquit; quorum maiori natu Iacopelko Ducatus Rezanensis sorte*

zanensis sorte cessit. Suetoslaus verò iunior in Ducatu Prunscensi sedes suas fixit. titulo similiter Magni Ducis sibi vsurpato. Etenim fuit vir magni animi, non obscurè referens indolem illorum duodecim Heroum, vel vt Russi vocant Bohatirorum, à quibus originem ea gens ducit; vt annalistæ Russorum memoriæ mandarunt. Hic moriens reliquit Georgium filium ex filia Olhæ Ducis Branskij. Georgio defuncto anno 6687. successit Ihorus, & Iaroslaus. Ihorus Hlebo Rezanensium Duci cum auxiliares copias adduxisset, in conflictum belli equo delapsus & grauiter vulneratus, in itinere dum reuerteretur, mortuus est; relicta filia Olha, quæ postea Duci Quatuoreccleſienſi nupsit. Iaroslaus autem filium habuit Wladimirum, qui ex Olha coniuge Restouiensi Ducissa Olham & Wsenolodum filios suscepit. Horum Olha anno 6727. à Tartaris, qui Duce Balakleio (à quo propugnaculum illud ad Borysthenem nomen accepit) Russiam vastabant, interfectus est. Wsenolodus autem ex Ducissa Sudaliensi filium habuit Mscislaum, mortuusq; est anno 6737. Huius Mscislai temporibus, iuxta annalistarum Russorum sententiam, anno à condito orbe 6747. Batti ille princeps famosissimus Tartarorum cum valido exercitu progressus, deuastauit patriam sedem istorum Ducum, Prunsko vocatam. Ipse Mscislaus in Quatuoreccleſienſem principatū profugiens, ægrè vitam seruauit. Fratres tamen, nepotesq; eius, adeoq; omnes eius ditiones vnà cum arcibus mole belli tum oppressæ & deletæ fuerunt. Post mortem Mscislai Georgius filius ex Ducissa Iaroslauiensi habuit filium Suetoslaum. cuius æuo inciderunt illa bella Russica Gedimini Magni Ducis Lituaniæ, à quo etiam Stanislaus Kiouiensium Monarcha principatu exutus & deturbatus, Prunskum ad hunc confugiens, portum suorum malorum reperit. Recreatus demum Rezanum concedens ad Ducem Rezanenſem, filiam eius vxorem accepit, & ibidem vitam finiuit. Demetrius filius Swetoslao successit, qui Tartarorum Zauolgensium Circassiorumq; continuis incursionibus fatigatus, anno 6861. fatis concessit; filio relicto Rossislao, qui ex Ducissa Tucrensi progenuit Demetrium filium, & tandem anno 6892. mortuus est. Demetrius nobiles inimicitias & bella gessit cum Duce Rezanensium, quoad vixit; ideo quòd auxilia ferens Duci Moschouiæ, ditiones eius attriuisset, ac debellasset. Hic, relictis duobus filijs, Georgio & Michaele, mortuus est anno 6929. De cuius morte cum ad Moschorum ducem fama peruenisset, misso Duce Iaroslauiensi, consolatur eos, beneq; sperare iubet; ac veluti memor necessitudinis, quæ ei cū patre eorum intercesserat, beneuolentiam eis suam vltrò offert. hoc agens insidiosè & modis omnibus persuadere tentans, vt se eius tutellæ & defensioni vtpote minores iusta ætate permitterent.

ætate permitterent. Erat hoc speciosum consilium, ac tempori illi & eorum ætati imbecilli conueniens. Sed præmoniti de humanitate Moschi insidiosa, nequaquam eius legationi assentiuntur. Offensus ille vehementer, cogit contra eos exercitum. Georgius in tempore monitus auxilia Tartari Præcopensis, missa in stipendium militi pecunia, implorat. Hinc aliquot millia expeditiorum Tartarorum Carus Princeps mittit; quibus suorum tria millia Georgius adiungit. Cum hac manu Moscho iam appropinquanti cum exercitu occcurrit. Committitur prœlium atrox. 1423. Sed dux immaturæ ætatis multitudine circumfusus profligatur; ita vt fugæ se committens ægrè ad Præcopensium Ducem incolumis euaserit. Acta sunt hæc ab orbe condito anno 6930. iuxta annalistas Russorum. 1427. Postea Dux Moschouiæ, contracto exercitu, obsidione cingit arcem Prunsko, & vi eam vnà cum orphano Michaele capit, quem secum in Moschouiam abducit; vbi possessiones ei attribuit. arci verò captæ præsidium validum imponit, ac omnem Ducatum in prouinciam redigit, quæ hactenus ditioni eius subest. Fuit principatus iste opulentissimus, felicitateq; soli nulli prouinciæ, quæ Moschis parent, excepto Rezanensi Ducatu, cedens. Ideo Magnus Dux libenter eum titulis suis adiungit. cuius rei monumenta Archiui Regij documento esse possunt. Habuit autem illa prouincia milites strenuos. Nam sita est in loco obuio ferocissimis gentibus inter profluenta Dunæ & Dunec, ripamq; Mæotidos, non longè à portu Azowo; vt in Chorographia nostra expressum cernis. loco fere illo, vbi aræ Iulij Cæsaris inter antiquitates monumentum celeberrimum, sitæ esse à Strabone & Ptolomæo Geographis perhibentur. Quia verò Batti, Balakleius, & alij clari duces Tartarorum quibus cis Volgam habitatio est, illac exercitus suos ducta runt, ideo per hanc prouinciam via expedita & transitus in Europam Tartaris commodior patet. Itaque est illa eorum iniurijs valde obnoxia. Ad quorum tamen transitus prohibẽdos Helena mater Ioannis Basilij Ducis Moschouiæ, anno salutis 1537. arcem muro & turribus frequentibus muniuerat, præsidioq; firmo imposito, armorum omnis generis apparatu referserat. Cuius rei oculatũ testem habuimus in Polonia virum non postremæ autoritatis apud illam gentem, Ducem Andream Krupski, qui ex mandato Magni Ducis Moschorum Ioannis Basilidis nuper mortui, præfecturam illam cum imperio militari administrauit, idq; per 12. annos. sed Moschi tyrannidis metu deinde perculsus, ad Regem transijt; cui præfectura Kowlensi in Volhynia prospectum fuit: vbi etiam vitam finiuit. At verò Georgius, de quo ante diximus, cui facies decora ac principali stirpe & ipsius genere digna, apud Carum Præcopensem gratiam conciliauerat, interim obtinuit, vt ad recuperandas patrias sedes

Aræ Iulij Cæsaris in Ducatu Prunsciorum.

das patrias sedes remitteretur, adiunctis ei duobus Cari filijs cum exercitu non contemnendo: ea lege, vt, vendicata sibi patria, annuum tributum Præcopensi penderet, pecuniamq; in militum stipendia expensam numeraret. Accidit autem dum ille prosequitur iter, vt Carus ipse iam senex moreretur. quo nuncio accepto, ex itinere domum reuertuntur milites omnes, Georgio secum vincto reducto, & in custodiam tradito. Non enim cernebat gens illa aliam rationem, qua sibi de expensa pecunia cauere posset. Itaque illic vndecim annos illam captiuitatem pertulit, donec benignitate Iagellonis est liberatus; qui etiam missis duobus magnæ autoritatis viris, quorum alter & quidem præcipuus Holsanensis Dux fuit, eum aduenientem in finibus benignè excipi, & honorificè in Poloniam deduci iussit, anno 1434. Hic Georgius postea Sigismundi Ducis Lituaniæ tyrrannidem veritus, vxorem ducit Ducissam Slucensem, ex qua filium Ioannem suscepit, qui vnà cum matre breui fato concessit, Orbitatem igitur suam consolaturus secundò adiunxit sibi vxorem filiam Solomirecensium Ducis ex qua Hlebum filium procreauit anno 1462. verùm, sex annis exactis, subsecutus est priorem vxorem. Fuit vir comitate morum, & mansuetudine cum alijs, tum ipsi Cazimiro Regi filio Iagellonis maximè commendatus, qui erga eum signum fauoris & beneuolentiæ non vulgare edidit, curia Brestæ ipsi donata, & ampla possessione Comoneicka vocata, quam antea Rinuntouith, & ipse vir clarus, loco præfecturæ rexerat. Georgij Hlebus filius vir acer in armis fuit, staturæ proceræ & conspicuæ; ideoq; se seruitijs Reipub. totum addixerat, & temporibus Iohannis Alberti, & Alexandri regum Poloniæ aulicus fuit primò, deinde Magister cohortum effectus, copias ductauit. Duxit is vxorem, filiam Tiuonis Vilnensis Trocensisq; Potbipiatham nuncupatam; ex qua duos filios suscepit, Fridericum, & Andream, filiasq; aliquot, quarum vna peperit Ioannem Zinouicium Dapiferum Magni Ducatus Lituaniæ, qui & capitaneus vt vocant, Trabscensis fuit. Hlebus tandē anno 1513. ad Minsko à Tartaris, cum multa opera strenui viri ac bellatoris edidisset & cum contemptu etiam vitæ suæ egregiè dimicasset, interfectus fuit. Vir decora facie, & suaui ingenio præditus: ideo cunctis; & potissimùm ordini equestri desiderium sui moriens magnum reliquit. Ab omnibus ergo solenni pompa eius funus deducitur, & mole ex terra in altum egesta honoris causa sepelitur. quæ ad hunc diem in Lituania Magnus cippus Ducis Hlebi Prunscij vocatur. Fridericus Hlebi filius Palatinus Kiouien. & Præfectus multorum capitaneatuum fuit. Matrimonio autem iunxit sibi Theodoram filiam Boguslij Zglouiczinij. de quo obiter pauca. Fuit Boguslius vir toga clarus thesauriq; terrestris (vt vocant.)

Lituaniæ præfectus. Duxit is vxorem Ducißam Sanguſkouiam ex qua tres filias habuit, quarum maior natu fuit Anna, quæ nupſit Staniſlao Tencinio Palatino Cracouienſi; cui peperit Ioannem illum Baptiſtam Palatinum Belzenſem, Præfectumq; Lublinenſem, virum maximæ expectationis; niſi mors immatura tranſmarinam peregrinationem periclitantem peremiſſet; et Catharinam fœminam lectiſſimam. Hæc primò nupſit Georgio Duci Slucenſi, peperitq; ei tres filios, qui nunc in luce hominum verſantur. Tandem Chriſtophoro Radiuilo Palatino Vilnenſi ſecundo matrimonio eſt copulata. Iulia Boguſij minima natu filia Hornoſtaio nupſit. Theodora autem tradita fuit Friderico Prunſcio Palatino Kiouienſi, vt iam dictum eſt, ex qua duos ſuſcepit filios & duas filias. Horum liberorum eius duo, Georgius & Maria immatura morte ſublati ſunt. Elizabeta verò alia filia iuncta eſt matrimonio Ioanni Zborouio, Caſtellano Gneznenſi, aulæ regiæ copiarum præfecto, Odalanouienſi, Grudecenſi, Vendenſi, Volſtinenſi, Dubiſcienſiq; capitaneo, cui peperit filiam Annam anno 1576. quæ viuit; mater verò fatis conceſſit. Porrò Alexander alter Friderici filius qui Kiouiæ anno 1553. natus eſt viuus ſupereſt. Hic, vt Reipub. meliùs inſeruire poſſet, in exteris nationibus magnam partem ætatis ſuæ varijs ſtudijs occupatus exegit. In Germania ſub præceptore ſtrenuo, viro inſigni, ſtudiorum ſuorum primum tyrocinium fecit. Tandem profectum ſuorum ſtudiorum vberiorem reddere volens, Lutetiam Pariſiorum conceſſit. Inde in Angliam, & in Galliam Belgicam. vbi Gantabrigiæ Louaniiq;, veluti mercaturam bonorum ſtudiorum profeſſus, ſubſtitit. In Hiſpaniam tandem, & poſtremò in Italiam, impulſus deſiderio videndi variarum Rerumpublicarum formas, et militaris diſciplinæ inſtituta, nauigationem, & peregrinationem moleſtam ſuſcepit. Quæ res ei poſtea vſui fuit. Nam, cum Reſpublica Polona & Lituana de eligendo in regem Henrico Gallo deliberaret, ille, quamuis adhuc adoleſcens Magni Ducatus Lituaniæ nomine, ex ſententia Reipublicæ illius, vnà cum Nicolao Radiuilo Palatij Magiſtro oratorem in comitijs egit. Et poſtea, confirmata iam ætate, Stephano regi ad famam benignitatis eius & aliarum maximarum virtutum excitus, ſuis ſumptibus ſponte, ſeu voluntaria (quam vocant) militia militauit. Commemoratur iam & à ſcriptoribus laudibus extollitur eius equitum ala, ob decorem eximium, equos egregios, armorum copiam &, quod maximum eſt, lectiſſimorũ iuuenum numeroſam manum. Hic nunc cohoneſtatus Dapiferi Lituaniæ titulo, Luccoriæ, vbi olim ſedes Ducum Ruſſiæ fuit, & conuiuium illud multorum regum toto orbe decantatum, Præſidis munere fungitur. Sed ad patrem eius Fridericum redeo; cuius inter alia in Rempub.

lia Rempub. merita illud non postremum à viris militaribus sæpe commemoratur, quòd arcem celeberrimam in aditu & finibus ipsis q; faucibus Scythiæ, vltra Kiouiam, Bialacerkie-w dictam excitauit efferamq; illam gentem transitu ad nos, quoad fieri potuit, prohibuit. Certè summa eius industria vel ex loci illius ad construendam arcem delectu patet. Est enim ille locus veluti pharos & specula totius Russiæ, vnde primum & certissimum nuncium de Barbarorum aduentu affertur. Sæpe ibi videas Tartaros sub mœnibus arcis, tanquam canes in culinam prospectantes. Quòd si lateant aut fallant excubias aliquandiu, magnus & inemendabilis error statim sequitur. Cum verò tempestiuè obseruantur, fama tandem de eorum irruptione ab vna in aliam arcem defertur, donec ad Campiductorem et inde ad Palatinos Regemq; ipsum peruenit. Significat autem apud nos Campiductoris nomen simile quid eius, quod apud Gallos Admiralij appellatio declarat. Nam, vt ille à maris custodia sic vocatur, ita hic à campis illis amœnissimis & à solitudinibus, quæ per centum & ampliùs milliaria nostratia Scythiam versus patent, nominatur. Horum enim illi custodia & tutella veteri instituto committitur. Potest igitur hic heros inter principes fortunatos connumerari, quòd gratia & beneuolentia maximorum, & minimorum, sibi comparata, ex hac luce decesserit; fortuna cum eo semper blandè, quasi ei obstricta esset, agente. Mortuus Vilnæ anno 1555. *sepelitur in templo monasterij sodalitij Bernardinorum.*

Campiductor quid propriè apud Polonos.

1505. Elizabeta regina, prudentissima fœmina, quinque filiorum ad tantam sublimitatem honorũ euectorum aspectu satiata, moritur.

1506. In Polonia in Senatu motus quidam oriuntur. Certatum enim est inter politicos & ecclesiasticos de ordine & ratione sedendi in Senatu regio, ac de expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, vt Episcopi alterum latus regis sibi concederent, alterum, vel dextrum, ipsi tenerent; deinde, vt bona ecclesiis addicta, perinde ac Nobilitatis bona, publica belli onera sustinerent. Tuebantur Episcopi prærogatiuas suas; quòd regio lateri ab vtraque parte assidendi ius haberent, & militiæ vacatione ecclesiastica bona antiquitus gauderent. Post longam altercationem Rex tandem controuersiam ita diremit; vt Episcopis & ecclesiis suæ prærogatiuæ saluæ manerent.

Per idem tempus duo Strusii fratres, adolescentes strenui & bellicosi, à Valachis oppressi occubuerunt. De quibus etiam nunc elegiæ, quas Dumas Russi vocant, canuntur, voce lugubri, & gestu canentium se in vtramq; partem motantium-›, id, quod canitur, exprimentes; quin & tibiis inflatis rustica turba passim modulis lamentabilibus, hæc eadem imitando exprimit.

Strusij.

Hoc anno Ioannes magnus Moschorum dux cum Stephano illo magno Va-

Moschorum potentia aucta amicitia Valachorum.

magno Valachorum Palatino affinitate & amicitia contracta, Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros Hungarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos, Suecos, Liuonos, partim subiugauit, partim tributarios sibi fecit, & Lituanis septuaginta arces ademit. De hac re vide Heberstein um Slauum oratorem apud Moschum Maximiliani Imperatoris. Eodem anno Lituani Tartaros ad Kleczko oppidū ingenti clade prosternunt & contrucidant. Laudatur in eo prœlio virtus Staniſlai Kiska Lituani, quem copiis rex præfecerat. Laudatur & dexteritas Glincii aliorumque. Sed & Czarnicouii Sediuouii Palatini Posnanienſis animus & prudens ex tempore captum consilium prædicatur. Is enim Vilna accurrens cum trecentis ex aulico Regis comitatu hastatis, in primo agminum congressu è propinquo colle Tartaris se ostendit; cumque armis fulgentem frontem aciei suæ latiùs diduxisset, ac tympanis atque tubis vehementiùs insonare iussisset, Lituanis quidem animum, hostibus verò terrorem non mediocriter auxit, cum longè maiorem quàm pro numero, speciem exercitus vtrisque subitò ex loco opportuno monstrasset. Itaque statim Tartari territi terga dedere. & Lituani alacres eos persequi non desierunt, donec omnes ad vnum cruenta clade fudissent. Quæ victoria cum Regi iam animam agenti nunciaretur, sublatis in cælum manibus suspirans & collachrymans, tacitus, amisso iam vsu linguæ, gratias agere Deo est visus, omnibusque circumstantibus manum porrigens ad superos commigrauit; anno ætatis quadragesimo quinto Vilnæ; vbi & sepultus quiescit. Quatuor annis & mensibus octo Poloniæ regni sceptra tenuit. Cæsa referuntur tunc Barbarorum viginti millia; totidem equi capti, & præda omnis excussa. Admodum autem industriè tunc Lituani reliquias exercitus Scythici deleuerunt. Nam non contenti post primam & secundam impressionem victoria, conferebant se ad statiua hostium, quæ Koß/ hoc est calathus, vocantur. Ibi taciti manentes opperiebantur, donec cæteri hostes, qui prædatum longè lateque excurrerant, casus suorum ignari, ad statiua, quemadmodum inter eos conuenerat, reuerterentur. Ita cunctos, qui post tertiam aut quartam diem turmatim reuertebantur, vt quique primi venerant, excipiebant, & aggressos magna strage concidebant. ex qua qui euadebant, à militibus interficiebantur, quos Glincius in eum finem, quacumque suspicabatur Tartaros in fugam se coniecturos, antea disposuerat. Ita & castra repetentes, & fugæ inde sese committentes, vtriq; ad vnum occidione occisi sunt.

Alexander sub finem fœlicior Alberto. Contrà Albertus ab initio fœlicior.

SIGISMVNDVS.

SIGISMVNDVS.

Anno ab orbe condito 5469.
Anno Christi. 1507

CVrato sumptuosè funere Alexandri, Sigismund⁹ frater eius Dux Glogouiensis,& Opauiensis Capitaneus generalis,Magnus Dux Lituaniæ, Petricouiæ Rex Poloniæ eligitur, & Cracouiæ ab Andrea Rosa Archiepiscopo Gnesnensi 24. Ianuarii coronatur. Sequenti verò die eques, coronam in capite gestans,in vrbem de more descendit;& ibi iusiurandum à magistratu vrbis Cracouiensis, & claues vrbis accipit. Ad regium igitur munus & potestatem euectus, statim dedit operam diligenter, vt omnes ordines,& magistratus regni ad officia eorum legitima reuocaret; constitutaq; bene Repub. hostes regni coherceret. Cum autem neruo belli Respub. Polona ob immodicas largitiones Alexandri nuper mortui regis destituta esset,Sigismundo hac de causa valde solicito peropportunè Ioannes Bonerus vir prudens,& diues præstò fuit. Nam præter id,quòd pecuniæ,ex propria arca,magnam vim ei contribuit,ac numerauit, eas etiam ditiones & bona, quæ erant hactenus alieno ære obstricta,vt liberari possent,effecit.qua de re ex Ludouico Iusto Decio in vita Sigismundi, sic accipe: Comitatum Scepusiensem ex manibus Iohannis Iordan duodecim millibus aureorum liberauit.Ducatum Osvvicien sem, & Salinas Russiæ à Paulo Nigro Cracouiensi ciue quatuordecim millibus aureorum exemit. Proschouiam oppidum à Georgii Lang hæredibus nouem millibus aureis liberauit. Nieschouiensem arcem è manibus Stanislai Koscielecii nouem millibus redemit. Item paulò post inter Cracouiensis vrbis mœnia, ad præfecturam pertinentia;præsertim molendina,custodiam piscium, macella, & quædam alia plus duodecim millibus redemit. Salinas Cracouienses censibus plurimùm grauatas, iis, magna pecuniarum summa erogata,leuauit; quibus tunc,in initio regni Iohanne Iordan mortuo, Andream de Koscielec præfecit. Ilkusiensis plumbi Olboram à Seuerino Bethmano quinque florenorum millibus exemit. Præterea Syradiam quinque millibus, Gostiniam duobus millibus, Miedzirzecz duobus millibus trecentis, Radomiam trib⁹ millibus, Sochazouiam septem millibus, Piotrkouiam mille ducentis, Drohobicz quinque millibus,Rabstinensem arcem mille quingentis,Arcem Ritter mille,Lublinense teloneum mille quadringentis,Slochouiensem arcem quatuor millibus,Tucholã vndecim millibus,Sandz quatuor millibus, Iuno Wladislauiam quinque millibus, teloneum & pontale Thorunien se decem millibus florenorum,ex diuersorum manibus eruit. Atq; hæc omnia in ipsis fermè regni initiis cum aliis multis regio ærario adiecit. Interim Moschus, Glincio duce,

Prima cura Regum recens electorum.

Iohannis Bonëri prudentia et diuitiæ.

Bona regalia alieno ære obstricta liberantur.

Glincius.

qui Zubrezinio per idem tempus interfecto,ad eum transierat,exercitum in expeditionem contra nos educit. Cui Sigismundus copias suas,Duce Firleio,opponit. Moschicus exercitus, qui sexaginta millium fuisse certò affirmatur,potentiam Sigismundi,& industriam ducis belli reformidans, illa nocte,quæ conflictum diremerat,nequicquam eos ex fuga retrahente Glinscio per syluas & paludes dilabitur. Sub idem tempus Glinscius, per Georgium Rechemberg equitem Germanum summæ tum authoritatis apud Regem, reconciliari cupit. Non abhorret Sigismundus à viro; imò nobilem quendam iuuenem Polonum Trepkam ad illum in Moschouiam ablegat.qui vt commodiùs mandata Regis exequi posset, perfugam se simulauit. Sed, aduersante ei fortuna,à Moscho capitur;& mox ad quæstionem abripitur ac torquetur. Laudatur in eo iuuene, quòd arcanorum domini sui tam pertinax fuit custos, vt etiam grauissimè tortus,sicuti Moschi in hoc excellunt, tamen mandatum perferendum sibi concreditum non reuelarit. Laudant Athenienses suam Leænam meretricem,quæ,cum tormentis adigeretur, vt consilia eorum proderet, qui contra Hipparchum tyrannum conspirauerant (nam amica fuit eorum) linguam dentibus ipsa sibi amputauit. At Trepka noster linguam integram habens,ingenita sibi virtute tacuit;ac maluit quæque extrema subire, quàm aliquid contra decus nobilis Poloni committere.

Firleius dux belli contra Moschum.

Rechemberg.

Trepka vere alligatus & ad lentum ignem tostus secretum sibi commissũ non pandit.

Leæna meretrix.

1509. Moschorum magno Duce iam pulso, ac propemodum profligato, Valachus iterum cum Polonis in harenam descendit. Ad vrbem Leopolim is,& magnam partem Russiæ penetrauerat,thesaurosque inde non exiguos exportauerat. quem Poloni insecuti, cum assequi non possent (nam in profundis syluis se abdiderat) Dorochimam, Sczepanouice, Czarnovvczice, Botuszaniam, Chocymiamque cœperunt, & Sochauiam grauiter oppugnarunt. Ita, vniuersa regione peruastata, ad suos spoliis onusti, graui agmine reuertuntur. Interim, cum nostri Tyram seu Nestrum traiicere vellent, Valachi, nactos se rati eorum profligandi occasionem, è syluis ad pugnandum eosq; fluminis transitu prohibendos instructi erumpunt. Cum quibus equitatus aulæ regiæ, qui in ea, vbi hostes erant,fluminis ripa remanserat, prœlium acre commisit, transmissisque clam à tergo aliquot cohortibus Polonorum, omnem exercitum Bogdani Valachi fuderunt. Captiui fuerunt in eo prœlio inter alios primores, aliquot Palatini & multi equites; quinquaginta autem securi percussi. vt scilicet compensaretur mors mercatorum Polonicorũ, quos Stephanus pater istius captos Trebovvliæ, in oppipo Podharce concidi iusserat. Triginta porrò captiui insignes Leopolim dedu &i sunt,in his Logophetus minor,id est Procancellarius,quem Golofetum nostri corruptè vocant.

Bellum Valachicum.

Logophetus Valachiæ.

1511. Lubecenſes Gedanenſium portum inuadentes, multa damna eis inferunt; æs, cuprumque (quod vocant) Phocarorum inde abripientes. Per idem tempus Laskovvskius genere Sarmata à Turcarum Imperatore legationem obit. Quod exemplum eſt veteris inſtituti illorum principum. Legationes enim transfugis libentiùs, quàm ſuis, mandant. Vitus de Fuerſt legatus Imperatoris Maximiliani Piſonem Oratorẽ ſummi Pontificis in ſenatu ſede & loco priore deturbat. Interrogatus quid ita? reſpondet & demonſtrare conatur, in rebus politicis potiorem locum deberi Imperatori, quàm Pontifici. Hæc autem promanabant ex veteri diſsidio inter Henricos Fridericosque & Pontifices de Cæſarchia (vt ita loquar) & Hierarchia, vtra alteri præferenda ſit.

Laskowski Turcicus legatus.

1512. Cum Sigiſmundus iam expertus eſſet arma Moſchorum & Valachorum, tertiò Scythæ contra eum arma mouent. quib⁹ Conſtantinum Oſtrouicium cum Lituanicis copiis, & Nicolaum Camenecium cum Polonicis ad Viſnoueciam opponit. ſed antequam vidiſſent hoſtem, concertatio quædam nobilis de principatu loci inter vtroſque oborta fuit. Conſtantinus enim dextrum cornu ſibi depoſcebat, eumque honorem ſibi deberi contendebat, quòd longo, vſu hoſtium copiæ ſibi, ſuisque optimè cognitæ eſſent; contrà verò Nicolao & ſuis incognitæ. itaque verendum eſſe, ne inſuetis militib. pugnæ mala facientib. initia, aliquid triſte conſequatur. Contrà Poloni, eorum auſpiciis rem geri clamabant; neque ex vſu fore tam exiguum exercitum in multas cohortes diuidere. Conſultiùs igitur eſſe, vt adæquatis honoribus, & viribus iunctis, tanquam vnius corporis, vniusque Reipub. membra, quam Deus dare vellet fortunam expectare, de eaque maſculo animo, viribus cum hoſte contendere. Interim dum in hanc, & in illam partem commutantur ſermones, anteambulones hoſtem iam prope adeſſe renunciant. Itaque, altercatione poſthabita, raptim acies ad hunc modum inſtruuntur. Conſtantinus cum Lituanis dextrum latus occupat, quod Poloni antea aliquoties ob arcuũ commodiorem vſum eis ſpontè concedebant, (nam vſu compertum eſt maiore dexteritate dextrã tenentes è pharetra iacula depromere & eiaculari) Polonis autem mercenariis ſiniſtrum cornu tutandum ceſsit. Acies media ex nobilibus patriciis, ac veteranis confecta fuit. ita vt iſti in medio, illi verò cum mercenariorum aliquot cohortibus velut antemurale coram eis conſtiterint. Conſtantinus, vbi animaduertit, media acie inſtructa, honori ſuo Polonos prudenter cauiſſe, copias ſuas aliquot paraſangis ſeorſim à Polonicis aciebus, ad colles quoſdam abducit. Interea præter ſpem hoſtes, acie directa, agminatim ſuo more tripudiantes, in Conſtantini aciem ſtatim irrumpunt; vt ita repentina audacia maiorem ei terrorem

Deſcriptio prælij cum Tartaris ad Viſnoueciam, cuius pictura cernitur Cracouiæ apud Franciſcanos.

Altercatio, vtra pars dextrum cornu tenere debeat.

ei terrorem incuterent. Suſceptum eſt vtrinque magna ſpe victoriæ certamen. Iamque magna ex parte mixtæ erant cohortes Lituanorum cum Barbaris, cum Conſtantinus paulatim retuliſſe pedem dicitur; vt ita ipſum ſuis ſequentibus, procellam Tartarorum, quæ ei imminebat, in Polonicas copias induceret. At vix Polonicas acies attigerat, ecce clamor à tergo coortus, ſignificans, Lituanos Barbarorum inſultus, atque pertinacem pugnam, telorumque ingentem vim ampliùs ferre non poſſe. Perculſusque Conſtantinus, cum ſuorum fugam videret, Polonos, vt ſubueniant quam primùm, hortatur. Hæc ferè ad verbum ex Iuſto Decio retuli. Scio alios tradere, quòd Conſtantinus conſultò ſeceſſerit, vt hac ratione hoſtem pugnandi auidum poſt ſe eliceret; ac ita dum ipſum longa acie hoſtes vrgerent, latera eorum, haſtatorum noſtrorum cuſpidib. obiiceret. Sed Iuſtus illius ſeculi ſcriptor, contrarium tradit. Præfectus itaque Polonicarum copiarum, videns Lituanos à fortuna mulctatos, Sampolenskio, & Bernardo Pothocio ſtrenuis militibus negocium dat, vt actutum ſubſidia laturi accurrant. Conſtantinus etiam ſuos fugientes ſiſtit. Itaque redintegratis viribus, pugna atrox committitur. Mutata fortuna, qui paulò antè fugere cœperant, intrepidis animis hoſtem fugere cogunt. Interea Tartari, laborantibus ſuis, omnes, paucis exceptis, qui cuſtodiendis captiuis relicti erant, ad ferendam opem accurrunt. Polonorum quatuor cohortes in eos immiſſæ ita iam ſe inſinuauerant, vt vndiq; circumſeptæ, in mediis aciebus non apparerent. ſubmiſsæ deinde aliæ poſt alias continuatis vicibus; quæ tamen hiatum illum in ſummo ardore conflictus explere non poterant. Rediit ergo res ad illam mediam aciem; atque ita vniuerſus exercitus vtrinque pugnare cœpit. Dum autem pertinaciter inter vtroſque certatur, vna ex noſtris cohortibus, inter confertiſsimos hoſtes penetrando, à primis peruaſit vſque ad nouiſsimos, vbi captiui noſtri præſidio Tartarorum tenebantur. Quibus conſpectis, ſtatim vincula manibus paucorum demunt. hi ſoluti, alios quoque ſoluunt ac liberant; atque ita, ſublatis manibus in cælum, ope diuina implorata, arreptis ſecuribus, verutis, & quæ caſus offerebat, mox ex captiuis milites fiunt, & perrumpentes acies hoſtium, ſecant, confodiunt, laniant. Itaq; Tartari animaduerſo infortunio ſuo, viribusq; & conſilio deſtituti, terga vertunt, & quò quemq; caſus ferebat, eò per campos diffugiunt. fugientes noſtri perſequuntur, ſternunt, ac conficiunt. Glorioſa hæc victoria fuit, & incruenta. Nam, cum ex hoſtibus viginti quatuor millia ceciderint, ex noſtris vix centum perierunt. Hoc prœlium penicillo adumbratum habes Cracouiæ in Periſtylio monaſterii Diui Franciſci.

Ducis Zatoriensis mors.

1513. Helena Alexandri Regis vidua moritur & Ianuſius Zatorienſis Dux

torienſis Dux dum Myskouium virum militari diſciplina inſignem, vt Iuſtus refert, variis iniuriis afficit, ab eo, dum venationi vacat, interficitur. Occaſio diſsidii inter eos fuit riuus aquæ admodum paruus, vt ipſe vidi, quem Dux arbitratu ſuo auertebat.

1514. Sigiſmundus, cum accepiſſet triſte nuncium, Sindensko arcem nominatiſsimam in finibus Lituaniæ dolo, & aſtu Glinſcii à Moſchis captam, exercitum triginta quinque millium contra Baſilium Moſchorum Ducem mittit. Et Lituanis quidem Conſtantinum Oſtrouium, virum illa ætate peritia artis militaris cunctorum exiſtimationem ſua fama obſcurantem, præficit. Polonis verò Svvierczouium celſitudine animi nemini ſecundum. Inſigniores ex patriciis Polonis in hoc exercitu commemorantur Tencinius, Pilecius, Zborouius, Myskouius, & Kmita: Moſchi, iam ſuperato Boryſthene, ad noſtros contendunt. Sed deinde data opera retrocedunt, vt noſtros ob fugæ ſpeciem, quam ipſi præſetulerant, exultantes, ad iniquiorem illis locum ſecum pertraherent. Iam enim inter proficiſcendum locum certamini peridoneum, vt eis tum videbatur, ex ſententia cunctorum delegerant. Itaque ad eum, qui trans Boryſthenem erat, remeantes, in vlteriore ripa noſtros opperiebantur. Poloni cum Lituanis, vbi ad Boryſthenis fluenta peruenisſent, difficultate tranſeundi obiecta, pollicentur, ſe Moſchorum voto parituros, copiamque pugnandi daturos, modò patiantur ipſos flumen traiicere. Moſchis perplexè ea in re agentibus reſpõdentibusque, Poloni ſubitario opere flumen ponte inſternunt, peditatumque per eum tranſire iubent. ipſi cum toto equitatu, ſumma alacritate, in Boryſthenis profluentem ſeſe coniiciunt; feliciterq;, non niſi vno milite amiſſo, traiiciunt. Boryſthenes flumen eſt, quod cum Rheno & Danubio confertur. ſub arce tamen Orſenſi, vbi eum ſuperarunt, anguſtior paulo eſſe videtur. Nunciabatur interea Iohanni Celadino ſummo copiarum Moſchi præfecto, iam partem exercitus regii flumen traieciſſe; ſuadebantque, vt eam partem inuaderet, quæ tranauerat. At ille barbarico faſtu plenus: Si, inquit, hanc exercitus partem profligauerimus, cum reliquis quid tandem faciemus? Etenim ſuis viribus tantopere fidebat, vt per iocum dictitaret, ſe non tam pugnando, quàm flagris abigendo, de noſtris victoriam relaturum. Semel autem victoria adepta, totam Lituaniam ſe occupaturum animo iam conceperat. Vbi noſtri aliquomodo poſt tranatum in aurora Boryſthenem ſeſe recollegerunt, & madorem nimium ex aquis contractum deſiccarunt, ad tertiam diei horam acie inſtructa, in medium prodeunt, tanta alacritate, & tam excelſo animo, ac ſi partam iam manibus tenerent victoriam. Itaque tubarum clangor, equorum hinnitus, militum animoſus cooritur clamor. manus denique conferuntur. Lituani, vbi pri-

Pugna ad Orſam cum Moſchis.

Oſtrouiꝰ Dux Conſtantinus.

mam impreſsionem feciſsent, de induſtria pauliſper cedunt, ad locum, vbi tormenta collata erant; quæ in Moſchos inſequentes, magno fragore,& reboatu diſploſa ſunt. Interim rurſus Lituanici equites in hoſtes irruentes, ad extremos penetrant, & cum illis conſerunt manº, quos in inſidiis in valle quadam à Moſchis collocatos, vt à tergo noſtros adorirentur, nouerant. Moſchi, qui in prima acie ſtabant, cum detectas viderent ſuas inſidias, inexpectato genere pugnæ conterriti, libenter terga vertiſſent; ſed media acie vndique ſepti, quà euaderent, cernere non poterant. Vbi tamen, mucrone latere adacto, multi paſsim ſternerentur, reliqui quoquo verſus dilabuntur. Excepit media acies prœlium pari infortunio. Nam ecce interim clamor noſtrorum à poſtremis aciebus oritur,& peruadit vſque ad Moſchos, quo ſignificabatur hoſtem fugere. Quare iamdudum ad fugam parati, paratiores, ea voce audita, redduntur, cunctiſque fuga ſalutem ſibi quærere conantur. Sed fruſtra. Nam Poloni, & Lituani effuſis copiis illos inſecuti, paſsim eos cædunt, ſternunt & contrucidant. reliqui aquis obiecti cuiuſdam fluminis, cui Cropirna eſt nomen, quodque Orſam & Dubrovvam interlabitur, ita in ipſa fuga abſorbentur, vt demerſi curſum fluminis impedirent. tanta autem ſtrages ſpacio quatuor milliarum eſt edita, vt, tanquam manipuli in meſſe, per campos, vbique, proſtrati & vngulis ferratis equorum protriti iacerent. Magno conſenſu ab omnibus traditur hiſtoricis, & ab ipſo Sigiſmundo Eberſteino denique idem comprobatum fuit, vniuerſum Moſchorum exercitum tunc conſtitiſſe octoginta millibus equitum. Solus Iouius à Demetrio oratore Moſcho corruptus & deceptus, hac in parte eleuans Moſchicæ ſtragis magnitudinem, quadraginta millium tantùm mentionem facit. Sed eius ſententiam puto à nobis optimè confutatam eſſe in libello Campiducto riæ. Capti ſunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti, & conſiliarii; hiſque ad Regem miſsi. Iohannes Celadin ſupremus Dux exercitus, cum duobus præcipuis viris Vilnæ in compedibus ferreis eſt detentus. Ex Polonis, & Lituanis tantùm trecenti deſiderati ſunt. & ab eo tempore Moſchorum Dux campeſtre prœlium non audet cum Rege Polonorum committere. Noſtri, caſtris opulentis direptis, domum redeunt, captiuisque Moſchis omnes vrbes, oppida, & angulos villarum replent: vt ad extremum victum talibus mancipiis ſuppeditare eos tæderet.

Paulo vberiùs hæc à D. Stricouio narrantur. ex illo igitur reliqua diſces.

Vnum adhuc, quod in eo bello accidit, & miraculi inſtar refertur à Sigiſmundo Eberſteino, pręteire nõ poſſum. Dicit ſe militem, Perſtinski vocatum, in reditu ex Moſchouia vidiſſe ad menſam Szidlouecii ſedentem. de quo id, quod mox audies, & Szidlouecius,& alii complures, qui id viderant, comprobabant. Nimirum, cum ab equo rabie cor-

Militis Perſtinski caſus. Videntur hæc priore bello cũ eiſdem Moſchis accidiſſe. Rex enim dici-

quo rabie correpto in medium flumen Boryſthenis abreptus, excuſſuſque eſſet, & diu non comparuiſſet, ac planè pro perdito, & deplorato haberetur (fuit enim armatus cruretenus) ſubitò ex aquis in ripam egreſſum eſſe, tribus ferè hominum millibus id inſpectantibus. Qui interrogatus ab Eberſteino, ad eandem menſam, vt dictum eſt, cum eo accumbente, quomodo meminiſſet, quid ſecum ageretur, cum in ipſo alueo fluminis lateret. Dixit, ſe, poſtquam equo excuſſus in flumen fuiſſet, ter elatum eſſe ſupra aquas; atque ibi ſibi veniſſe in mentem, quod ante dici audiuiſſet: pro perdito habendum eſſe eum, cui non ſuccurritur cum tertiò emergit. Itaque ſe oculos aperuiſſe, atque alteram manum ſuſtuliſſe, ceu ſigno dato, vt ei ſubueniretur. hacque ratione progreſſum enataſſe. Addebatque ſe bis plurimam ex flumine aquã hauſiſſe, & tamen diuinit⁹ conſeruatum eſſe.

tur ſpectator fuiſſe, cum Perſtinus enataret. Atqui hoc poſteriore bello Rex non adfuit.

1515. Menſe Iulio Sigiſmundus Poloniæ, & Wladiſlaus Hungariæ, Bohemiæque rex, fratres germani cum Maximiliano Imperatore Viennæ in Auſtria conueniunt; inſigni planè ac ſplendido apparatu. auro ſiquidem & gemmis ſtragulaque veſte certatum⁹ quodammodo eſt inter hos reges. Sed Sigiſmundum apud Italos, Germanos, Hungaros, cunctosque Chriſtianos qui aderant, ſpectabilem ſupra modum victoria Orſenſis nuper de Moſcho parta reddebat. Ita vt quacumque veheretur equo, cunctorum oculos in ſe conuerteret. Ibi etiam conſtitutæ ſunt nuptiæ inter ipſum Sigiſmundum & Bonam Iohannis Galeatii quondam ducis Mediolanenſis filiam. Hunc conuentum noſtri Priſporcenſem vocant, eò quòd Poſonii primùm fratres conuenerant, cumque eis Lodouicus Wladiſlai filius.

Modus & ordo, quo ſe inuicem hi reges exceperunt.

Sigiſmundus primùm, paulo poſt Wladiſlaus, & poſtremò Maximilianus Cæſar, ſuis quiſque comitatus, ad pyrum quandam arborem in campo acceſſere. Miſsi ſunt aliqui hinc inde legati, ſimulatq; in ipſa planicie omnes fuere, antequam mutuo congrederentur. Igitur, magna fide, vtrinque pacatis animis, Cæſar ad Reges fratres lectica vectus ſubſtitit. Ibi Ludouicus Wladiſlai filius primo loco Cæſarem, vti patrem ac dominum, ſalutauit. Secundo loco Anna eius ſoror eundem ſalutatum acceſsit. Wladiſlaus inde tertio loco ad ipſum verba fecit. Poſtremò Cæſar Sigiſmundum humaniſsimè excepit. Ferturq; hæc verba tum protuliſſe. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus. Lætemur, & exultemns in ea. Ad hæc Sigiſmundus latinè (vt ſingularis erat eruditionis) reſpondiſſe perhibetur, Sereniſsime Cæſar, vtinam hic conuentus noſter ſit felix ac fauſtus nobis, ſubdi-

tis noſtris,& toti Reipublicę Chriſtianę. Expleto ſalutandi munere, interuallo perbreui facto, alii qui aderant, illuſtriſsimi cuiuſq; nationis Principes, Cæſaris & regum dextras amplexi ſunt. Mirum eſt autem, quantopere Maximilianus regibus fratribus, & alterius filio credebat ſeſe, atque in medio eorum magna cum fiducia verſabatur. Laudatur hîc Mathematicorum Academiæ Cracouienſis ſolertia, quòd videlicet verè prædixerint horam, diem, & ſucceſſum congreſſus tantorum regum.

1516. Tartarorum incurſio in Podoliam, quos Martinus Camenicius cum paucis copiis ad Trebovvlium feliciter pugnando ſuperat. Et alio in loco quingentos eorum equites ad vnum occidione occidit. Sed ante initum prœlium more ſuo Tartari immaniſsimè captiuos iuuenes,& puellas trucidant.

1517. Menſe Februario quatuor ſcelerati viri,& quidem ſacerdotes, qui Cracouiæ Albertum Fontinum prouincialem minoritarum occiderant, permittente ſummo Pontifice, ſui ſceleris dant pœnas. Duo ex hiis ſacris de more priùs exuti atque exautorati capite truncantur, quorum alter concionator erat. Reliqui perpetuis carceribus addicti.

1517. Lateranenſe concilium celebratur, ad quod Iohannes à Lasko Archiepiſcopus,& Staniſlaus Oſtrorog Calliſienſis mittitur. Extat tertio tomo conciliorum, Regis Sigiſmundi edictum, quod vnà ſecum iſti in concilii conſeſſum attulerunt. In hoc concilio pragmatica ſanctio olim in concilio Baſilienſi ſancita abrogatur, damnaturque. Iam enim plerique reges & principes à Pontificiis decretis ad concilium generale prouocare aſſueuerant. Ideo & Cazimirus tertius Rex Poloniæ exortis quibuſdam inter ipſum, & Pontificem controuerſiis, conquerentibusque ſubditis eius de iniuriis, quibus ſupra modum grauabantur à iuriſdictione Papali & decretis eius, iuſsit & edixit, vt ad concilium generale omnino prouocarent. Sed & Academia Cracouienſis Baſilienſi concilio tunc adhærens, ne ceſſariò hanc ipſam ſanctionem pragmaticã approbauerat. Timens igitur Leo decimus Papa, ne ratione hac autoritas pontificia collaberetur, & de ſingulis cum ſingulis in concilio tantus monarcha litigare cauſamque dicere cogeretur, hanc ſanctionem pragmaticam, quæ pontifices cenſuræ concilii ſubiiciebat, hoc conuocato concilio, abrogari,& condemnari curat. Itaq; in hoc concilio Martinus quoque Luter⁹ condemnatur, propterea quòd & ipſe ab initio cum ſuis accuſatus & comparere iuſſus, eodem modo ad concilium prouocauit generale. Commemoratur hîc, quòd, cum Ioannes à Lasko Archiepiſcopus Romam proficiſcens Venetias diuertiſſet, oran diq; in Senatu facultate ei data, multa de meritis gentis Polonæ erga Rempub.

ga Rempub. Christianam in sua oratione disseruisset, Dux Venetorum Lauredanus exceperit, Nostri quoque, inquiens, terra, mariqúe multa bella gerunt. Cui Lascus: Longè, inquit, sereniſsime princeps disimile Venetis ac Polonis belli studium hactenus fuit. dum alteri pro gloria, pro rerum suarum amplitudine, & plerumque pro ipsius dominatus atque imperii amplificatione, bella ipsi non pauca aliis sua sponte, intulerunt. Alteri verò, multo suorum sanguine, pro Repub. Christiana Barbarorum eruptiones sustinent, & tanquam muro obiecto, sistunt ac cohibent. ne transcensis ab his ipsorum finibus, intima Christianorum in periculum deueniant. Quibus addere potuisset, Polonos varias terras centum milliaria nostratia in longitudinem & latitudinem patentes, quas Prussi, Iazyges, Lituani veteres, & Samogitæ colunt, ad fidem Christianam & veri Dei agnitionem armis compulisse. Quare, sicuti alii ob similes causas Christianissimi, alii verò Catholici, sic ipsi (si ita loqui licet) Deicolentisimi vel potiùs Apostolici meritò possunt vocari; & locum omnium digniſsimum in quouis Hierarchico consessu eorum rex tenere aut debet aut certè potest. Nam sicuti Apostolus Paulus plus se aliis laborasse iure gloriatur, ita hoc ipsum de illis haud iniuria prædicare licet.

1518. Sigismundo Regi Ducis Mediolanensis filia Bona sponsa Cracouiam adducitur. Cui cuncta Polonia cum splendido apparatu obuiam procedit. Fiunt nuptiæ; & coronatur Bona.

1520. Eadem filium Sigismundum Augustum parit.

1523. Iacobus Vinckelblochius Gedanensium concionator seditionis accusarur. Cuius rei gratia Rex Gedanum petit; vbi supplicio afficiuntur multi.

1525. Albertus Marchio Brandeburgensis Magister generalis ordinis Teutonici Cruciferorum, post plurima bella & disidia, quæ illi cum Poloniæ regno intercesserant, tandem Sigismundo reconciliatus cum eo in gratiam redit. ab ipsoque primus Dux Prussiæ creatur, & abiecto habitu rituali Cruciferorum filiã Friderici Regis Daniæ vxorem ducit. Suspectum hæc res reddidit Regem summo Pontifici, quòd abrogato videlicet in homine ab ecclesia Romana dissentiente monachatu antiqui sodalicii Cruciferici, cum eo ita benignè egisset. Ideo Iusto Decio mandatũ à Rege fuit, vt ipsum ea de re apud Pontificem excusaret atque purgaret. Extant literæ Iusti ad Regem, quibus docet, quo successu hoc negotium Romæ gesserit. Cæterùm reuera nescio, an vlli ex Principibus Germaniæ qui eam susceperunt, Lutheri doctrina tantopere vtilis fuerit, quantopere regi Poloniæ Sigismundo fuit, qui eam est abominatus. Nam si ordo ille monasticus Cruciferorum in Prussia perdurasset, potuissent adhuc, vt pili in barba abrasa, iterum atque iterum illa bella funesta & diutur-

na renaſci. At vbi ducalis Pruſsia Auguſtanam confeſsionem amplexa eſt,& propterea Dux eorum,exuta veſte Cruciferica,vxorem duxit,iam bella illa & ſemina bellorum à radicibus imis abſciſſa funditus corruerunt atque extincta ſunt.

1526. Ludouicus Hungariæ Rex,ſepoſito conſilio Sigiſmundi amantiſsimi ac prudentiſsimi patrui,& ferociorum quorundam conſiliis abreptus,bellum contra Turcorum Imperatorem Solymanum mouit,quo ſe,& Hungariam propugnaculum non poſtremum Chriſtianorum perdidit. Miſerat Ludouicus ante expeditionem iſtam ad Sigiſmundum Trepkam nobilem Polonum,rogatum,vt ipſum viſendi ſibi facultas daretur, quò cum eo de ratione ſuſcepti belli contra Turcam conferre poſſet. Sed Sigiſmundus Prutenica expeditione occupat⁹,ei hac in re morem gerere non potuit. Diſcedens igitur Trepka,veluti fatidico ſpiritu inſtinctus: Iam ergo, inquit, ô Rex fratris tui filium nunquam videbis,nec legationem ab eo audies. Et ita accidit. Nam paulo poſt nunciatum eſt,Ludouicum Regem atque vnà cum eo ipſum Trepkam armis Turcicis in pugna Muchacouienſi cecidiſse. Credunt autem pleriq;,Sigiſmundum offenſum fuiſſe, quòd ei Ludouicus ab initio diſſuadenti hoc bellum non obtemperaſſet. Eodem anno Duces Mazouiæ Staniſlaus & Ioannes immatura ætate decedunt,ſicque ducatus Mazouiæ Poloniæ regno plenè ceſsit.

1530. Sigiſmundus Auguſtus Sigiſmundi filius Rex Poloniæ eligitur ac coronatur,ac deinde vnà cum patre 18. annos regnat.

1531. Bellum cum Valachis, quod noſtri Oberſtinenſe vocant. cuius occaſio hæc fuit: Petrus Palatinus Valachiæ infeſtis armis in Pokutiam irruit; coloniamque Sniatinum,& vicina quæque cædib. & incendiis replet. contra quem Sigiſmundus exercitum,duce Ioanne Tarnouio,mittit. Poſuerat is caſtra ad Oberſtinum pagum loco natura munitiſsimo. Petrus autem colles editiores occupauerat; vnde ſeſe viſendum præbuit noſtris. Habuit autem numeroſum exercitum,id eſt militum ad quinquaginta millia. Nam Turcos & Hungaros quoſdam ſibi adiunxerat. Inſtructio aciei exercitus Polonorum ſingularis planè fuit, & artificioſiſsima, ingenio atque induſtria Tarnouii excogitata, cuius deſcriptionem & typum in lib. noſtro Campiductoriæ expreſſum habes. Præcipua tamen cauſa noſtris victoriæ fuit illud,quòd non ab ea parte,qua ſperabant Valachi,pugnæ copiam prudentiſsimus noſter campiductor dedit. Sperabant illi,vt plerumque ſolet, à fronte concurſuras acies; & iam, patefacta in latum caſtrorum porta,in armis reſulgentes ſtabant,prætenſis haſtis,& gladiis ſtrictis, tāquam iam prœlium inituri. Verùm,ne quis pedem ferre extra caſtra auderet,antequam dux copiarum iuberet, grauiſsimè interminatum fuerat. Igitur Valachus cunctatione Poloni in prœlio ineundo ani-

ineundo animaduersa, ratus metu id nostrorum fieri, castra eorum per auersam portam adoriri decreuit. Qua in sententia susceptoque consilio vt eum nostri confirmarent, iubet Tarnouius cohortes, quæ in extrema acie, quam vallarem vocant stabant, in eum expedire arma, & vires experiri. Prodeunt Balicius, Mathias Wlodecus, Sienauius, & alii. Pugnant vtrinque acriter; isti cõfisi virtuti, illi multitudini. At vbi Valachi primos conatus suos, qui fortiores esse solent, in illam partem contulissent, & ita latera sua anteriori portæ phalangum suarum obuertissent, nostri nacta occasione, exoneratis machinis bellicis, destinatis ictibus ita eorũ latera petunt, vt etiam ipsa bombardarum maiorum orificia, & rotas, quas secum trahebant, attingerent, ac perfringerent. Itaque exorta in medio eorum maxima conturbatione, cohortes illæ firmissimæ, quæ à fronte sese illis ab initio opposuerant, in eos medios iam insiliunt, iamque eorum vmbilicos petunt. Ita & à fronte, & à tergo excitata pugna, atque in medio lateribus reuulsis, trepidare, & in metu versari cœperunt Valachi stratagematis nostrorum artificium admirantes. Ita vndique, magis, ac magis in nostris inualescente furore bellico, planè turbantur hostes, sternuntur, atque in fugam vertuntur. Cumque iam, solutis ordinibus, nec caput nec cauda exercitus eorum amplius agnosceretur, à nostris passim contrucidantur. Ipse Palatinus vulneratus vix euasit. De Logopheto, & numero cæsorũ Valachorum, Turcorumque, deque captiuis, ac triumpho, quo fuit exceptus Tarnouius, apud alios luculenter scriptum reperies.

1546. Martinus Lutherus moritur. Cuius mortem statim consequutum est bellum Caroli v. cum principibus Germaniæ. Sed non est mei instituti exterorum res gestas conscribere. Post illud bellum rediens Albertus Dux in Prussiam per Poloniam, & transiens Posnania, secum accepit viros doctos Euangelicos: Martinum Glossam Magistrum studii Cracouiensis, Ioannem Seclucianum, & Samuelem monachum Dominicanum. Isti Regiomonti commorati, libellos cõplures lingua Polona per Poloniam de religione sparserunt. Et hæc fuit origo ecclesiarum reformatarum in Polonia.

1548. Sigismundus primus Rex Poloniæ iam vitæ, & gloriæ satur, non dico moritur, sed ad beatiorem vitam, regnumque melius, imperio Poloniæ pacatissimo relicto, ipso die Paschæ hinc lætus migrat. Vixit 81. annos. regnauit ferè quadraginta duos. Moriturus admonuit grauiter circumstantes, qualiter se gerere deberent in gubernanda Repub. Sed Sigismundum Augustum filium potissimùm quomodo allocutus sit, placet adiicere. Tibi quidem mi fili, inquit, deinceps mater, & sorores, & maximè Respub. curæ esse debebunt. In te spes omnes omnium sitæ sunt; quas frustrari te æquum non est.

Nonnihil qui-

Nõnihil quidem nobis debet Polonia: sed nos illi multò plus. Quippe quæ nos, maioresque nostros, posthabitis quibusdam illustrioribus & elegantiorib. & fortasse etiam potentioribus, sibi reges assumpsit, & summa fide, studio, obsequioque coluit. Te autem, quemadmodum ipse nosti, adhuc puerulum regio diademate insigniuit. Ad eius igitur salutem, & dignitatem vicissim te voluntatem tuam, studia, & conatus omnes adiungere inprimis æquum est. Id verò ita demum rectè facies, si omnibus te æquabilem, familiarem verò non nisi grauissimis, & sapientissimis quibusque præbueris: si nullius ius, & innocentiam neque gratia, neque odio cuiusquam opprimi sines. Hæc vbi effatus esset, cunctis plorantibus, animam expirat; sepelitur que in delubro Basilicę Cracouiẽsis, quod vocant regium sacellum. Quis & quantus fuerit hic, ex epitaphio monumento eius inciso cuiuis cognoscere licet. Id autem tale est: DIVVS SIGISMVNDVS IAGELLONIVS POLONIAE REX, ET LITHVANIAE DVX Magnus, Scythicus, Valachicus, Moschouiticus, Prussicus victor ac triumphator, pater patriæ in hoc monumentum à se magnificentissimè erectum illatus requiescit.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS.

Anno ab orbe condito 5510.
Anno à nato Christo 1548.

SIgismundus Augustus porrectum à Diuo patre sceptrum regium accipit; vel potiùs olim datum secumque communicatum solus tenet. Cumque togata prudentia maximè excelleret, sapientissimè, quoad vixit, regnum administrauit. In matrimoniis tamen non fuit felix. Nam Elizabeta Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, & Bohemię Regis filia, quam duxerat, nulla prole relicta, sequenti anno qui fuit 1545. mortua est. Barbaram deinde Lituanam, ex stirpe Radiuilorum, quæ primùm Gaslardo nupserat, in matrimonio habuit. Sed & hæc non diu superstes fuit. Eam autem inuita regina Bona matre, & procerib. aduersantibus duxerat. Mortua Vilnæ in ecclesia D. Stanislai honorificè tumulatur. Tertiò vt, si fieri posset, prolem haberet, & amicitiam cum Ferdinando redintegraret, aliam filiam eius Catharinam, quam Franciscus Dux Mantuę viduã reliquerat, germanam sororem Elizabetæ, in matrimonium sibi consociat. Nuptiæ anno Domini 1553. Cracouiæ cum magna omnium ordinum hilaritate, & applausu celebrantur. sed tãdem, cum nulla spes ex ea suscipiendæ prolis supereesset, Maximiliano fratri Romanorum Imperatori in Germaniam eam honorificè remisit. Non ita multò, postquam eam duxerat, Regina Bona eius mater in Italiam, aduersante Senatu, discessit, non sine magno mœrore filii, & filiarum eius. ita enim eis valedicere videbantur, & complexu eius lachrymabundi

chrymabundi hærebant, acsi eam postea nũquam visuri essent. Affir mabat quidem illa, & sanctè promittebat, curata valetudine, se reuer suram. sed paulo post in Italia est mortua, thesauris magnis relictis, quos postea magna cum difficultate à Philippo Hispaniarum Rege vindicabant successores. Discessura mater annulum filio donauerat, cum gemma admodum pretiosa, quæ stella vocabatur.

1552. Gedanum Rex Augustus splendido comitatu, & pompo so apparatu proficiscitur, quò etiam dux Prussiæ Albertus Marchio Brandeburgensis venit. Venerunt & proceres regni Poloniæ & Magni Ducatus Lituanię: inter quos Iohannes Comes de Tarnovv Ca stellanus Cracouiensis, Iohannes Kmita Palatinus Cracouiensis. Ni colaus Radiuilus Dux in Olika Palatinus Vilnensis, & alii complures. Habitæ sunt deinde deliberationes de rebus Pruthenicis, & ipsius Reipub. Gedanensis meliore administrationis forma; & forsan Li uonici belli, quod postea subsecutum est, ibi quædam probuleumata facta sunt. Magnificè Rex Augustus, vt rarus hospes dominus & hæres, habitus est à Gedanensibus; nec absque muneribus amplissimis ipse & eius senatus dimissus fuit. Tandem abundè honoratus in Lituaniam abiit per Regiummontem; vbi similiter cum summa alacritate ab Alberto duce Prussiæ sene venerando honorificentissimè exceptus, & tractatus est. Periculum tamen vitæ magnum tum Rex adiit. Nam, cum more Germanico magno bombardarum reboatu salutaretur, casu quodam, aut ignorantia artificis, cum ignitam pilam tubus mortarii euomuisset, ea ferè ipsum attigisset, nisi, Deo sic prouidente, equus illius ex loco suo opportunè paululum decessisset. armigero tamẽ eius Visnouecio, qui eum ponè sequebatur, caput pila volans abstersit. In gubernatione Reipub. hic rex mira dexteritate vsus est. cuius rei multa documenta produci possent. idque inprimis, quòd ipso regnante rarus fuit ex principibus Christianis, regibus, & Monarchis, qui fluctuante mundo ob controuersiam in negotio religionis Christianæ, aliquod naufragium non sit passus. Carolus ipse quintus Imperator prudentissimus fuit, & tamen in Germania, & Hispania multum vidit effusum sanguinis Christiani, si non ipso imperante tamen certè conniuente. Sic in Anglia quot quantæque persecutiones, in Galliis item quot quantæque lanienæ, & bella parricidialia extiterunt! Hoc incommodum nec Ferdinandus Caroli frater euitare potuit, quin in Bohemia, & Austria eius rei tristissima aliquot exempla ipse ediderit. Solus Sigismundus Augustus inter Christianos Principes ea in re palmam meruit. Nam, cum totus ferè orbis Christianus, vt dictum est, furenter nomine religionis quateretur, ille tamen Poloniam, & Lituaniam sanguine ciuium fœdari non est passus. Minabatur ille interdum, à legatis Pontificis exagita-

tificis exagitatus;sed tamen interea inter alia Ducem Prussiæ,& vrbes eius prouinciæ ex præscripto confessionis eorum viuere passus est.Quin & Polonis suis à Romana ecclesia deficientib. ea in re molestus non fuit; & non modò confessionem fidei ab eis exhibitam amanter manibus suis suscepit;sed etiam concionatores eorum interdum audiuit, & in aula seruauit. Ex quibus fuere Ioannes quidam Cosminius, & Laurentius Prasnicius. Et professus quidem est ille,se Romanæ Ecclesiæ obsequentem esse. tamen incentores sacrorum bellorum, & præsertim concionatores,asperiùs classicum canentes ciuiliaque bella cientes,peius cane & angue odio habuit,eosque sæpe seueriter increpauit. Meminerat enim prudentissimus princeps maiorum suorum mores, & instituta,qui malebant semper cum Tartaris experiri aleam cruentissimi belli,quàm communem parentem patriam vndique à ferocissimis Barbaris per circuitum septam,ciuilibus, & parricidialibus bellis implicare. Hic etiam Princeps duas res maximas in Repub.effecit id est Poloniæ & Lituaniæ vnionem, & legum executionem.quę ita impossibia ad prçstandum cunctis in Polonia maioribus nostris videbantur, vt etiam multi senatores prudentissimi,rerumque peritissimi sæpius dictitarent;cum vnio Poloniæ Lituaniæque, & executio legum fiet, permissuros se, vt sibi laqueus collo iniiciatur.

1563. Warsouiæ comitia indicuntur, in quibus post multas deliberationes priuilegia ea de re antiqua & potissimùm Alexandri regis explicantur, & diligentissime declarantur.

1569. Lublini vnio illa Magni ducatus Lituaniæ cum regno Poloniæ executioni demandatur. Reclamabant quidem huic rei quidam ex proceribus Lituaniæ, vtque præsentia sua id non confirmarent,valedicētes Regi discesserant.Sed absentia illorum non obstante, Rex in conscientiæ foro nonfore priùs se liberum dixit, nisi ea, quæ maiores sui solenniter promiserant, iureque iurando confirmauerant, reipsa præstitisset. Itaque sempiterna memoria dignissimus princeps antiquæ postulationi, & pactioni satisfaciens quasdam Lituanorum prouincias, ad Poloniam spectantes,à Cazimiro Iagellonis filio aliisq; principibus auulsas,regno Poloniæ adiunxit, vniuit, atque, vt sic vsitatè loquuntur, incorporauit.

1568. Comitia fiunt magno omnium ordinum concursu,vbi alterum adynaton,seu impossibile iudicatum & incredibile idem Augustꝰ perfecit;executionem nimirum legum,& maximè earum, quæ de occupatione bonorum regalium sancitæ sunt.Missi sunt ergo reuisores, & postea lustratores, (his enim appellationib. isti ab iis,qui Regi à commentariis erant, nominabātur)per vniuersas prouincias regni, qui iureiurando obstricti cogebantur omnia fideliter oculis suis perlustra-

ſuis perluſtrare,perluſtrataque Regi deferre:perlata autem Rex auto ritate ſua, totiusque regni, executioni mandabat. Ibi etiam quarta pars reddituum omnium regalium fiſco Reipub.eſt applicata,& annatæ Epiſcopales eidem deſtinatæ;vt inde exercitus ad defendendas prouincias Ruſsiæ, aut aliam quamuis ob cauſam, vbi neceſsitas efflagitaret, alcretur. Multa ſunt & alia prudenter,& circumſpectè ab hoc Rege ſancita. ſed hæc erant præcipua. Cum enim videret Sigiſmundus Auguſtus, ſe abſque poſteritate ex hac vita deceſſurum,loco poſteritatis hoc fore duxit, vt memor paternæ admonitionis, ſub finem ipſius patris vitæ, chariſsimam patriam ordini bono reſtitutam relinqueret.Quapropter omnem dedit operam,vt ea,quę pro auus eius Wladiſlaus Iagello ſanctè cum regno pactus erat,Cazimirus auus confirmauerat,Sigiſmundus verò pater,& patrui Iohan.Albertus,& Alexander ſtipulatione quadam interueniente promiſerant, id ipſe reipſa præſtaret,& perficeret.Duas germanas ſuas ſorores Sigiſmundus Auguſtus in matrimonium collocauit;alteram Sue corum Regi, alteram verò Brunſuicorum Duci. Tertia virgo lectiſ ſima prouidentia diuina aſſeruata fuit, vt temporib⁹ difficilimis præ ſidium patriæ eſſet. Hanc enim tandem STEPHANVS primus Rex Poloniæ in matrimonium duxit.

Deſcriptio Reipub. Babinenſis exhilarandi lectoris gratia.

Per idem tempus res faceta, & plena iucunditatis à quibuſdam nobilib.in terra Lublinenſi excogitata fuit. Inſtituerant iſti ſocietatem quandam, quam Rempub. Babinenſem vocabant: eò quòd loci cuiuſdam Babin dicti dominus & poſſeſſor is fuit, quo autore potiſsimùm illa Reſpub. ſtabilita florebat. Significat autem vox Baba patria lingua anum,& Babine id,quod ad anum pertinet. Iam iocos, luſusque, aniles nugas vulgò vocare ſolent.Itaq; locus ille vetuſtate neglectus ac penè deletus, prætereuntibus riſus materiam non tam ſua exilitate,quàm appellatione,ſæpe largè ſuppeditabat. Homines igitur lepido,& amœno ingenio præditi, occaſione arrepta, à loco, & loci poſſeſſore Rempub. Babinenſem, id eſt ſedem principalem omnium, qui miſcentur ſermonum facetorum, iſtam ſocietatem appellarunt.Vt autem hæc ſocietas magis conſpicua redderetur,imitati ii, ex quibus ipſa conſtabat, ipſius Reipub. Polonæ conſtituendæ rationem, Regem,& Senatum ſibi deligunt; Archiepiſcopos,Epiſcopos, Palatinos, Caſtellanos, præfectos oppidorum & militiæ, Cancellarios, & alia id generis munera gerentes ac magiſtratus ſibi deſignant, & creant. Deferendi autem has dignitates, & munia impo-

nendi hunc morem tenebant. Quemcumq; in conuiuiis,& conuentibus celebrioribus obseruassent in aliquo genere dictorum aut factorum, præter modum ac decorum excellere, eum maximè idoneum ad obeunda munera ei rei consentanea censebant. Verbi gratia: Multus erat quispiam in sermone de sublimibus rebus, & eius conditioni minimè conuenientibus, hunc aut Archiepiscopum aut aliquem magnum Satrapam faciebant. Si quis vel sermone lapsus, vel aliam ob causam paradoxon aliquid seu perdifficile creditu in medium attulisset;hunc aut rhetorem,aut cancellarium Reipub.sue constituebant. Si quis Thrasonicè gloriabatur,quòd fortiter,& audacter se gessisset in aliquo conflictu,aut de rebus bellicis supra modum non suo tempore, nec suo loco garriebat; hunc præfectum copiarum,aut equitem auratum creabant;literasque super ea re confingebant, cera, & sigillo obsignatas, quas non contemnendis viris, sibi tamen similibus deferendas tradebant;qui assurgentes eas accipiebant,& quadam cum reuerentia ad eum ad quem scriptæ erant,deferebant. Is autem cogebatur officium illud suscipere; vel,si illud dignabatur, ab omnibus risu excipiebatur.Et quò morosiùs se gerebat quis renuendo ac recusando eiusmodi honores, tantò magis ab illis irridebatur, & festiuè aulicis dicteriis ex composito tam diu exagitabatur,traducebaturque,donec edomitus collum submitteret. Quare ad mores corrigendos, ad sermones cautè miscendos, ad ciuilitatem modestiamque in iunioribus formandam iocus & vrbanitas illa plurimùm pertinebat. Et erant ita nasuti censores vitæ ac morum illi optimi duces huius societatis, vt nullus physicus affectus humanos, & potentias animæ ita exactè definierit, nullus ethices professor de vitiis, & morib. ita explicauerit, nullus physiognom⁹ ex vultu,gestu,incessu & intuitu ita hominum naturam cognouerit,vt illi (sic enim eos hoc loco vocare libet) diuini patres. Et cum aliquis eis nouicius per iocum in societatem offerrebatur, tunc, veluti deliberaturi,tardiùs eum recipiebant.Proloquatur,inquiebant, detque primùm specimen aliquod suæ indolis;tum videbimus ad quod officium erit maximè idoneus. Nam & ad inferiora quædam ea res descendebat. Si quis enim de canibus, de feris, de falconibus, non tempore suo, aut loco paulo fusiùs verba faciebat, hunc statim aucupem, & venatorem Babinensem faciebant.Si quis autem de religione supra modum ad mensam differebat, mox eum concionatorem Babinensem pronunciabant.Si quis ex sententia Romanæ ecclesiæ, aut cuiuspiam alterius sectæ, supra modum zelo flagrabat, aut etiam acerbiùs ea de causa in alios inuehebatur, mox eum inquisitorem hæreticæ prauitatis Babinensem declarabant. Si quis de equis, & eorum proprietatibus verbosiùs differebat,si de œconomicis rebus, admixto

bus,admixto præsertim mendaciolo aliquo, vt fit plerunq; inter comessandum,curiosiùs loquebatur, mox eum vel magistrum equitũ, vel regium œconomum Babinensem, ad exemplum Magni procuratoris Cracouiensis creabant; assurgentesque interdum, in ipsa mensa honores illos eis deferebant. Vsque adeò autem ista ludicra Resp. inualuerat, vt rarus esset in ipso regni senatu, in clero, inter aulicos, inter alios ordines regni, cui non aliquid tale aspergeretur. Sic alios, capitaneos; alios, copiarum ductores; alios, infantes Hispaniarum; alios, Fac totum, alios,turbines Babinenses vocitabant. Res ista denique ad Sigismundum Augustum regem perlata est. de qua non sine magna delectatione sæpius multa audiuit. Et cum iecta esset mentio aliquorum procerum,qui insigniti erant eiusmodi honoribus, interrogauit,an etiam Regem in ea Republica haberent. Cui respondisse fertur ipse capitaneus Babinensis,qui præ aliis supra modum vultu,aspectu ipso,& sermone facetus erat: Absit,inquit,à nobis cogitatio ista, vt, te viuente, sereniss ime Rex, & superstite, de alio rege eligendo cogitemus, aliumúe creemus. tu & hîc, & apud nos Rex esto. Risit placidè humanissimus & benignissimus Rex,nec vllum signum indignationis dedit; imò verbis, quæ addidit, risum omnium auxit. Cæterùm, cum aliquando quidam paulo grauiùs de regno Alexandri magni, deque Persarum,Babyloniorum,& Romanorum monarchia in confessu horum hominum differeret. Tum quidam ex eis sermonem excepit. Quid,inquit, antiquitatem iactas, & amplitudinem illarum monarchiarum? Nostra Babinensis antiquior & Græca,& Persica. & denique omnibus est. Quia Dauid de ea dixit: Omnis homo mendax. & hoc est eius fundamentum atque essentia. Ergo in ea Darius, Alexander magnus,& totus mundus includitur. Cunctis se se inuicem intuentibus,hic sermo ab omnibus cum applausu exceptus est. Iactabant autem, se habere priuilegia à regibus, & Imperatore, atque etiam summo Pontifice, quibus eorum Respub. confirmaretur. Iam si quis acerbè aliquod verbum in alium torsisset, aut mendacium cum damno alterius, & læsione dixisset, hunc nequaquã idoneum ad capessendos honores in sua Repub. iudicabant. At qui vrbanè absque damno cuiusquam aliquid commiscebatur, hunc non modò laudabant,sed etiam officio aliquo cohonestabant. Locum porrò comitiorum suorum iocoso vocabulo GELDAM appellabant, à Gedanensibus mutuata voce, qui popinam suam GELDAM vocant. Sed apud nos inconditum garritum multitudinis congerronum ea vox significat. Et erant homines illi, qui duces erant illius societatis, prudentes, & magnæ existimationis apud quosque bonos, & apud ipsum Regem. Imò Petrus Cassouius officium iudicis terrestris Lublinensis iam longo tempore summa cum laude su-

Nomen loci comitiorum Babinensium.

cum laude sustinuit,& nomine prouinciæ Lublinensis in nuncium terrestrem ad comitia generalia non semel electus est. Duo autem potissimùm ex hoc numero, hic videlicet Cassouius, qui Cancellarius, & Psomka,qui præfectus Babinensis vocabatur,adeò amabiles erant,vt etiam in deliciis à plerisque principibus viris haberentur. Nullaque conuiuia,nullæ nuptiæ iudicabantur felices,& iucundæ, quas illi beati senes sua præsentia non cohonestarent. Viuit adhuc alter eorum Cassouius.Psomka verò ante biennium mortuus est placida, & Christiana morte. De quo eiusque morte cum in celebri quodam conuiuio mentio fieret,poëta quidam haud vulgaris, à proceribus inuitatus,Epitaphium mortuo, & quidem ex tempore, scripsit. quod tale est.

Epitaphium D. Psomkæ fundatoris societatis Babinensis.

Plurima si cuiquam debet Respublica, Psomkæ
Debet, in hac viridi qui requiescit humo.
Namq; sodalicium sanxit, fundamina cuius
Confecti absque dolo sunt fuerantq; sales.
Cresce sodalicium. quòd si tibi nostra probantur
Carmina, me gremio, iungito, quæso, tuo.

1557. Pontem Varsouiæ exemplo Traiani Imperatoris,qui quondam in Istro simile quid fecerat, Augustus Rex in Istula miro, ac penè Dædaleo opere fabricat. Cui ne incendium fortuitum nocere posset, idúe accidere, quod ante sexcentos annos ponti Caroli Magni in Rheno acciderat, Anna Regina soror Sigismundi,& vxor Stephani primi regis Poloniæ propugnaculum ad alteram ripam ex viuo lapide erexit, eiusque portæ Epigramma tale inscribi curauit, quod nobilitatem stirpis eius, & ipsius Augusti admodum efficaciter exprimit.

ANNA IAGELLONIA POLONIAE REGINA,
Magnorum regum : coniunx,soror,filia,
Hoc opus,&c.

Tametsi autem, & ante, & post susceptum ab eo regnum Sigism. Augustus mauortium se,vt filium patris fortunatissimi bellatoris decuit, demonstrauerat, & multum militaribus viris, & instrumentis ad bellum pertinentibus delectabatur, armamentariumque plenum machinis fusilibus vt haberet,sollicitè curauerat : tamen, quia vetus dictum est:Virum,qui æuum cum tribus vxoribus egit,Martem iam non habiturum socium; ideo suam famam extendere alia via aggreditur; nimirum Friderici tertii Imperatoris exemplum imitatus, qui, cum

qui, cum animaduertisset; infelicem se bellatorem esse aduersus Mathiam Huniadem Hungariæ regem, pacis artib⁹, & industria malum illud corrigere, & compensare sategit. Nec tamen etiam in bellicis rebus sua laude fraudari debet August⁹. Commemorabo igitur expeditiones eius bellicas, & victorias eius auspiciis partas.

1557. Aduersus Guilelmum Furstembergium magistrum Liuoniæ ordinis Teutonici bellum iustissimum hoc anno suscepit, cente nisq; millib. equitum, & peditum lectissimis tam Polonorum quàm Lituanorum Russorumque comitatus in Liuoniam, ipsum se ducem belli præbens, descēdit; eo quidem animo, vt omnino prœlium cum hoste committeret, quò Archiepiscopum Rigensem consobrinum suum, à potentia Magistri liberaret. At Furstembergius sibi consulu it. Cum enim tantam & ducis, & exercitus alacritatem & pugnandi quasi ardorem animaduertisset, supplex veniens ad Regem, vnà secum Archiepiscopo adducto, pacem efflagitat, prœliumque deprecatur; & se vnà cum vniuerso ordine, & prouinciis suis in fidem, & clientelam Regis dedit. Ita tum Augustus intra vnum mensem maximum bellum & incepit, & confecit. Productum fuit bellum vario Marte inter Prussiacum Magistrum, & Polonos ferè per ducentos annos, multumque sanguinis cruentus Mars ibi fudit, infinitæque animæ ad Orcum sunt missæ. At Augustus Dei beneficio cum Liuoniæ Magistro æque potente, vt Prussus fuerat hoste, plura etiam lati fundia in suo principatu possidente, breuissimo tempore bellum om ne absoluit, vel potiùs extinxit. Causa belli erat, vt dictum est, oppressio Archiepiscopi Rigensis, quem Rex liberare decreuerat. Huius autem oppressionis causæ fuerant literæ quædam interceptæ, quasi ab Archiepiscopo scriptæ de dissipanda illa colluuie Crucigerorum, eò quòd dignitatem domus Brandeburgicæ in ipso Archiepiscopo Rigensi neglectui haberet, omnia sibi munia arrogando. Ita intempestiua de prærogatiuis concertatio formam illam Reipub. hominum tetricorum immutauit. At Fustembergius postea sibi pericula attraxit. quo in captiuitatem abducto, Gottardus Ketelerus Westfalus equestri genere natus, in eius locum surrogatus fuit. Hic cum aduersam fortunam antecessoris sui, & tyrannidem Moschi reformidaret, & nulla spes auxiliorum aduersus eum ab imperio affulgeret, Regi Polo. fidelitatis sacramentum ea lege præstitit, vt ipsum contra Moschum & alios hostes defenderet. Nam Curlandiæ, & Semigaliæ Dux fuerat pronunciatus. Duxit autem is postea vxorem Annam Megelburgensem antiqua stirpe regum Obotritorum progenitam.

1558. Inuidit Moschus hanc gloriam Regi Augusto. Itaq; hæreditarii cuiusdam iuris prętextu numeroso cum exercitu Liuoniam armis tentat.

armis tentat. Torpatumque arcem Episcopalem, & alias pleraſque ſuæ ditioni adiungit. Cuius ſuperbiam Sigiſmundus non ferens, armis eum domare conſtituit. Hinc bella Moſchouitica orta ſunt; quę vſque ad hæc tempora durârunt. Hoc eodem anno Rex Craſnoſtauiam, expediendorum quorundam cõſiliorum cauſa, ex Lituania venerat. Hoc etiam anno Albertus Nouicampianus profeſsor Academię Cracouienſis moritur. qui qualis fuerit, & quàm dignus, vt eum noſtris annalibus celebremus, ex eius epitaphio, quod Cracouiæ in templo indiuiduę Trinitatis viſitur, cognoſcere licet. Habuit autem Poloniæ regnum ſub Sigiſmundo Auguſto viros eruditos plures ac prętãtiores, quàm ſub vllo alio Rege. Inter quos digni potiſsimùm memoria ſunt, ex theologis quidem & hiſtoricis, Staniſlaus Hoſius, & Martinus Cromerus. Ex oratoribus & optimarum artium ſcienti a prædictis Staniſlaus Orichouius florido genere ſcribendi præſtans, & Andreas Fricius, qui de Republica librum eruditum ſcripſit. Ex poëtis verò & manſuetioribus muſis deditis Ioannes Kochanouius, Andreas Triceſius, & Iacobus Priluſius iuris terreſtris peritiſsimus: qui parens omnium qui nunc cauſas in Polonia agunt forenſes meritò dici poteſt.

1562. Sub tempus Carniſpriuii (vt loquuntur) ſeu Bacchanalium, die Febr. 23. Moſchus Dux æſtuans ob felicitatem Regis, coacto exercitu trecentorum millium Poloczkam obſidione cingit, ac partim formidine, partim conſiliis ad aſtum compoſitis per deditionem capit, theſauris incredibilibus inde aſportatis. Iudæos quos ibi inuenit, omnes baptiſmum abhorrentes in glaciem profluentis Dunæ compellit, cruſtaque glaciei circumſecta, ibidem eos demergere iubet. Polonis autem honos quidam eſt habitus. Vbi huius rei fama Varſauiam ad Regem comitia tum celebrantem delata eſt, iuſtus dolor cunctorum animos occupauit. & communi conſenſu decretum eſt, vt detur opera ne id impunè tyranno cedat.

1563. Expeditio ad Neuelam. Florianus Zebridouius ſupremus dux tum copiarum fuit. Staniſlai verò Leſniouolſcii, Staniſlai Zamoſcii, & Ioannis Zborouii ſumma virtus, & fortitudo animi corporisque innotuit. Nam cum agmen tantùm mille quingentorum ducerent, tamen exercitum Moſchouiticum qui quadraginta millibus conſtabat, fortiter repreſſerunt, & magna ex parte, dextra victrici, profligarunt diſsiparuntque. Poſtea anno domini 1564. Magnus Dux Moſchouiæ detentis diutiùs oratorib. Lituanorum in Moſchouia, exercitum celeriter conſcripſit; quem, abſolutis oratoribus, in Lituaniam populabundum miſit. Hic exercitus diuiſus eſt in duas partes: quarum vna Duce Srebny, quà Smolenskum itur, altera Duce Soiski, quà Ploczkam, tẽdebat. qui Soiski in campis Czaſnicienſibus ad Vlam

bus ad Vlam fluuium castrametatus est. Quod cum Nicolaus Radiuilus Palatinus Vilnensis, dux exercitꝰ Lituaniæ supremus, & Gregorius Chodkieuiceus campiductor ab exploratorib. resciuissent, hos statim aggrediuntur, magnaque ex parte trucidant ac confodiunt; reliquos fugant. quorum multi per syluas & agros palantes, partim à colonis cæsi, partim aquis submersi sunt. Triginta autem millia in ipso conflictu occisa esse compertum est. Ibidem PETRVS Soiski, supremus dux exercitus Moschouitici, vulneratus, fuga euadens, à rustico quodam securi (magno cum dolore Lituanorum, quòd viuus captus non fuisset) occiditur. Vilnam delatus honorificè in Ruthenorum ecclesia primaria sepelitur. Altera porrò exercitus pars, quæ Smolensko ad Orscham cum Duce Srebny contendebat, audita suorum cruenta clade, metu perterrita, omni bellica, ipsaque copiosissima, supellectili abiecta, in pedes sese coniecit, turpique fuga suæ saluti consuluit.

Eodem anno 1564. in ipso festo diuæ Margaritæ, præfectus copiarum Stanislaus Pacz Archidapifer magni Ducatus Lituaniæ ac locum tenens (vt vocant) tunc temporis Palatini Vitepscensis, collegit ex Viteblensi Palatinatu exercitum, adiuncta curia sua, & duobꝰ centurionibus, aliisque cohortibus, quibus ipse præfecerat Isidorum Signiferum Viteblensem, & Ioannem Svviporod Tenutarium item Viteblensem, vt vsitatas appellationes vsurpem. Isti cum duobus millib. equitum leuis armaturæ contra hostem Moschum, qui tunc temporis Iezeriskam tredecim millibus armatorum grauiter oppugnabat, processerunt, manuscq; acriter conseruerunt; & hostium perrupta acie, tormentis potiti sunt. Inde vlteriorē exercitum, qui fugam ceperat, insequuntur. Assecuti, sternunt ac contrucidant, nonnullos capiunt. Octo millia Moschorum cæsa. cæteri, armis abiectis, quacumq; potuerunt, fuga saluti suæ prospexerunt. Nostri verò omnem suppellectilem, & vniuersa hostium arma, tormentumque quoddam magnum, tela ignea, vexilla, bombardas, & id genus alia abstulerunt. sicque Dei benignitate incolumes ac spoliis onusti, paucis ex suis in conflictu desideratis, Witepskam redierunt. Georgius autem Tovvmak Dux exercitus hostilis vix euasit. qui postea, viribus resumptis, eandem arcem Iezieriska acerrima oppugnatione, & igneis telis expugnauit.

1567. Ericus Rex Suecorum cum sex millibus Suedis in campis Kirempensibus ab exercitu Regis Poloniæ Augusti profligatus fuit. Qua in re laudatur industria & virtus Nicolai Taluosii Castellani Samogitiæ. Huius suorum cladis nuncio accepto, Ericus in rabiem quodammodo versus, multa tyrannicè fecit. Nam & Ioannem fratrem Ducem tum Finlandiæ, cui nupta erat Catharina Augusti

Regis Poloniæ ſoror, noctu in arce Amboten in Finlandia capit, & aliquot annos in vinculis tenet. Laudatur hîc Catharinæ fides coniugalis; quæ memor mandati diuini in calamitate extrema marito non defuit, imò viliſsima quæque ſeruitia in captiuitate ei præſtitit. Ericus tandem ambiens matrimonium Reginæ Anglię, cum paſſus eſſet repulſam, impotentia animi actus, & dolore victus, duxit Stocholmi enſem fœminam, multaq; inſolenter agens, ſolio deiicitur; & in eius locum frater eius Ioannes captiuus ſurrogatur. Circa eadem tempora Ericus Dux Brunſuicenſis cum viginti peditum ſignis, turmis aliquot equitum adiunctis, in Pruſsiam contendit, Gedanumque fruſtra obſedit. Cumq; vlteriùs caſtra promouere vellet, à Duce Pruſsiæ Alberto Marchione, traiectu Iſtulæ, ſicuti ei à Rege iniunctum fuerat, prohibetur. Chriſtophorus verò Megelburgius, qui poſt Guielmum Brandeburgenſem Rigenſis Archiepiſcop⁹ deſignatus fuit, ab eodem rege Sigiſmundo Auguſto in vincula coniicitur. Creditum eſt, Regem ſubolfeciſse, vtrumque iſtorum turbas quaſdam dare cogitaſſe, & agitaſse conſilia quædam noxia de Pruſsia. Memoria autem proditum eſt, Megelburgios duces originem ſuam ducere ex ſtirpe veteri Obotritorum regum gentis Slauonicæ; quorum poſtremus Pribiſlaus nominatur.

Ericus Dux Brunſuicenſis.

Chriſtophorus Megelburgius.

Poſtea aliquot annis cum Moſcho vario Marte decertatum eſt, magnis & paruis conflictibus. arces quoque vtrinque tentatæ ſunt. Dux quidem Sangusko præfectus copiarum Lituanicarum Vlam, & Suſam arces Moſchorum infeſtauit, ipſorumque hoſtium vires debilitauit; ſæpiusque parua manu ingentes eorum copias fudit.

1572. Tandem verò Rex Auguſtus, firmato fœdere, & ſtabilita pace cum Moſchorum Principe, recordatus ſe hominem eſſe & caſibus mortalium ſubiectum, teſtamentum condit. & cum aliquantulum langueret, medicorum variorum opera eſt vſus. Tandem Iulii menſis die octaua Kniſini in confinio Lituaniæ & Polonię moritur, obdormiens cum patrib⁹ ſuis, vt pagina ſacra loquitur. Corpus eius primò Tykocinum; demum poſt annum Cracouiam deportatum fuit. Vbi in eodem delubro cum patre ſepelitur. Eius autem monumento epitaphium tale eſt inſcriptum.

De cauſa eius mortis variia ria narrant, & vix credenda.

SIGISMVNDO AVGVSTO POLONIAE REGI, ET MAGNO LITVANIAE ET RELIQVAE SARMATIAE DVCI AC DOMINO. PRINCIPI CONSILIIS PROMPTISSIMO, FACTIS LENTISSIMO. MORIBVS PIENTISSIMO. VITAE BENIGNISSIMAE. ANNA INFANS REGINA POLONIAE, FRATRI BENE MERENTI, SVO SVMPTV POSVIT, ET SVIS IPSA LACHRYMIS CONSPERSIT.

LIBER

LIBER OCTAVVS,

in quo capita rerũ post Sigismundum Augustum gestarum consignantur.

QVæ acta sint post mortem Sigismundi Augusti, & præsertim sub Stephano primo, breuiter, comitiis celebratioribus describendis, ostendemus. Nam latiorem harum rerum expositionem, propter certas causas, in aliud tempus reijciendam putauimus.

1572. Mortuo Sigismuudo Augusto Rege, Knisini mensis Iulii die 8. ibidem primus procerum conuentus est habitus, & consultationes de statu interregni. Eodem anno generalia comitia procerum & equitum habita sunt propè Varsauiam in loco Camennio dicto, causa eligendi Regis. Vbi aderant oratores Pontificis, & Imperatoris Romanorum, Suecorum Regis, & aliorum Principum. Vbi etiam confœderatio inter Catholicos & Euangelicos sancita. hoc est, lex, qua prohibetur, ne alter alterum nomine religionis iniuriis afficiat, aut in Reipub. muniis, siue palàm, siue occultè posthabeat: Nam hoc, Pœnandi verbum, quod ibi legitur, significat. sed vtriq; in mutua pace viuant, & politica concordia, expectãtes, donec tempus id, quod iustius erit, detegat. Hæc autem sapientissimè excogitata, nempe, vt vitari possent motus, & bella parricidalia, de quib. etiam nunc in Gallijs audimus, sanctè & sine dolo sibi inuicem spopõderunt, &, vt Reges quoq; futuri, cum inaugurarentur, idem iureiurando comprobarent, constituerunt. Vnde verba illa in formula: Inter dissidentes de religione pacem manu tenebo. Ideo & Henricus Gallus, & Stephanus primus hoc ipsum, cum inaugurati sunt, præstiterunt.

1573. Henricus Regis Galliæ frater, Andium Dux, nouus Poloniæ Rex electus mense Maio. Oratores in Galliam missi adducendi in regnum noui Regis gratia.

1574. Aduentus Henrici noui Regis Cracouiam, ibidemque coronatio mense Ianuario. Discessio eiusdem Regis è regno, audita Regis fratris morte post menses quatuor. Expostulatio Polonorum cum eo acerba, quòd tacitè & occultè discessisset.

1576. Comitia Cracouiæ; ad quæ Stephanus Batorius Transsyluanorum Princeps, stipatus comitatu spectatissimo veteranorum venit. &, quemadmodum superiore anno in conuentu Varsauiensi Rex electus, & postea in Andreiouiensi confirmatus fuerat, ita hoc anno in Cracouiensi inauguratus fuit. *Comitia Craconiæ 1576.*

1576. Comitia Toruniæ magna cum celebritate aguntur; vbi *Comitia Toruniæ 1576.*

po tiſsimùm de Gedanenſibus agitantur conſilia;qua ratione poſſent ad officium reduci. ſed cum aut fiducia opum,aut veriùs à conſiliariis Imperatoris deprauati,nihil de conſiliis ſemel initis remitterent, criminis læſæ maieſtatis damnantur, & proſcripti,ſeu, vt vulgò loquuntur,banniti pronunciãtur.& paulò poſt, decreto bello,animad uerſio eſt in eos conſtituta. Victoria Regis,& clades illorum ad Derſauium deſcripta eſt à Laſicio,& aliis. Reconciliati poſtea Regi & regno ducenta millia florenorum numerarunt, & conditiones oblatas acceperunt. Plurimum eos iuuit deprecatio pro ipſis apud Regem principum Germaniæ,& quòd complures ex eis viri graues demonſtrabant,procella vulgi ciuium tumultuantis compulſos, ſe, & alios non paucos deterioribus conſiliis adhærere neceſſum habuiſſe.

Comitia Varſauiæ 1578.

1578. Poſtquam ventum eſt Varſauiam ad generalia totius regni comitia,primo ipſo comitiorum die Moſchi Principis & Tartari iniuriis expoſitis, bellumne cum his, aut cum vtro horum velint, rogat Rex. Cum Moſcho bellum iuſſum:cum Tartaro dilatum. Iudicia item tribunalia ante ab Auguſto expetita, ab Henrico verò permiſſa,à Stephano tum inſtituta fuere.nimirum vt tota Reſpublica ex ſuo corpore conſtitueret ſibi iudices,qui cauſas vltimæ inſtantiæ, vt vocant,iudicarent,ac definitiua ſententia lites dirimerent. Hæc res nouo ferme adhuc Regi publici fauoris & beneuolentiæ plurimum conciliauit,& iis, qui intimi Regi à conſiliis erant, gratiæ ſunt actæ, quòd non diſuaſiſſent Regi rem,quæ ſaluti Reipub. futura erat. Introducti demum & auditi ſunt legati exterarum gentium, & Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis valetudinarii agnati ſui Alberti Friderici, Alberti ſenioris Ducis Pruſsiæ filii, curator conſtitutus fuit: qui mox fidelitatis ſolenne iuramentum Regi præſtitit. Aderant ibi & Pomeraniæ Ducum legati, qui Principum ſuorum nomine in Bithomenſem Leoburgenſemque tractum ius imperium que Polonici regni agnoſcebant;earumque ditionum literas inueſtituræ (quas vocant) à Rege acceperunt. Reliquum tempus deliberationi de bello iam decreto adminiſtrando tributum eſt.

Comitia Varſauiæ 1579.

1579. Quo anno Polotia recepta fuit,eodem paulò poſt comitia Varſauiæ ſunt celebrata. Rex inde rediens magna cum lætitia exceptus,ſed non eadem tamen de ipſo omnium ſententia fuit. Varii enim variè eius conſilia,& illuſtria facinora interpretabantur. Creditum eſt autem, ſuſpiciones quaſdam de illo ſparſas fuiſſe à quibuſdam,qui vrbanæ vitæ aſſueti,pacis tantùm artibus præſtabant. Hi ſiquidem animum iam deſponderant;nec ſe emerſuros vnquam ſperabant;quod viderent, paſsim eos,qui militiam ſequebantur, prouehi ad honores. Quæ res cum fuiſſet obſeruata, eam ſuſpicionem Rex per Cancellarium oratione luculenta ex animis omnium eximere conatur.

conatur. Hac igitur ratione diluta sunt omnia capita criminationū: ostensumque, togatæ vitæ hominibus, qui vera virtute niterentur, more patriæ recepto semper restare aditum ad consequendos honores,& præmia: nec opus esse, confugere ad illicita & inconcessa consilia,ac labefactare fundamenta iacta rerum bene gerendarum. Hac oratione blanda placati esse sunt visi animi omnium;itumque est in eam sententiam, non agendum esse morosiùs cum Principe; nec animum eius serenum, & plenum spe felicis exitus incepti belli,acerbioribus expostulationibus turbandum. vt, quo ardore animi rem inceperat plenam gloriæ, & ad salutem incolumitatemque Reipublicæ inprimis spectantem,eodem in ea perficienda pergeret. Adornatur igitur expeditio iterum contra Moschum. Interim autem cum Rex Vilnæ subsistit, Nassolimus legatus Moschi cum Georgio Oscilio quædam consilia suspecta habet; quæ res pessimè Oscilio cessit. Nam,patefactis consiliis,ad supplicium rapitur. Ibidem Vilnæ Paulus Vchanius, qui apud summum Pontificem, oratorem egerat, reuersus ensem Regi notis ceremoniis dedicatum à Pontifice obtulit. Dirigit deinde Rex iter suum Czasnicium ad delectus habendos,inde ad oppugnandum Velisium: tum verò Lukos:postremò Zauolociam. Tres istæ munitissimæ arces opera Ioannis Zamoscii præfecti copiarum:consilio autem ac felicitate Regis expugnantur. Nec cæterorum interea supprimo labores, pericula, & cum contemptu vitæ suæ heroicos ausus: quorum etiam nomina in Chorographia nostra expressimus. Situm porrò horùm locorum, adeoq; totius illius regionis, tabula expressum habes in eadem Chorographia nostra: quam tabulam literis ipsius regiæ maiestatis requisiti, ac iussi, nec non ab eius internuncio inuitati, superiore anno exarauimus. Eodem anno sub autumnum nouus quidam morbus,quique veteribus medicis & recentibus incognitus dicebatur,Europam eodem ferè tempore peruagat⁹ est. Quanquam non desunt,qui affirment,idem morbi genus bis non ita multò ante,id est anno 1557. in æstate, & anno 1562. in autumno,bonam similiter Europæ partem occupasse. Hunc igitur morbum & exercitus, & Rex ipse, dum ex Moschouia reuertitur, sensit. Natura morbi fuit talis,vt ab ima parte spinæ (quam vocant) cum rigore exorsus totum corpus perreptaret, supra modum debilem,quem inuasisset,ex grauedine potissimùm,reddens.tādem in febrem,nisi citò mitescere,desinebat.Sed & curatio eius difficilis. Nam ad incisionem venæ non cedebat;& medicamentis purgantibus materia copiosior ad pectus attrahebatur. Vnde ei medici,sicut nec nomen proprium,sic remedium vllum certum non inuenerunt. Ita Deus nouit humanum genus solo flatu oris sui prosternere; adeò vt nihil ratio arsúe humana tunc opitulari queat.

1581. Redeunte Rege ab expeditione Wielikolukana effusa est ei tota Varsauiæ ciuitas extra portas,& maius gaudium obortum, quàm antea: Vbi descendisset in templum, exceptus fuit solenniter cleri nomine ab Andrea Patricio oratione erudita & memorabili: qua testatus est incredibile gaudium vniuersorum:adeò vt etiam ad aduentum eius campanæ in locis sublimioribns appensæ imitatæ vo cem humanam sono suo nomen eius modulantes exprimerent. Stephane,Stephane,Stephane. Per eosdem dies alii oratores, historici, & poëtæ varios ingenii partus edidere. Ego verò tradidi ipsi Regi triumphum,hoc est libellum,in quo victori vario poëmatum genere efformaueram & more priscorum Romanorum etiam consecraueram,aras,columnas,Pyramides,& arcus triumphales, exemplum cuiusdam Græci authoris in hoc imitatus. Elucubraueram etiam commentarios, quibus totam scientiam rei militaris in artem redegeram, quam variis exemplis historicorum,& schematis pulcherrimis illustraueram.Hic liber per me regiæ maiestati fuit tradit⁹; non tamen est typis mandatus. quamuis ex regio mandato à deputatis reuisus approbatusq; & maiestatis regiæ testimonio diplomateque solenniter comprobatus fuerit.Continebantur enim in eo quædam arcana regni in negotio instructionis exercituum, quæ profanare neutiquam consultum iudicaui. Sed ea quotannis magna cum diligentia adhuc artificiosiùs illustro,atque expolio,adhibito consilio magnorum virorum, qui diu inter strepitus armorum versati sunt. Huius libri copiam q sibi fieri volet,sciat eum apud me,dum vixero, & post mortem meam apud hæredes meos futurum,à quibus id facilè impetrabit.adhibita tamen quadam sponsione & cautione,ne temere euulgari possit.Et iam pluribus viris illustribus,ab ipsis requisitus,eum ipse curaui describi. Sequentibus diebus, cum inciperentur haberi comitia,similiter à prouincialibus nuntiis excipitur Rex amplissima oratione, qua pro re bene gesta nomine totius Reipub. ei gratias agunt. Gratitudo hæc quidem non displicebat Regi,veruntamen hortabatur & monebat,vt non lætarentur tantùm victoria,sed ea etiam vterentur,eamq; continuarent. Itaque,cum Duces belli conquererentur, Regem annuis expeditionibus,& regressioni bus impediri ac distrahi,milites confici,& hosti spacium respirandi dari; quò perpetuò bellum duci queat,in biennium tributum sciscitur.Prꝛterea distinctè,cõscribuntur decreta,quꝛ spectant ad emendationem regiminis in toto regno: Delecti etiam deputantur, qui, quæ vtiliora essent, cognoscerent. Tandem,confectis conficiendis, nuncii prouinciarum valedicentes & omnia fausta percantes Regi, duo rogant ab eo,rationem in posterum eligẽdi Regis, & compositionem inter stat⁹.Rex testat⁹ est,se cohorrescere,quoties ei in men

Comitia Varsauiæ 1581.

tem veniret

tem veniret tumultuum electionum prę teritarum,& expaueſcere ad ea, quæ diſsidia inter ſtatum eccleſiaſticum,& politicum trahere ſecum poſſent. Sed in vtraque re magnas ſe difficultates perſpicere. curaturum tamen,quantum in ſe eſſet, vt in his Reipublicæ laboranti ſubueniatur proſpiciaturq́ue.Hortaturq́ue,quemadmodum & antea facere ſolebat,vt,ipſo abſente,paci & tranquillitati publicæ pro ſe quiſque ſtudeat.fauſta tandem quæq; ac felicia precatur, tam iis, qui domi manſuri eſſent,quàm,qui in bellum ituri;vt mox lætabundi vtrique in mutuos complexus ruerent.Ad quam rem tantus plauſus à circumfuſis excitatus eſt,vt plauſum ipſum tanquam omen læti fururi ſucceſſus, ac non diuturni belli, pleriq; viri graues acceperint.Etſi autem deliberatio de modo eligẽdi Regis multa ſecum pericula trahit, præſertim ſi minùs ſyncerè tractetur: tamen reipſa periculoſius eſt chaos illud informe,& anarchia,qualem ſuperioribus electionibus vidimus oculis noſtris.Quare,omiſſa ocaſione maximi huius incommodi tollendi,metuendum eſt,ne in nos poſtmodum illa quadrent,ac meritò iactentur. Serò veniunt Iſraelitæ ad colligendum manna poſt ortum ſolis. Serò afferuntur falces poſt meſſem, cum iam non niſi ſpicilegium reſtat. Serò pulſant fores quinque fatuæ virgines.Serò conantur intrare pigri per portam clauſam.quando videlicet iam inter occidentales & orientales dominos diſtractum,ſcinditur ſtudia in contraria vulgus.

Electionis inordinatæ incommoda.

In iiſdem comitiis promulgata fuit ab Eccleſiaſticis correctio Calendarii, quæ Roma tranſmiſſa fuerat à Gregorio eius nominis 13. Pontifice Max. Veteri inſtituto ac decreto ſacrorum conciliorum, ab Alexandrinis, quòd ibi antiquitus Mathematica ſtudia florebant,anni ſupputationem Romani,& alii petebant. Ex horum ergo ſententia, anno conſtituto, æquinoctium vernum 11. die Martii iam habebatur,cò quòd nulla prę monitio facta eſſet de quinta circiter parte horæ, quæ, cum ſingulis annis ad explendas ſex horas illas deſideretur, propter quas quarto quoque anno dies vnus intercalatur,intra centum & viginti plus minùs annorum ſpatium,vnum diem conficit. Vnde res eò deducta erat,vt, iam decem diebus à concilii Niceni tempore confectis,iiſq́; in anno redundantibus,Paſcha, & conſequenter feſta alia omnia,quę mobilia vocantur,quæq́;Chriſtianis celebratiſsima ſunt, ſæpiſsime ſpatio aliquot ſeptimanarum tardiùs haberentur,quàm ipſius Niceni concilii,in quo de tempore Paſchatis Chriſtianorum conſtitutum eſt, mens fuerat. Gregorius igitur 13.Pontifex Romanus,hunc errorem ſublatum volens,æquinoctium vernum,à quo mathematici annum incipiunt,ad 21. menſis Martii diem reiecit, decem diebus ex anno expunctis & amputatis. ita vt præterea ſolſtitium hybernum ſemper cum feſto natalis Domi

Calendarij renouatio.

ni concurrat;quemadmodum ab initio non ſine cauſa excogitatum ac ſtatutum fuerat. De hac redintegratione anni magna pars homi num benè ſentit; & plerique Mathematici Academiæ Cracouienſis eam abſolutè,ac perfectè traditam ſcribūt.Eam & ego probo, quanquam video (ſi tamen iudicium extremum humano generi vſuram huius ſeculi priùs non abruperit) rurſus poſt centum & viginti annos vnum diem in anno redundaturum. Nam adhuc integer dies quarto quoq; anno intercalatur,cum tamen,vt paulò ante attigim⁹, non ſex horas integras ſingulis annis,ſed quinque tantùm cum quatuor circiter quintis vnius horæ partibus,præter trecentos & ſexaginta quinque dies, quibus ordinarius annus expletur,ſolis curſus contineat. Ratio quidem huius correctionis ſolido fundamento nititur,& eſt neceſſaria;miramurque,cur Græcæ Eccleſiæ homines,& noſtri Ruſsi huic ſanctioni contradicant. Sed Græcos miſſos faciamus, qui mordicus ſua placita iamdudum retinere ac tueri didicerunt. De Germanis pleriſque miror magis,quòd huic rei refragentur: cum ante promulgationem Calendarii iſtius vbiq; per Germaniam viri literati expeterent correctionem hanc,vt teſtantur complures ab eis ea de re libelli editi. Imò patrum noſtrorum memoria vir quidam German⁹ in Ptolomæi doctrina excellentiſsimus,Ioannes Regiomontanus,hac de cauſa Romam fuit euocatus,vt Pontifici ea in re nauaret ſuam operam: vbi ab inuidis æmulis veneno fertur ſublatus fuiſſe. Sed ego coniicio,Germaniam non tam ob renouationem Calendarii angi,quàm quòd rem tanti momenti arbitrio vnius,vt ipſi aiunt,ſuſcipere debeant. Nam veterum conciliorum canonibus cautum fuiſse demonſtrant,nihil tale tentandum, nec annum reformandum,abſque concilii legitimi cognitione.

Eodem tempore ordo militiæ pedeſtris,exemplo legionum Romanarum,in Polonia inſtitutus fuit.Nam veteres Poloni,quia campeſtria incolebant,equis potiſsimùm gaudebant. Porrò munia pedeſtrium apud eos extraneus miles, non ſine magnis ipſorum ſumptibus,obibat. Vt igitur hoc incommodum vitari poſſet, miſsi fuerunt ad regias poſſeſiones, qui ex robuſtiſsimis viceſimum quenque in militiam legerent,& qui ita in militiam veniſſent, ab oneribus ruſticis ipſi & poſteri eorum immunes redderētur. Cautionem tamen hac in re à prudentibus audio deſiderari, ne hoc aliquando fraudi Reipublicæ eſſe poſsit.

Comitia Varſauiæ 1582.

1582. Vbi proximè præterita deſierant comitia Varſauiæ, inde hoc anno initium ſumſerunt: hoc eſt à conſultatione de ratione eligendi Regis,& de compoſitione inter ſtatus. Addita etiam erat deliberatio de correctione vel modificatione tribunalitiorum iudiciorum,& de Liuonia ordinanda. Sed quia tum ſuſpicionum ſpineta interſtatus

inter ſtatus ſupra modum creuerant, non videbatur commodum inter illa aſpera carrecta ſemina rerum bonarum iacere, & rem tanti momenti dubiis mentibus obiicere. Inuecta eſt demum de euocationibus ad forum incompetens altercatio. quæ tam multum temporis abſumſit, vt quę priùs erant propoſita, adalia comitia differre neceſſe fuerit.

Verùm is etiam qui in initio anni 1585. Varſauiæ celebratus fuit conuentus, eundem exitum fermè habuit. *Comitia Varſauiæ 1575.*

1586. Biennio ferè exacto, iam temp⁹ ſequentium comitiorum appetebat; & iam literæ, quibus indicebantur proxima comitia, per omnes partes regni perferebantur, probuleumataq; prouincialium comitiorum in palatinatib. iam magna ex parte habebantur, & nuncii terrarum deligebãtur; cum ſubitò de ægritudine ſimul & morte Regis veriſima fama ſpargitur. Vſq; adeò inopinanter accelerauit finis vitæ eius. Cauſa mortis referebatur in exſiccationem domicilio rum cerebri, ob cogitationes vehementes, & ſollicitudines de proximis comitiis, quibus ſarcire ſatagebat incõmoda ſuperiorum comitiorum; in quibus parum aut ferè nihil effectum fuerat. Contrà alii, exſiccationem domiciliorum cerebri lẽtum morbum eſſe oſtendebant; ſubitam autem mortem ei⁹ indicium eſſe acuto morbo correptum eum fuiſſe. Sed quæcunque tandem fuerit eius mortis cauſa, certè non modicas turbas, & pericula Reipublicæ hæc mors ſecum affert atque denuntiat. Sed vt de tanti Regis morte aliquid ſingularius memoriæ prodamus, cum magis ac magis in horas inualeſceret morbus, & permodica ſpes de eius vita ſeſe oſtenderet, interrogatus à circumſtantibus quo pacto ſe haberet, reſpondiſſe fertur. Licere ſibi nunc vti verbis illis diui Tertulliani: Quinquaginta quatuor annos peregi. ſcio quales dies fuerint; quales verò futuri ſint in poſterum, ignoro. Admonitus tum ab hominibus religioſis, vt myſteriis ſacris de more procurari ſe pateretur, primò ne impediretur admonuit; deinde ad craſtinam diem negotium diſtulit. Interim ob morbi vim proſtratis iam viribus, & hora mortis inſtante, verbis illis ex Dominico in cruce Eptalogio, ipſum Dominum imitatus, animam ſuam Deo reddidit: In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, die 12. menſis Decemb. occidente iam ſole. Fuit vir tam in pace, quàm in bello excelſo & forti animo; iudicii magni, præſertim vbi ab affectib. liber erat; in victu & amictu parcus; ab omni iactantia & oſtentatione alien⁹; eruditione inſigniter tinctus; ſermonis latini valde ſtudioſus, & prorſus Terentianus. Quod attinet conſtitutionem corporis, fuit quadratæ ſtaturæ ad proceritatem aſſurgentis; facie dignitatis plena; capillo nigro; ore venuſtè reſtricto; colore fuſco ſimul & rubente; dente adeò albus, vt parem non viderim;

viderim; quæ res eum meo iudicio valde amabilem reddebat; naſo ſubſimo. atque vt breuiter dicam Attilæ primo Duci Hungarorum ſimilimus. vt ex Procopii hiſtorici deſcriptione liquet. Natus eſt anno Domini 1533. ſexto Calend. Octobris. Vixit ad annum ætatis ſuæ quinquageſimum quartum. regnauit annos decem, menſes ſeptem, dies duodecim. Cum autem tres pœnæ epidemicæ à Theologis numerentur: fames, peſtis, bellum; & his deterior quarta addatur, turbatio ordinis in Repub. (nam ordine publico integro permanente, ſæpe illis tribus occurritur: at ſoluto in Repub. glutino ordinis, primò bellum, deinde fames, ad extremum & peſtis in immenſum graſari ſolet) horum malorum nullum, regnante hoc Rege, Rempub. Polonam, Dei beneficio, attriuit. Niſi quòd in publico ordine, & iudicijs comitialibus iampridem quædam deſiderabantur. Cui incommodo ipſe haud dubiè proſpexiſſet, ſi ei vſuram vitæ huius ſupremus Rex regum & dominus dominantium longiorem conceſiſſet. Sed iam ad finem vitæ eius narratione perducta, finem quoque hîc hiſtoriæ noſtræ faciemus.

Caue tibi Polonia.





Ad lectorem.

Autor ipſe longo interuallo toto hoc tempore, quo hæc Cracouiæ imprimebantur, in Ruſsia abfuit. Quare ignoſcat lector, ſi plerisq; in locis contextus indiget correctione. Nam ne iam impreſsa quidem recognoſcendi, niſi quædam obiter, ſicut nec indicem conficiendi, propter alias occupationes tempus habuit. Edunt alij tertium ſuos libros; & tamen obrepunt errata aliqua, quæ facilè condonantur. Quantò magis prima hæc editio veniam meretur! Ex ſecunda porrò editione, volente Deo, cuncta caſtigatiora expectato.

Erratorum aliquot, emendationes. Prior numerus paginam, *poſterior verſum indicat.*

Paginâ 2. verſu 18. Comminiſcent Lege commiſcent. 3. 5. Cancellum Lege cancellos. 3. 6. ilias L. Ilias. 5. 32. regundarum L. regundorum 18. 2. incrementum L. incrementum eſſatu dignum. 20. 34. Sampſon L. Samſon. 23. 8. eorum L. earum. 26. 22. inter quōs L. inter quas. 28. 25. ſcribit Dio L. ſcribit Dion. 33. 20. mperium L. imperium. 57. 22. galactipha gus L. galactophagos. 59. 23. ſubmouendum L. ſubmonendum. 66. in verſu Ouidij. mala brac chis L. mala frigora bracchis 93. 8. regundarum L. regendarum. 104. 24. Rzda L. Rha. 116. 19. Tibris L. Tigris. 121. 3. Galliias L. Gallias. Et verſu 12. illa L. illa. Et verſu 15. enm L. cum. 122. 30. admirattioni L. admirationi. 134. 13. ſub Boleſlao Chabri L. ſub Boleſlao Pudico. 141. 8. imbecilli iudicij L. imbecillis iudicij. 153. 7. Chriſtumnatum L. Chriſtum natum. 160. 27. imaginattones L. imaginationes. 168. 22. oportunos L. opportunos. Et verſu 27. falus L. ſalus. 378. 20. Strenuum L. Sturmium. 177. 10. coercenda L. coërcenda. 178. 16. Germanarum L. germanarum. 182. 4 Premiſſum L. Premiſlum. Et verſu 27. oportuna L. opportuna. 242. Scarbina L. Scarbicus. 262. verſu vltimo & in ſequentibus. Gonortius L. Gouortius. 289. 6. Vidrimiuſcijs L. Vidiminſcijs. Otthomari L. Otthocari. Pieczimegij L. Pyeczynyegi. Marthomani L. Marcomani. 300. 20. Marcellum L. Martellum. 368. 16. & 17. Aegypti Sultanus L. Perſarum rex. Et verſu 25. & 26. Aegypti, Syriæque Imperatore L. Perſarum rege.

Pag. 388. verſu 20. 1517. Lateranenſe concilium, &c. Totus hic locus reponendus eſt pag. 383. & ad annum 1512. referendus. & pro **Leo decimus**, *quod hîc verſu 33. legitur, legendum eſt* **Iulius ſecundus**. *Quanquam ſciendum eſt ſub Leone decimo reuera pragmaticam ſanctionem Baſilienſis concilij abrogasam fuiſſe.*

Propriis ſumtibus ipſius authoris excuſum eſt hoc opus.

DESCRIPTIO
VETERIS ET NOVÆ POLONIÆ CVM DIVISIONE EIVSDEM VETERI ET NOVA.

Adiecta est vera & exquisita Russiæ inferioris descriptio, iuxta reuisionem Commissariorum Regiorum. Et Liuoniæ iuxta Odoporicon exercitus Polonici redeuntis ex Moschouia.

AVTHOR AD LECTOREM.

Lechia quidnam sit modo, quæue potentia sceptri,
Lit. Liu. Rus. et Prus. littora quæue tenet:
Scribunt iam multi, quò mente reuoluere possis,
At modo quo cernas dat tibi Sarnicius.



Anno à Iesu Christo nato 1585.

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO.

XVI. F. 4011 adl.